B 17
4
54
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

32/7 n. 54

Digitized by Google

DILUCIDATIO PRIVILEGIORUM ORDINUM REGULARIUM, PRÆSERTIM MENDICANTIUM:

UBI

Privilegia in communi, & alia complura in particulari clare recenſentur; ſed præcipue facultates Superiorum Generalium, Provincialium, Localium, Concionatorum, Confeſſariorum Regularium, & Sæcularium, etiam Monialium,

Tam quoad abſolvendum eoſdem Regulares, & Sæculares a Cenſuris, & Peccatis, quam quoad diſpenſandum cum utriſque reſpective ſuper Votis, Irregularitatibus, & pœnis Canonicis, juxta Sacros Canones, Summ. Pontificum, ac SS. Congregationum Decreta, faciliori Methodo enucleantur.

COLLECTA, ET CONCINNATA

PER

P. FR. DIDACUM AB ARAGONIA

Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ, Almæ Provinciæ Romanæ olim Miniſtrum Provincialem.

OPUS

Regularibus perutile, ac neceſſarium.



BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
REPUBBLICA ITALIANA
FIRENZE

BONONIÆ, MDCCLIII.

Proſtant Venetiis apud Simonem Occhi.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

CUm de privilegiis, & facultatibus Superiorum, Concionatorum, & Confeſſariorum Regularium, præſertim Mendicantium, atque de aliis plurimis Religioſorum in hac dilucidatione tractandum ſit; operæ pretium duxi, privilegiorum in communi communes regulas a probatis D. D. traditas, breviter prius explanare: & licet hujuſmodi Dilucidatio Privilegiorum ob eorum vaſtitatem, revocationes, novaſque conceſſiones diverſis Inſtitutis a Summis Pontificibus factas, opus revera his temporibus perdifficile ſit; nihilominus tamen utilitas non modica, quam afferre poterit, ab opere, & labore deſiſtere non ſinit, idcirco ad eorum commune commodum inter denſas tenebras omni poſſibili claritate, ea quæ in ſuo robore, vel revocata ſunt, videlicet certa ab incertis ſegregantur. Unuſquiſque vero inquirat, & conſulat ſuæ Religionis privilegia peculiaria, cum in hoc opuſculo Privilegia omnia referre impoſſibile ſit. Quod ſi quid in eo improbandum Lectori occurrat, oro ut benigne corrigat; ſi vero utile, aut commodum reperiat, illud D. O. M. adſcribat. Omnia autem S. R. E. Cenſuræ libens ſubiicio.

Digitized by Google

APPROBATIONES ORDINIS.

Librum quemdam unico volumine contentum mihi examinandum juſſu Reverendiſſimi P. totius Ordinis Seraphici Miniſtri Generalis traditum, attente luſtravi, cui titulus: *Dilucidatio Privilegiorum Ordinum Regularium, præſertim Mendicantium*, collecta, & concinnata ab Adm. R. P. Didaco ab Aragonia Provinciæ Reformatæ Romanæ Lectore Theologo, exMiniſtro Provinciali, & in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica olim Pœnitentiario Apoſtolico. Cum igitur volumen hujuſmodi exacte perpenderim, nihil penitus in eo inveni cenſura dignum, cum omnia eruditus auctor ad normam Eccleſiaſticæ, fundatæque doctrinæ, Sacrorum Canonum hærens decretis docuerit, quorum haud modicam prodit notitiam, nihil fidei dogmatibus, aut morali diſciplinæ, præbet diſſonum. Utiliſſimam vero exhibet privilegiorum, quæ Regularibus a Sede Apoſtolica ſunt conceſſa, cognitionem, eorumdemque explicationem, ea quæ adhuc vim, uſumque retinent, ab aliis, quæ revocata jam ſunt, acute, docteque ſecernentem. Quapropter opus hoc luce publica dignum cenſeo, utpote Regularibus familiis opportunum, & commodum valde, ut in anfractibus quotidie contingentibus, quid revera poſſint, aut non poſſint Religioſi cætus, optime noverint, ne ita facile, frequenterque controverſiis importune ſuſcitatis, exinde Sacra Tribunalia in poſterum torqueant. Ita ſentiebam, Romæ in Conventu S. P. N. Franciſci ad Ripas Tyberis die 5. Maii 1742.

Ego Fr. Carolus Franciſcus a Breno S. Theologiæ, & Controverſiarum Lector Emeritus & Script or Ordinis.

Jubente Reverendiſſimo P. totius Ordinis Seraphici Miniſtro Generali, attente opus perluſtravi, cui titulus eſt: *Dilucidatio Privilegiorum Ordinum Regularium, præſertim Mendicantium*, Auctore R. A. Patre Didaco ab Aragonia Lectore Theologo, olim in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica Pœnitentiario Apoſtolico, ac noſtræ Almæ Reformatæ Provinciæ Romanæ exMiniſtro Provinciali; in ejuſque operis lectione, non tam Auctoris in Sacrorum Canonum, moraliſque Theologiæ materia eruditionem, alias mihi notam, quam ejuſdem operis completam perfectionem ſum admiratus; eo namque præ manibus, tam a Regularium Superioribus, quam Confeſſariis habito, ignorantiæ tenebras in materia tam neceſſaria juriſdictionis, ac poteſtatis profligari penitus neceſſe eſt; ſiquidem vera ita ſolide a falſis in eo ſecernuntur, ab invalidis valida, ut quod ante magnis in voluminibus quæritari, non ſine ſudoris effuſione, & cum erroris periculo, durum nimis videbatur, paucis nunc in paginis (fas ſit ita loqui) brevi, claraque methodo exaratum, ita facile inveniri licet, ut nihil in hujuſce materia deſideratu relinquat. Dum autem omnibus ſua doctrina proficere poteſt, nulli præjudicium affert, cum nihil Fidei Catholicæ, aut bonis moribus adverſum contineat; eapropter, ut ad publicam utilitatem Typis detur, digniſſimum, ni dicam neceſſarium, cenſeo.

Ex Conventu S. P. N. Franciſci Tranſtyberim hac die 6. Maii 1742.

Fr. Joannes Petrus a Roma S. Theologiæ Lector.

FR.

FR. RAPHAEL A LUGAGNANO

Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi, pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius, Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

Dilecto Nobis in Chriſto R. P. Fratri Didaco ab Aragonia noſtræ Reformatæ Provinciæ Romanæ Lectori Theologo, ac olim Miniſtro Provinciali, necnon Pœnitentiario Apoſtolico Lateranenſi, Salutem, & Seraphicam Benedictionem.

CUm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones, per idoneos Cenſores reviſum, & approbatum fuerit Opus quoddam a Te compoſitum, cui Titulus: *Dilucidatio Privilegiorum Regularium, præſertim Mendicantium &c.* Tenore præſentium, ad ſalutaris Obedientiæ meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenus, ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſis, & valeas. Dat. Romæ ex noſtro Ara-Cœlitano Conventu die 8. Septembris 1749.

Fr. Raphael a Lugagnano Miniſter Generalis.

Reg.

De mandato Reverendiſs. in Chriſto Patris
Fr. Cæſarius a Bononia Sec. Gen. Ordinis.

APPROBATIONES.

OPus, cui Titulus eſt, *Dilucidatio Privilegiorum Ordinum Regularium, præſertim Mendicantium,* ab Adm. Rev. P. Didaco de Aragonia Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ Religioſo ſtudioſe, utiliterque elaboratum, mandante Reverendiſs. P. Joſepho Auguſtino Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro accurate perpendi; Cumque in eo nihil prorſus invenerim, quod fidei dogmatibus, ac morali diſciplinæ adverſetur, quinimmo egregios Auctoris conatus in ſecernendis dubiis a certis, veris a falſis, ſim vehementer admiratus, illud propterea dignum judico, quod in publicam lucem prodire poſſit. Ex Monaſterio S. Stephani ſupra Caccum die trigeſima Maii 1749.

D. Romanus Juſtiniani Abbas Monachorum Silveſtrinorum, ac Sacræ Congregationis Indulgentiarum, ac SS. Reliquiarum Conſultor.

DE mandato Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente legi opus inſcriptum *Dilucidatio Privilegiorum Ordinum Regularium, præſertim Mendicantium*, Auctore Adm. R. P. Didaco ab Aragonia Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ, olim Miniſtro Provinciali; nihil fidei Catholicæ, boniſque moribus diſſonum in eo deprehendi; omnia vero Sacris Canonibus, Summorum Pontificum Bullis, quæ vigent, Sacrarum Congregationum Decretis, graviumque Doctorum reſolutionibus mirifice conſona. Unde Typis mandari poſſe judico. Ex Collegio S. Franciſci de Paula ad Montes die 5. Julii 1749.

Fr. Iſidorus Mancini Ordinis Minimorum exProvincialis, in eodem Collegio Studiorum Regens, Sac. Congreg. Indul. Conſultor, ac S. Rom. & Univ. Inquiſitionis Qualificator.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS

Tractatuum, & Capitum, quæ in hac Privilegiorum Dilucidatione continentur.

TRACTATUS PRIMUS.

De Privilegiis in communi.

	Pag.
CAP. I. *De Privilegii nomine, & diviſione.*	1
CAP. II. *De extenſione, & interpretatione Privilegiorum.*	3
CAP. III. *De poteſtate concedentis Privilegia.*	5
CAP. IV. *De confirmatione, validitate, & uſu Privilegiorum.*	7
CAP. V. *De Privilegiorum amiſſione, & ceſſatione.*	17
CAP. VI. *De Privilegiorum Revocatione.*	21
CAP. VII. *De Revocatione Oraculorum vivæ vocis.*	26
CAP. VIII. *De Privilegiorum Communicatione.*	31
CAP. IX. *De Privilegiorum Conſervatoribus.*	38
CAP. X. *De pœnis violantium Privilegia Regul.*	45

TRACTATUS II.

De Privilegiis in particulari.

CAP. I. *De Privilegiis Prælatorum Regularium.*	48
CAP. II. *De poteſtate in communi, ac directiva Prælatorum Generalium.*	50
CAP. III. *De poteſtate coercitiva Prælatorum Generalium.*	54
CAP. IV. *De poteſtate, quam habent Superiores Generales reſervandi peccata ſuorum Subditorum.*	56
CAP. V. *De poteſtate, quam habent Generales, abſolvendi ſuos ſuaditos a Cenſuris, etiam reſervatis.*	59
CAP. VI. *De poteſtate diſpenſativa in genere, quam habent Generales reſpectu ſuorum ſubditorum.*	66
CAP. VII. *De poteſtate, quam habent Generales, diſpenſandi cum ſuis Subditis ſuper irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis.*	69
CAP. VIII. *De facultate, quam habent Generales, irritandi, commutandi, & diſpenſandi Vota ſuorum Subditorum.*	76

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS III.

De Privilegiis in particulari Superiorum Provincialium.

CAP. I. *De munere, & poteſtate in genere Prælatorum Provincialium.* 82
CAP. II. *De poteſtate directiva Prælatorum Provincialium.* 84
CAP. III. *De poteſtate coercitiva Prælatorum Provincialium.* 87
CAP. IV. *De poteſtate, quam habent Superiores Provinciales reſervandi peccata ſuorum ſubditorum.* 90
CAP. V. *De poteſtate quam habent Provinciales, abſolvendi ſuos Subditos a Cenſuris etiam reſervatis.* 93
CAP. VI. *De poteſtate diſpenſativa in genere, quam habent Provinciales erga ſuos ſubditos.* 100
CAP. VII. *De poteſtate, quam habent Provinciales diſpenſandi cum ſuis Subditis ſuper irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis.* 103
CAP. VIII. *De facultate, quam habent Provinciales, irritandi, commutandi, & diſpenſandi Vota ſuorum Subditorum.* 109

TRACTATUS IV.

De Privilegiis Superiorum Localium.

CAP. I. *De poteſtate in genere, & directiva Superiorum Localium.* 114
CAP. II. *De poteſtate coercitiva Superiorum Localium.* 117
CAP. III. *De poteſtate, quam habent Superiores Locales, circa caſus reſervatos.* 120
CAP. IV. *De poteſtate, quam habent Superiores Conventuales, ſeu Locales abſolvendi ſuos Subditos a Cenſuris etiam reſervatis.* 125
CAP. V. *De poteſtate diſpenſativa in genere, quam habent Superiores Locales reſpectu ſuorum Subditorum.* 132
CAP. VI. *De poteſtate, quam habent Superiores Locales, diſpenſandi cum ſuis Subditis ſuper irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis.* 135
CAP. VII. *De facultate, quam habent Superiores Locales, irritandi, commutandi, & diſpenſandi Vota ſuorum Subditorum.* 138

TRACTATUS V.

De aliis Privilegiis Prælatorum Regularium.

CAP. I. *De poteſtate, quam habent Prælati Regulares circa benedictiones, ac conſecrationes Rerum Eccleſiaſticarum.* 143
CAP. II. *De poteſtate, quam habent Prælati Regulares mittendi ſuos ſubditos ad Ordines ſuſcipiendos.* 145
CAP. III. *De poteſtate Prælatorum Regularium circa Miſſarum reductionem.* 148
CAP. IV. *De poteſtate Prælatorum Regularium œconomica circa temporalia.* 149

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS VI.

De Confeſſariis Regularibus erga Regulares.

CAP. I. *DE poteſtate, quam habent Confeſſarii Regulares, abſolvendi Religioſos ejuſdem Ordinis a peccatis, & Cenſuris.* 152
CAP. II. *Explicantur breviter undecim caſus in Decreto Clementis VIII. enumerati.* 160
CAP. III. *De approbatione, quam a locorum Ordinariis debent habere Regulares ad audiendas Sæcularium Confeſſiones.* 163
CAP. IV. *De Caſibus reſervatis, & an poſſint Confeſſarii Regulares ab eiſdem abſolvere pœnitentes Sæculares.* 170
CAP. V. *De poteſtate, quam habent Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati, abſolvendi virtute privilegiorum Sæculares pœnitentes a cenſuris etiam reſervatis.* 175
CAP. VI. *De facultate, quam habent Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati, commutandi, ac diſpenſandi virtute privilegiorum ſæcularium vota, & juramenta.* 184
CAP. VII. *De Monialium Confeſſariis, eorumque facultatibus.* 190
CAP. VIII. *De Concionatoribus Regularibus, eorumque obligationibus, & privilegiis.* 194

TRACTATUS VII.

De Privilegiis in particulari.

CAP. I. *DE exemptione Regularium ab Ordinariis.* 197
CAP. II. *De exemptione Regularium a Lege Diœceſana Epiſcoporum.* 202
CAP. III. *De exemptione Regularium a coactiva poteſtate Ordinariorum.* 205
CAP. IV. *De caſibus, in quibus ex Tridentini Decretis Regulares ſubiiciuntur Epiſcopis.* 207
CAP. V. *De exemptione Tertiariorum a juriſdictione Ordinarii.* 213
CAP. VI. *De exemptione Sæcularium per reſpectum ad Regulares, & quoad electionem ſepulturæ in eorum Eccleſiis.* 218
CAP. VII. *De Portione Canonica, ſeu de quarta Funeralium.* 224
CAP. VIII. *De Indulgentiis, quibus Regulares fruuntur.* 228
CAP. IX. *De Syndicis Fratrum Minorum, & de eorum privilegiis.* 239
CAP. X. *De Privilegiis Regularium circa Divinum Officium.* 242
CAP. XI. *De Privilegiis Regularium in Euchariſtia adminiſtranda.* 244
CAP. XII. *De Privilegiis Regularium circa tempus, & loca ad celebrandum.* 246
CAP. XIII. *De Privilegiis Regularium circa fundationes Conventuum.* 248
CAP. XIV. *De Privilegiis Regularium quoad Præcedentiam.* 250
CAP. XV. *De aliis immunitatibus, & privilegiis, præſertim Canonis, Fori, & exemptionis a ſolutione Decimarum, Oblationum, Gabellarum, & contributionum, quibus fruuntur Regulares.* 252

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.

De Privilegiis in communi.

CAPUT I.

De Privilegii nomine, & diviſione.

1. PRivilegium eſt privatum, ſeu ſingulare jus contra indultum commune, & dicitur lex privata, eo quod privatam legem ſingulis generet, illos ſcilicet eximendo a jure communi. Nomine autem privilegii large ſumpti ſæpiſſime veniunt indultum, gratia, favor, Bulla, reſcriptum, beneficium, & ſimilia: ut conſtat ex Decret. *diſt. 3. cap. 3.* & docent *Commun. D. D.*

2. Privilegium aliud eſt reale, aliud perſonale; reale eſt illud, quod conceditur immediate alicui loco, dignitati, officio, Eccleſiæ, Religioni, Monaſterio, aut reſpectu eorum, & hoc eſt perpetuum, quia res, locus, & officia, quibus conceditur, ſemper durant: perſonale eſt, quod proxime, & directe perſonæ, vel intuitu perſonæ conceditur, & hoc perſonam ſequitur, & cum eadem extinguitur; interdum etiam familia, ſeu domeſtici perſonæ privilegiatæ participant, ut ſi tempore interdicti generalis alicui conceſſum ſit privilegium celebrandi, vel audiendi Miſſam, domeſtici quoque intereſſe poterunt: prout habetur in cap. *Licet: de privilegiis in 6.*

3. Privilegium reale dividitur in generale, & ſpeciale; generale dicitur, quod pluribus, vel omnibus conceditur; ſpeciale eſt, quod uni tantum loco, vel Monaſterio conceditur, nec alteri juxta jus commune communicatur: ita *Comm. D D.*

4. Privilegium aliud eſt gratioſum, aliud vero remuneratorium; gratioſum eſt quod gratis conceditur, non habita meritorum ratione; remuneratorium autem, quod ratione meritorum conceditur; idcirco Regularium privilegia remuneratoria nuncupantur, ſiquidem ſuorum meritorum intuitu fuerunt conceſſa: ita Peyrinus de privilegiis *tom. 3. cap. 4. num. 24.*

5. Tandem privilegium aliud eſt favorabile, aliud odioſum, aliud pro foro interno, & aliud pro externo; favorabile eſt illud, quod ita confert favorem privilegiato, ut nulli alteri conferat præjudicium, ut eſt privilegium audiendi Miſſam tempore interdicti; odioſum vero eſt illud, quod uni favorem confert, alteri præjudicium: privilegium pro foro interno nihil operatur pro foro externo, conceſſum autem pro foro externo ſuffragatur pro utroque foro, ut ſunt Regularium privilegia, quæ pro utroque foro conceduntur; ut patet ex Conſtitutionibus Apoſtolicis relatis a Bordono *tom. 2. reſol. 52. n. 144.* & hæc quoad privilegii nomen, ac diviſionem brevitatis gratia ſufficiant.

6. Non eſt de ſubſtantia privilegii ſcriptura quoad forum animæ, neque requiritur partis inſtantia quoad ipſius valorem, quia tam privilegium, quam diſpoſitio pendent ex ſola Principis voluntate; requiritur tamen data diei, menſis, anni, loci, & temporis, quando privilegia de novo emanant: ita habetur *in l. ſi qua, cod. de diverſ. reſcrip.* ubi dicitur: *privilegia, quæ in corpore juris non continentur, invalida eſſe ſine data*; hæc tamen in privilegiis papalibus locum non habent, ſi Sum-

Digitized by Google

mus Pontifex, qui eſt omnium Principes, expreſſe præcipiat datam non eſſe attendendam, vel omiſſam nihil officere; ut docet Anton Fab. *definit. 3. Cod. de precibus*, *& cap. Cuncta per Mundum*.

7. Promulgatio, & acceptatio ſunt de ſubſtantia privilegii, quia cum privilegium ſit lex, debet neceſſario ad modum legis regulari, quæ cum ſit regula humanarum operationum debet prorſus promulgari, ſecus autem non valet; ut docet D. Thomas *p. 2. q. 90. art. 4.* Acceptatio pariter omnino neceſſaria eſt, ut ſuum effectum ſortiatur, quia ſi privilegium non acquiritur abſenti, multo minus ignoranti: *ex l. qui abſenti ff. de acquir. poſſeſſ.* etenim beneficia invitis non conferantur: verum hujuſmodi acceptatio privilegii, etiam tacite facta, valida eſt, ſcilicet, cum privilegium ipſi privilegiato notificatur, ſufficit quod ipſemet non contradicat, nihilque contra illud opponat, nam in favorabilibus, qui tacet conſentire videtur; ut habet *Gloſſ. in cap. Qui tacet, de regul. jur. in 6.* Sufficit etiam acceptatio facta per nuntium ad id ſpecialiter deputatum: ita Sylveſt. *in ſumm. v. privilegium q. ult.* Roder, *tom. 1. quæſt. Regul. q. 7. art. 6. & alii*.

8. Privilegii appellatione venit etiam conſuetudo immemorabilis, & præſcripta, nam ſicut conſuetudine, & præſcriptione acquiritur juriſdictio, ita pariter acquiritur privilegium. Verumtamen, ut præfata conſuetudo vim legis poſſit habere, requiritur primo, ut ſit rationabilis, & quod tendat ad bonum finem, ita ut non ſit contra lumen naturæ, nec contra legem divinam, alias eſſet injuſta, & vitioſa corruptela: ſecundo, ut ſit legitime præſcripta, ideſt practicata per curſum temporis a lege definitum; ut habetur *in cap. Cum quanto de conſuetud. & in cap. ult. de Conſt. in 6.* Ad præſcribendum igitur contra, vel præter jus civile ſufficit conſuetudo per decem annos continuata: contra jus Canonicum, requiritur tempus quadraginta annorum: contra Regulares, requiritur juxta eorum privilegia ſpatium annorum ſexaginta: contra Summ. Pontificem, & Eccleſiam, requiritur conſuetudo pluſquam centenaria: ut habetur *in auth. quas actiones, cod. de Sacroſ. Eccleſ. in cap. Super quibuſd. §. præterea de verb. ſignif.* & docent omnes Canoniſtæ cum Roder. *tom. 1. q. 7. art. 3.*

9. Pro validitate gratiarum non tenentur Regulares exhibere originalia, ſed ſatis eſt ſi oſtendant tranſumpta; & quia difficile foret originales litteras, & prothocolla ad ſingula quæque loca deferri, idcirco auctoritate Apoſtolica Regularibus, & in ſpecie nobis Fratribus Minoribus, indultum eſt, ut tranſumptis quarumcumque litterarum Apoſtolicarum manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis litteris originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; ita habetur *in noſtro comp privil. V. Privilegium n. 31. & in Conſt. 18. Urbani* VIII. *apud Cherub. tom.* 4. & notavit Roder. *tom. 1. q. 3. art.* 16. neque ad tranſumpta facienda tenentur Regulares partem citare, nec procurare ut citationes fiant per edictum, ſed ſufficit ea oſtendere, ut dictum eſt; immo Regularibus omnibus ſatis erit in vim probationis ſuorum privilegiorum, & gratiarum oſtendere libros Ordinum typis mandatos.

10. Mare magnum eſt quædam compilatio multorum privilegiorum ibi mixtim, & confuſe contentorum, quod pro diverſis Religionibus, & temporibus collectum eſt in unum per diverſos Pontifices, privilegiis ſuorum prædeceſſorum addentes ſua, ut fecit Sixtus IV. pro Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla, quæ incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*: apud Cherub. *tom. 1.* vide Roder. *tom. 1. q. 7. art. 4.* Miranda in Manual. *tom. 2. q. 42. art. 2.*

ubi

Digitized by Google

ubi de Bulla aurea in favorem prædictorum Ordinum ab eodem Pontifice conceſſa.

11. Si ſcriptura privilegii deperdi contingat, poterit in foro fori per teſtes probari: omnia enim acta, etiam quæ ad ſui valorem ſcripturam requirunt, ſi ſemel ſcriptura ſit facta, licet poſtea deperdita, poſſunt quippe probari per teſtes de ejus tenore, & qualitate deponentes: prout habetur *in Cap. Cum olim de privil.* & docet poſt multos Cancer *tom. 3. cap. 5.*

12. Similiter, ſi invitis Superioribus Eccleſia, vel Monaſterium, ſeu Conventus deſtruatur, prout fieri ſolet ab hoſtibus vi armorum, aut terræ motu, cum ſpe tamen futuræ reædificationis, nec jura, nec privilegia deperduntur, ſed quoad exercitium, & uſum quodammodo ſuſpenduntur; ſecus autem, ſi auctoritate Superiorum ſine ſpe reædificationis deſtruantur, quia in tali caſu omnino privilegia amittuntur, nam ſicut extincta perſona amittitur privilegium perſonale, ita pariter deſtructo loco amittitur privilegium locale: prout deſumitur *ex l. in omnibus cauſis 68. & l. privilegia 157. & ex regul. 7. jur. in 6.*

C A P. II.

De extenſione, & interpretatione Privilegiorum.

1. Si privilegia in corpore juris ſunt inſerta, de perſona in perſonam extenduntur, nam lex etiam de caſu ad caſum ſub illis verbis non comprehenſum ex identitate rationis extenditur, & ampliatur, ut tenent Sylveſt. *V. Lex q.* 18. Covarrub. *in Cap. Alma Mater: & alii*. Si vero privilegia ſint particularia, ſeu contra jus commune, non poterunt ob identitatem rationis de perſona in perſonam extendi, quia virtus, & efficacia privilegii non pendet a ratione, ſed a voluntate concedentis, & ea quæ a jure communi exorbitant, non ſunt in conſequentiam trahenda. Nec refert, quod privilegium conceſſum alicui ad celebrandum, vel Divinis intereſſendum tempore interdicti, ad Miniſtros, & famulos extendatur, quia in tali caſu non ſit extenſio ad perſonas ob identitatem rationis, ſed ob continentiam virtualem, ſcilicet, ut cum ſolitis Miniſtris, vel famulis congrue, & honeſte Divinis interſit: limita, niſi iſti ſint ſpecialiter interdicti: *ex Decret. de privil. cap.* 11. & docent *commun. D. D.*

2. In favorabilibus, & abſque præjudicio tertii, privilegia conceſſa Fratribus intelliguntur conceſſa etiam Monialibus non expreſſis in privilegiis; ſecus autem in odioſis, prout Bonifacius VIII. & Sixtus IV. Sororibus, & Monialibus S. Claræ, quæ ſub obedientia Prælatorum Ordinis ſunt, conceſſerunt; ut habetur in ſupplemento fundam. trium Ordinum *fol. 122. conceſſ.* 556. Roder. *tom. 1. q. 13. art.* 22. Miranda in Manual. *tom. 2. q. 46. art.* 2.

3. Privilegia, & gratiæ noſtræ Religionis ad Novitios etiam extenduntur, quia in his quæ gratiam, & favorem concernunt, ipſi profeſſorum appellatione veniunt; ſecus autem in pœnalibus, & oneroſis; favores enim ſunt ampliandi, & odia reſtringenda, & cum ſine controverſia privilegio fori, & Canonis gaudeant, ita aliis privilegiis gaudere debent, cum non ſit major ratio de uno, quam de alio: ut docent *commun. D. D.*

4. Quia appellatione Religioſorum Mendicantium veniunt in favorabilibus etiam Tertiarii, idcirco privilegia profeſſis conceſſa ad ipſos utique extenduntur, dummodo collegialiter vivant eo modo, quo dicetur infra *Tract. 7. cap.* 5. per totum. Expulſi vero ab Ordinibus nequeunt uti privilegiis ſuorum Ordinum.

5. Regularis Epiſcopus factus, licet non deſinat eſſe Regularis quoad Vota eſſentialia, verumtamen quoad alias obſervantias Regulares non remanet Religioni obligatus; ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 85. *art. 3.* idcirco non gaudet

omnibus, & ſingulis privilegiis intuitu Religionis habitis, & conceſſis, cum Religioſus tamdiu Religionis privilegiis fruatur, quamdiu illius membrum exſtiterit, & in ea permanſerit, atque adeo non poterit v. g. a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis virtute privilegiorum abſolvere, nec vota commutare &c. bene tamen frui poterit privilegiis illis, quæ ipſius Religioſi aſſumpti commodum concernunt, abſque Religionis gravamine, idque convenit, ut cum ipſo permaneant favores, & gratiæ, prout ſunt Indulgentiæ, abſolutiones paſſivæ &c.

6. Regularium privilegia ſive clara, ſive dubia, a Prælatis Eccleſiaſticis minime poſſunt judicialiter interpretari, nam hujuſmodi judicialis, ſeu legalis interpretatio ad Papam dumtaxat ſpectat, ex declaratione Clementis IV. immo Sixtus IV. illis idipſum prohibuit ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ in ſua Bulla, quæ *Mare magnum* appellatur; ut refert Caſarrub. *in comp. privil. V. privilegium §.* 11. Portell. *eod. verb. n.*77. Prælati Regulares poſſunt utique ſua privilegia, etiam juridice, & ex æquo, & bene interpretari, non ſervatis omnibus juris apicibus, ex conceſſione Leonis X. ut refert Peyrinus *de Privil. ad Conſt.* 3. Julii II. *n.* 2. Tamburinus *de jure Abbatum tom.* 1. *diſp* 16. *quæſt.* 6. *num.* 8. *& alii*.

7. Interpretatio privata, & doctrinalis ad Doctores, aliosque Religioſos peritos ſpectat; hi tamen interpretes privilegia difficiliora intellectu ex ambiguitate verborum, vel ex diverſis juriſperitorum interpretationibus ſemper in favorem Religionis interpretari tenentur, ex conceſſione Innocentii VIII. quæ habetur in Monum. Ord. *Lib.* 2. *fol.* 76. *conceſſ.* 195. & in Supplem. *fol.* 101. *conceſſ.* 394. Unde Religioſi poterunt tuta conſcientia uti ſuis privilegiis, de quibus Doctores altercantur, in partem favorabiliorem conſcientiæ, ſi alias talem partem probabilem prudenter judicaverint, ut cum aliis docet Tambur. *loc. cit. n.* 7.

8. Si privilegia dubia, & obſcura ſint contra jus commune, vel contra jus tertii, debent ſtricte interpretari, nam omnis receſſus a jure communi eſt odioſus, & jus proximi in dubio non eſt lædendum; ſi autem privilegia ſint favorabilia, & non contra jus commune, neque juri tertii præjudicantia, ſunt large interpretanda, quantum rationabiliter judicatum fuerit, ſervata tamen verborum proprietate, & ſignificatione; privilegium autem favorabile illud cenſetur, quod principaliter favorem intendit, licet per accidens in damnum alicujus cedat: Navarr. *lib.* 3. *conſ.* 32. Roder. *tom.* 1. *q.* 11. *art.* 11. Privilegia etiam Regularibus conceſſa, quamvis ſint contra jus commune, late ſunt interpretanda, nam cum ſint perpetua, ſemper debent ad inſtar juris interpretari, ita ut illis, quam minimum eſſe potuerit, derogetur: Sanchez *de Matr. lib.* 8. *diſp.* 1. *num.* 3. Tambur. *loc. cit. n.* 14. *& alii*.

9. Si motu proprio Principis conceſſum ſit privilegium, quamvis contra jus commune, tunc amplam interpretationem meretur, veluti quod proprium Principis beneficium eſt, & ex certa ſcientia datum cenſetur; aliæ vero gratiæ ultra jus commune a Principe conceſſæ a fortiori late interpretari debent, niſi in alterius præjudicium cedant, vel ſcandali, aut litium occaſionem præbeant: ita habetur *in Cap. Quia circa de privil. Cap. Si motu de præb. in* 6.

10. In privilegii interpretatione mens præcipue atque intentio concedentis inſpicienda eſt, quia ponderatis circumſtantiis perſonæ conferentis, ejuſque cui privilegium confertur, nonnumquam extenſio fieri poteſt, ex regul. Conceſſo uno, cenſetur etiam conceſſum & aliud, ſine quo illud commode obtineri, vel exerceri non poteſt: *ex Cap. Præterea, de offic. delegati*.

11. Dubius de voluntate privilegiantis tenetur interpretari privilegium juxta communem, & uſitatam verborum ſignificationem, quia privilegia non plus operantur, quam verbis expri-

Digitized by Google

exprimunt, neque umquam privilegium, & ſi odioſum ſit, ultra verborum proprietarem, communemque acceptionem reſtringere oportet, niſi neceſſitas cogat, alioquin abſurdum aliquod ſequetur: ut docet Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 9.

12. Privilegium etiamſi ſit favorabile, ultta verborum ſignificationem, & acceptionem tam communem, quam juridicam ad alias perſonas, vel actus ob ſolam ſimilitudinis rationem extendi non oportet, etiamſi motu proprio Principis ſit conceſſum, v. g. ſi alicui eſt conceſſa facultas diſpenſandi in gradibus Conſanguinitatis, non ideo poterit vi hujuſmodi facultatis in gradibus affinitatis diſpenſare, quia diverſa ſunt. Quando autem æquiparatio juris talem extenſionem exigit, ut facultatem conceſſam v. g. Epiſcopis in Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* diſpenſandi ſuper omnibus irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario) provenientibus &c. latè interpretari poſſumus, ut ea facultas competat etiam Epiſcopo confirmato, quamvis non conſecrato, & Capitulo Sede vacante, quod Epiſcopo in juriſdictione æquiparatur, necnon Prælatis ab Epiſcopi juriſdictione exemptis: ut docent Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 10. Roder. *tom.* 1. *q.* 6. *art.* 9. Suarez *de Cenſ. diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 13. Panormit. *in Cap. Verum num.* 9. *de foro compet. & alii.*

13. Privilegium denique interpretandum eſt, ut non ſit oneroſum privilegiato, ita ut potius illi aliquid tribuat, quam ut auferat: *juxta regul.* 61. *juris in* 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum:* & ita docent Avila *de Cenſ. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 6. Molina *tract.* 3. *diſp.* 61. *& alii.*

C A P. III.

De poteſtate concedentis Privilegia.

1. Quicumque legem condere valet, etiam privilegium conferre poteſt; cum enim privilegium nihil aliud ſit quam lex privata, clarè ſequitur, quod qui poteſt legem ferre, poſſit etiam & privilegium indulgere, videlicet privilegiatum a legis obligatione eximere; ut docet S. Anton. *p.* 1. *cap.* 1. *tit.* 19. Idcirco colligas primo, quod Summus Pontifex per univerſum Orbem in ſpiritualibus, & in terris Eccleſiæ in temporalibus valide poſſit privilegia concedere, quia ipſe ubique gentium in materia ſpirituali, & in ditione Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus poteſtatem habet Legiſlativam; in alienis autem ditionibus indirecte dumtaxat, & per accidens, id eſt in his, quæ ſpiritualibus ſunt annexa, prout ſunt Indulgentiæ, Decimæ, contractus Matrimonii, diſpenſationes ad Ordines &c. *ex cap. per venerabilem. S. Anton. loc. cit.*

2. Omnia Romani Pontificis edicta, ſeu Decreta ab ipſo emanata, ſive Bullæ, ſive Brevia, reſcripta, vivæ vocis oracula, ſignaturæ, & alia hujuſmodi quocumque nomine nuncupentur, extra Concilia, & jus commune vagantia eadem vi pollent in foro interno; ſicuti Canones in dictis Conciliis, & jure inſerti, & revera idem ſunt, quamvis nomine, ſolemnitate, & vi in foro externo differant: ita Barboſa *de jure Eccleſ. univerſ. lib.* 1. *cap.* 2. *per tot.* Valor dictarum Bullarum, Brevium, & litterarum Apoſtolicarum &c. extra Concilia, & jus commune vagantium probatur ex Nicolai Papæ I. generali deciſione in Epiſtola ad Archiep. & Epiſc. Regni Galliarum directa. *Cap. ſi Romanorum diſt.* 19. ubi ſic concludit ſequentibus verbis: *His ita favente divina gratia prælibatis, oſtendimus, nullam eſſe differentiam inter illa De-*

creta &c. Idem tradit Agatho Papa *diſt. ead. cap. 2.* dicens: *Sic omnes Apoſtolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ ſunt, tamquam ipſius D. Petri voce firmatæ ſint.*

3. Declarationes S. S. Congregationum E. E. Cardinalium, dummodo ſint latæ juxta Decretum Urbani VIII. ſub die 11. Auguſti 1631. editum, ſunt deciſivæ, & habent vim legis, dummodo quatuor conditiones copulative concurrant, ita ut una deficiente in conſcientia non obligent: prima, quod declaratio ſit certa, & indubitata, ut conſtet ſufficienti auctoritate, eam eſſe S. Cong. declarationem; ſufficienter autem conſtabit, ſi in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munita fuerit: ſecunda, ut in ipſa declaratione referatur, eam fuiſſe pronuntiatam conſulto Pontifice: tertia, ut Cardinales ſolum declarent, & interpretentur, non vero diſpenſent, reſtringant aliquid, aut amplient ultra vim verborum, & regulas juris, niſi accedat peculiaris commiſſio, aut voluntas Pontificis: quarta, ut declaratio conſtet notitia publica, vel per Epiſcopos, vel per famam certam ex principio authentico derivatam: ita Coriolan. *de caſibus reſerv. part. 1. ſect. 1. art. 21. n. 5. & alii.*

4. Summus Pontifex poteſt diſpenſare, ſeu relaxare ſuos fideles in ſacris Canonibus, ideſt in legibus Canonicis, eas immutando ratione loci, temporis, & perſonarum: ex deffinitione Gregor. VII. quæ habetur *diſt. 23.* his verbis: *Pro varietate rerum, locorum, & temporum regulæ S. S. Patrum temperantur*; idque conſtat ex uſu illius poteſtatis, quo notum eſt Summos Pontifices Canones temperaſſe, ſeu mutaſſe in Oriente, & in Occidente; ut videre licet de Damaſo I. Leone I. Simplicio, Hilario, & aliis, qui juxta diverſitatem locorum, temporum, & perſonarum, leges canonicas temperarunt, ſeu mutarunt: de quibus legatur Barboſa *de jur. Eccleſ. univerſ. lib. 1. cap. 2. n. 128. & ſeqq.*

5. Habet præterea Romanus Pontifex poteſtatem condendi novas leges Canonicas, ac Canones multiplicandi, & interpretandi; ut decrevit Urbanus II. *in cap. ſunt quidam*, & Leo IV. *in cap. Ideo permittente cauſa*: & conſtat ex uſu illius poteſtatis, alioquin non ſatis proviſum eſſet Eccleſiæ; cum enim ille ſit ipſius caput, illiuſque poteſtas ordinetur primo ad populi chriſtiani correctionem, cum delinquit, & ad gubernationem, cum bene agit, ut docet Hugo Cardin. *lib. II. de Sacr.* ideo ad ea debite peragenda, facultate diſpenſandi in ſacris Canonibus, eoſque interpretandi Pontificem potiri neceſſe erat. Secundo, cum eadem Papæ poteſtas ordinetur ad omnium quæſtionum, & negotiorum ſolutionem, & determinationem, neceſſe pariter erat, ad illarum ſolutionem, & deciſionem aliquando diſpenſare cum illa regula: *Quæ uni tempori expedit ad determinandum aliquid, illo variato, alteri tempori non conveniat.* Tertio, cum poteſtas Papæ ad fidei, & S. Scripturæ defenſionem apertam data ſit: *Ego rogavi pro te Petre, Lucæ 22.* ideo ut Petri ſucceſſor illa poteſtate decorandus erat, ut hæreticorum conatus cito confringeret.

6. Ex deciſionibus Gelaſii Papæ in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ relata *in cap. 7. Cuncta per Mundum*: & Nicolai I. in epiſtola *ad Michaelem Imperatorem*; atque ex Decretis aperte conſtat ad ſolum Summum Pontificem pertinere de omnibus judicare, nec alicui licere de ipſo formare judicium; ſi ergo plures Summi Pontifices rationi conſentaneum, immo neceſſarium duxerunt pro bono univerſali chriſtianæ Reipublicæ Regularibus plura communicare privilegia, non eſt cur inferiores judicare velint, quare ſic fecerint, quia firmum debet eſſe, quod ipſa Sedes judicat Apoſtolica; nec poſſunt fingere ſe habere privilegia judican-

dicandi de gratiis, reſcriptis, & privilegiis Papæ, & quod ſecundum illa non ſit ſine ipſorum approbatione procedendum, nam ille numquam conſuevit privilegiare aliquem contra ſe; ut conſtat *ex cap. Cum ex officio, de præſcript.*

7. Imperatores, Reges, & ceteri Principes ſuperiorem non agnoſcentes, poſſunt in temporalibus, ſcilicet in immunitatibus, honoribus, dignitatibus, & conſimilibus privilegium concedere; non autem in ſpiritualibus, quia in iſtis nequeunt laici ſe intromittere: *ex cap. Bene quidem diſt. 96. & ex commun.*

8. Epiſcopi ſimiliter in ſuis Diœceſibus, Generales in ſuis Ordinibus, Provinciales in ſuis Provinciis, omneſque alii Superiores juriſdictionem, ac poteſtatem in ſuos ſubditos habentes, poſſunt reſpective, & cum debita proportione privilegia concedere, nam hi omnes poſſunt leges ferre, ac per conſequens privilegia indulgere: ut habetur expreſſe *in cap. Cum olim de privil.* Dixi reſpective, & cum debita proportione, quia ſicut Epiſcopus non eſt dominus Juris Canonici, & legis Pontificiæ, ita nec ex ſe poteſt alicui contra jus commune privilegia concedere, nec a legis obſervatione illum eximere; quod etiam currit de Generalibus, Provincialibus &c. reſpectu eorum, quæ ſunt Ordinis ſubſtantialia; nec refert, quod tam Epiſcopi, quam Generales, & ceteri præfati poſſint in votis, nonnulliſque aliis impedimentis per leges Pontificias introductas diſpenſare, & conſequenter contra jus commune aliquid concedere, quia id ex ſe facere nequeunt, ſed quatenus a jure, vel privilegio, aut conſuetudine ipſis conceſſum eſt; ut docet Sylveſt. *V. privilegium quæſt. 3.*

9. Denique ad impetrandum a Principe gratiam, vel privilegium, neceſſe eſt ut in ſupplicatione ea omnia quis exprimat, quæ vitio ſubreptionis, vel obreptionis careant; ſcilicet, aut narrando falſum, vel tacendo verum; aliter gratiæ, & privilegia minime juvant: ita Julius Clarus *§. Fin. quæſt. 59.* Barb. *in cap. ſuper his, de reſcript.* Felin. *de com. in cap. ad audientiam num. 22. de reſcript. & aliis Commun.*

CAP. IV.

De confirmatione, validitate, & uſu Privilegiorum.

1. PLures Summi Pontifices multis ab hinc ſæculis varia privilegia Regularibus non ſolum conceſſerunt, ſed etiam confirmarunt; necnon huc uſque concedunt, & confirmant, cauſis ducti juſtiſſimis; quarum prima, eſt ſtatus profeſſionis Regularium indiſſolubili Deo, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ vinculo conſecratus, illorum virtutes, habilitas, & indefeſſus labor in peccatoribus, hæreticis, ac infidelibus a faucibus tartari eruendis, & ad Dei miſericordiam convertendis: ſecunda eſt, prompta voluntas, & obedientia in exequendis ubique terrarum Apoſtolicis mandatis pro procuranda animarum ſalute; tertia eſt, eximia illorum cultura in litteris, & virtutibus, quæ tot viros ſanctitate, & doctrina illuſtres Eccleſiæ Dei parturivit, & parturit; ultima eſt, difficultas maxima, quam in pluribus exercitiis ſpiritualibus, præcipue in audiendis ſæcularium confeſſionibus patiuntur, præſertim Mendicantes, qui, ut plurimum, ubi eorum Conventus exiſtunt, nedum in Concionibus, verum etiam in ſacramentalibus Confeſſionibus fideles a peccatis eripiunt, & in bonis operibus confirmant: ita Cand. Brugnol. *in man. Cleric.*

2. Ob prædicta, aliaqua juſta motiva, præter alios Summos Pontifices Paulus IV. in ſua Conſt. incip. *Ex Clementi:* Gregorius XIII. in ſua Conſt. *Ex benigna*: Sixtus V. in Conſt. *Et ſi Mendicantium:* Clemens VIII. in Conſt. *Ratio Paſtoralis Officii*, apud Cherub. *tom. 3.* confirmarunt, & inova-

novarunt gratias, & privilegia omnia Regularibus conceſſa.

3. Confirmatio definiri ſolet, quod ſit juris quæſiti corroboratio, nam præſupponit jus competere, & eſſe acquiſitum; dicitur autem corroboratio, quia privilegiis alias validis, etiamſi ſit ex certa ſcientia, non dat novum eſſe, ſed tantum antiquum confirmat; privilegia namque valida, etiamſi non confirmentur, non ideo manent abrogata; confirmantur tamen a Summo Pontifice, ut majus robur ac firmitatem acquirant. Portell. *V. privilegium num.* 1.

4. Dupliciter poteſt confirmatio fieri, vel in forma communi, vel ex certa ſcientia; tunc fit in forma communi, quando Summi Pontifices in confuſo, & ſine examine privilegia confirmant; tunc vero fit ex certa ſcientia, quando cum notitia certa operantur, ut quando tenor privilegii in ipſa confirmatione inſeritur, vel quando ex plenitudine poteſtatis confirmatio datur: Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 18. *q.* 1. *n.* 6. *& alii commun.*

5. Eſt tamen magnum diſcrimen inter confirmationem in forma communi, & ex certa ſcientia; illa enim actum invalidum non confirmat, ſed validum dumtaxat, unde non eſt privilegii conceſſio, ſed ſolum corroboratio, relinquens actum in illo ſtatu, in quo erat: hæc autem eſt nova privilegii conceſſio, quæ privilegium invalidum validum reddit, dummodo clauſula irritans ibi non apponatur; ſi autem privilegium a principio fuit ſubreptitium, vel obreptitium, nullatenus per confirmationem ex certa ſcientia confirmatum remanet: ut docent Tambur. *loc. cit.* Portell. *V. privilegium n.* 28. *& alii.*

6. Regularium privilegia per non uſum amitti poſſunt, ſicut de facto amittuntur, ſi contingat Regulares infra ſpatium centum annorum ipſis non uti; poſſunt etiam deperdi per contrarium uſum, quando Regulares, nedum ſuis non utuntur privilegiis toto illo jam præſcripto tempore, verum etiam contra illa operantur; quæ tamen per Summi Pontificis confirmationem ex certa ſcientia factam revalidantur, nam hujuſmodi clauſula de ſui natura, ut omnes affirmant, habet vim novæ conceſſionis: prout notat Gloſſ. in *cap. Quia diverſitatem V. form. comm. de conceſſ. præbendæ*, Card. Tuſchus *V. Confirmatio*. Secus autem ſi fiat in forma communi, nam hæc non reddit actum validum, ſed illum in ſuo priori ſtatu relinquit. In dubio vero, an confirmatio ſit facta in forma communi, vel ex certa ſcientia, tenendum eſt eſſe factam in forma communi, quia certa ſcientia, cum ſit quid facti, non præſumitur, niſi probetur: ita Garcia *de Benef. part.* 3. *cap.* 2. Roderius *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 2. *& alii.*

7. Privilegia tam a jure communi, quam ab homine antea revocata, quoties ex certa ſcientia, & abſque ulla limitatione confirmantur, valida eſt eorum confirmatio, etiamſi non fiat mentio hujuſmodi clauſulæ revocatoriæ; nam confirmatio ex certa ſcientia, ut dictum eſt, æquivalet novæ conceſſioni, necnon privilegia per non uſum, vel per contrarium uſum amiſſa reſtituit; quos quidem effectus cauſat talis confirmatio, quoquomodo implicite, ſive explicite ſit habita, & declarata: *ex cap. per Venerab. de confirm.* & docent Caſtropalaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. Portell. *V. privileg. confirmatio num.* 33. Roder. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 8. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 18. *n.* 12. *& alii.*

8. Quamvis certum ſit, quod Regularium privilegia a multis Summis Pontificibus fuerunt confirmata; verumtamen litteræ confirmatoriæ debent attente legi, & mature conſiderari, quia illi non uno, eodemque modo conſueverunt dicta privilegia confirmare, ſolent namque multa excipere, & ſequenti modo limitare: *Dummodo ſint in uſu, vel ſacris Canonibus, & Tridentini Decretis, aut*

Confi-

Digitized by Google

Conſtitutionibus Apoſtolicis non adverſentur. Sic privilegia diverſorum Ordinum poſt Clementem VIII. & Paulum V. fuerunt a Sede Apoſtolica confirmata, nam antea abſque præfatis clauſulis confirmabantur. Ea vero privilegia, quæ Tridentini Decretis non contradicunt, per idem Concilium confirmantur *Seſſ. 5. cap. 20. de reformat.* illa quoque quæ ab eodem Tridentino revocata manent, vel eidem contradicunt, recenſentur infra.

9. Confirmatio privilegiorum unius Ordinis facta ex certa ſcientia extenditur, & redundat ad omnes alios, habentes communicationem in privilegiis conceſſis, & in futurum concedendis, ſicut de facto omnibus Religionibus a Sede Apoſtolica ita conceditur; prout docet Mandoſius *in tract. de privileg. ad inſtar q.* 7. Roder. *tom. 1. q. 8. art.* 2. Miranda *tom. 2. q.* 42. *art.* 5. Portell. *V. privil. confirmatio n.* 34. Quod procedit etiam de confirmatione in forma communi, dummodo ſit facta ample de conceſſis, & concedendis, ut tenet Suarez *de leg. lib. 8.cap. 19.n.* 10. Tambur. *tom.* 1. *de jur. Abb. diſp.* 18. *q.* 4.

10. Per confirmationem autem privilegiorum particularium, & individuorum unius Religionis, etiam ex certa ſcientia factam, nullatenus veniunt, neque intelliguntur confirmata ceterarum Religionum privilegia propria, & particularia; nam privilegiorum confirmatio ad non intenta, neque expreſſa per concedentem nequaquam ſe extendit; idcirco quando Summus Pontifex confirmat v. g. Carmelitarum privilegia, ſcilicet, quod poſſint habere poſſeſſiones, ac redditus, non cenſetur particularia Fratrum Minorum de corpore Obſervantiæ privilegia confirmare; & ſic de ſimilibus, ut bene oſtendunt præcitati D. D. neque in grave præjudicium tertii hujuſmodi confirmatio aliquid operatur, licet in re levi aliter ſe res habeat.

11. Si Summus Pontifex confirmans privilegium ſimpliciter dicat: *Confirmo privilegium tibi a tali Pontifice conceſſum*, non valet confirmatio, niſi conſtet de privilegio, ad quod refertur, quia ſcriptura referens non probat, niſi relata producantur. Si autem Pontifex confirmando privilegium, in ea confirmatione mentionem faciat in particulari de eo quod confirmat, referendo ſe ad aliud privilegium, dicens, v. g. *Sicut*, vel *ſecundum quod jam tibi per aliud privilegium a tali Pontifice fuit conceſſum*: ſic valet confirmatio facta, quamvis relatum privilegium non appareat. quia illa verba relativa: *Sicut*, *ſecundum*, *& ſimilia*, non ſunt conditionalia, ſed demonſtrativa, ac per conſequens, voluntas concedentis confirmationem eſt abſoluta, & diſpoſitiva: prout in propriis terminis decidit S. Rota *part. 2. deciſ. 36. num. 3.*

12. Clauſula illa in confirmatione privilegiorum appoſita: *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non ſint contraria*, non excipit, neque a confirmatione excludit privilegia, quæ Decretis totius juris Canonici adverſantur, cum clare pateat, ipſum Tridentinum, ſicut & quodcumque aliud Canonibus, & Decretis conſtare: Canon enim large ſumptus idem eſt quod Statutum, vel Regula, idcirco Decreta per Gratianum collecta conſueverunt Canones appellari; ſi igitur illa verba generaliter omnes Sacros Canones indifferenter comprehenderent, nulla quidem, & otioſa eſſet privilegiorum confirmatio, cum privilegium nihil aliud ſit quam privatum jus, ſeu indultum a Principe contra jus commune conceſſum, ideoque præfata clauſula adjecta copulative, non autem diviſive intelligitur: ita Tambur. *loc. cit.* Portell. *V. privilegii ceſſatio num.* 65. Roder. *tom. 1. q. 8. art.* 8. Miranda in Manual. *tom. 2. q. 42. art. 3.*

13. Præterea clauſula illa debet intelligi non ſolum de privilegiis a Tridentino expreſſe revocatis, ſed etiam de omnibus aliis ipſi Concilio quomodocum-

documque contrariis; & hæc eſt ſententia magis tuta, & uſu recepta, quicquid in contrarium nonnulli doceant; nam Pius IV. in Bulla, quæ incipit: *In Principis Apoſtolorum Sede*, in fine ejuſdem Concilii poſita, revocat motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, indulta, Confeſſionalia, Maremagnum, & alias gratias, in his omnibus, & ſingulis, in quibus illa Statutis, & Decretis ejuſdem Concilii contrariantur; quæ quidem verba cum proprietate verborum debent referri, & de facto referuntur: & ad tollendum omne dubium plures Summi Pontifices, præſertim Clemens VIII. Gregorius XIV. & Gregor. XV. in confirmatione privilegiorum nonnullarum Religionum, hac clauſula uſi ſunt: *Dummodo ſint in uſu, & non ſint revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, & Sacris Canonibus, aut Decretis S. Concil. Trident. vel Conſtitutionibus Apoſtolicis non repugnent*: ita Peyrinus *de privil. tom. 2. in Conſt. 1. Gregorii XIII. num. 3.* Lezana *tom. 2. ſumm. cap. 1. n. 58.* Miranda in Manual. *tom. 2. q. 42.*

14. Nec dictis obſtat, quod S. Pius V. anno 1567. in ſua Conſt. incip. *Etſi Mendicantium Ordine*, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis Mendicantium privilegia confirmaverit, ac firmiter obſervari præceperit, etiam in multis, quæ ſunt contra Tridentini Decreta; nam Gregorius XIII. ejus ſucceſſor in Bulla, quæ incipit: *In tanta rerum, & negotiorum mole*; dictam Conſtitutionem revocavit, & ad terminos ejuſdem Concilii reduxit: vide Bullar. Rom. Cherub. *tom. 2.*

15. Decreta præfati Concilii Tridentini, per quæ Regularium privilegia tacite reſtringuntur, vel expreſſe revocantur, recenſentur infra.

I.

De impreſſione librorum, ſeſſ. 4. in Decret. de uſu, & editione ſacrorum librorum.

Quod non liceat Regularibus imprimere, ſeu imprimi facere libros ſine approbatione Ordinarii, & licentia ſuorum Superiorum.

II.

De lectione S. Scripturæ, ſeſſ. 5. cap. 1. de Reformat.

Quod in Conventibus, in quibus Studia commode vigere poſſunt, S. Scripturæ lectio habeatur, quæ a Capitulis Generalibus, vel Provincialibus dignioribus Lectoribus aſſignetur.

III.

De Prædicatoribus, ſeſſ. 5. cap. 2. de Reformat. & ſeſſ. 24. cap. 4.

Quod Prædicatores ſine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarii in Eccleſiis ejuſdem Ordinis prædicare non poſſint; in aliis autem Eccleſiis ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur.

IV.

De Prædicatoribus male prædicantibus ſeſſ. 5. de Reform. cap. 11.

Quod ſi aliquis Prædicator (*quod abſit*) errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populo, ubicumque prædicaverit, Epiſcopus ei prædicationem interdicat, & juxta juris diſpoſitionem puniatur, non obſtant. privil.

V.

De Regularibus delinquentibus, ſeſſ. 6. de Reformat. cap. 3.

Quod Regulares extra Clauſtra degentes, ab Ordinario loci, ſi deliquerint, puniri poſſint.

VI.

De Viſitatione Eccleſiarum, ſeſſ. 7. de Reformat. cap. 8.

Quod locorum Ordinarii poſſint viſitare Eccleſias Parochiales Regularium, in his tantum, quæ curam animarum concernunt.

VII.

Quod Regulares tranſlati de uno ad alium Ordinem ſub ſui Superioris obedien-

Digitized by Google

dientia perpetuo maneant. *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 19.*

VIII.

De Ordinibus ſuſcipiendis, ſeſſ. 14. cap. 2. de Reformat.

Quod nullus ordinetur quovis Ordine, etiam minore, abſque expreſſo conſenſu, & litteris dimiſſoriis ſui Prælati: alias maneat ſuſpenſus.

IX.

De vagis, & ignotis Sacerdotibus ſeſſ. 22.

Quod Epiſcopi in ſuis Diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat.

X.

De loco celebrandi Miſſas. Seſſ. 22.

Quod Epiſcopi non permittant, etiam Regulares, dicere Miſſam ubique, & in Domibus privatis, ac Oratoriis non ordinatis ab Epiſcopo.

XI.

De Ordinibus ab aliis, quam ab Epiſcopis non ſuſcipiendis ſeſſ. 23. cap. 10. de Reform.

Quod Abbatibus, & aliis quibuſcumque, quantumvis exemptis, non liceat, niſi ſuis ſubditis tonſuram, aut Minores Ordines conferre.

XII.

De ætate Ordinandorum ſeſſ. 23. cap. 12.

Concilium aſſignat ætatem, in qua etiam Regulares debent ſuſcipere Ordines, & quod debeant ab Ordinario examinari.

XIII.

De promotis per ſaltum, ead. ſeſſ. cap. 14.

Dat facultatem Epiſcopis, & Prælatis Regularibus diſpenſandi cum promotis per ſaltum in caſu occulto, & dummodo non miniſtraverint.

XIV.

De obſervantia Regulæ, & Communitate ſectanda, ſeſſ. ultima cap. 1.

Quod omnes Regulares utriuſque ſexus, ad Regulæ quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant; & quæ ad communem victam, victum, & veſtitum conſervanda pertinent, fideliter obſervent, omniſque cura, ac diligentia a Superioribus adhibeatur.

XV.

De proprietate extirpanda, ſeſſ. 25. de Regular. cap. 2.

Quod nemini Regularium utriuſque ſexus liceat bona mobilia, vel immobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.

XVI.

De bonis, quæ poteſt Superior concedere ſeſſ. ultima de Regul. cap. 2.

Quod non liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, uſum, adminiſtrationem, vel Commendam; Mobilium vero uſum ita permittant, ut eorum ſuppellex ſtatui paupertatis conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium, eis denegetur.

XVII.

De numero Regularium in Monaſterio conſtituendo ead. ſeſſ. cap. 3.

Quod in Monaſteriis, & Domibus tam virorum, quam mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, qui ex redditibus propriis Monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

XVIII.

De Conventibus novis, quomodo accipiendis, ead. ſeſſ. de Regul. cap. 3.

Quod nec de cetero ſimilia loca recipiantur, vel erigantur, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt conſtituenda, licentia prius obtenta.

XIX.

De Fratribus, quod alterius obſequio non ſe ſubjiciant, ead. ſeſſ. cap. 4.

Quod nullus Regularis ſine ſui Superioris licentia, cujuſvis pii operis prætextu, ſubjiciat ſe obſequio alicujus Prælati, Principis, vel Communitatis &c.

XX.

X X.

De Fratribus ſine licentia a Conventibus diſcedentibus, ead. ſeſſ. cap. 4.

Quod non liceat Regularibus a ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ſuos Superiores adeundi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint.

XXI.

De Fratribus, qui ad Univerſitates ſtudiorum mittuntur, ead. ſeſſ. cap. 4.

Quod illi, qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

XXII.

Seſſ. ultima de Regul. cap. 5.

Agitur 1. de Clauſura Monialium, 2. de Monialibus e Monaſterio non exeundis, 3. de prohibitione ingreſſus ad earum Monaſteria ſub Excommunic. Latæ ſententiæ, & 4. de Monaſteriis Monialium intra Urbes reducendis.

XXIII.

Seſſ. ultima de Regul. cap. 6. & 7.

Agitur 1. de modo ſecreto in electione ſervando, 2. de vocibus non ſupplendis ad effectum electionis faciendæ, 3. de ætate eligendæ in Superioriſſam Monaſterii, & 4. de loco accipiendi vota Monialium tempore electionis.

XXIV.

Seſſ. ult. de Regul. cap. 10.

Agitur de Confeſſione, & Communione Sanctimonialium, de Confeſſario extraordinario Monialibus offerendo, & de loco ſervandæ Euchariſtiæ in Monaſteriis Monialium.

XXV.

De Interdictis, & Cenſuris a Regularibus obſervandis, ſeſſ. ead. cap. 12.

Quod Cenſuræ, & interdicta, nedum a S. Sede emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur.

XXVI.

De Feſtis a Regularibus ſervandis ead. ſeſſ. & cap.

Quod dies feſti, quos in ſua Diœceſi ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus ſerventur.

XXVII.

De exitu ad publicas proceſſiones. Seſſ. 25. cap. 13.

Quod omnes exempti, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori Clauſura vivunt.

XXVIII.

De controverſiis in præcedentia ſedandis ab Epiſcopis, ſeſſ. ult. de Regul. cap. 13.

Quod controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe cum ſcandalo oriuntur in Eccleſiaſticas perſonas, tam Sæculares, quam Regulares, Epiſcopus, amota omni appellatione, componat.

XXIX.

De tempore profeſſionis, ead. ſeſſ. cap. 15.

Quod in quacumque Religione, tam Virorum, quam Mulierum profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur; ſecus profeſſio erit nulla.

XXX.

De donationibus faciendis in anno Novitiatus, ead. ſeſſ. cap. 16.

Quod nulla renunciatio fiat ſine licentia Ordinarii intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione.

XXXI.

De non differendo tempore profeſſionis eod. Decreto, & ſeſſ.

Quod finito tempore Novitiatus, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad Profeſſionem admittant, aut a Monaſterio eos eiiciant: poſſunt tamen Superiores prolongare ad ſex Menſes ex conceſſione S. Pii V. dummodo habeant ſpem probabilem, quod inhabiles habiles efficiantur.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII.

De bonis Novitiorum infra tempus Novitiatus non recipiendis, ſeſſ. 25. cap. 16.

Quod ante Profeſſionem nihil recipiatur, excepto victu, & veſtitu, ne hac occaſione diſcedere nequeat Novitius; & hoc præcipitur ſub pœna anathematis dantibus, & recipientibus, & ut abeuntibus Novitiis ante Profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant.

XXXIII.

Seſſ. 25. cap. 17.

Agitur 1. de tempore ſuſcipiendi habitum a puellis Deo dicandis, 2. de puellis examinandis ante Profeſſionem ab Ordinariis locorum, & 3. de Prioriſſis non denunciantibus tempus profeſſionis Monialium, ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio.

XXXIV.

Seſſ. ult. de Regul. cap. 18.

Sancta Synodus anathemati ſubiicit eos, qui cogunt Mulieres ad ingrediendum Monaſterium ad ſuſcipiendum habitum, & ad emittendam profeſſionem; & qui ſanctam Virginum, vel aliarum Mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel emittendi profeſſionem ſine juſta cauſa impediunt.

XXXV.

De ſententia excommunicationis cum ſumma maturitate ferenda. Seſſ. ult. cap. 3 de Reformat.

Quod quamvis excommunicationis gladius ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ nervus, ſobrie tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari.

XXXVI.

Seſſ. ult. de Regul. cap. 12.

Quod ſi qui Regulares, tam viri, quam mulieres ſint, qui ſub arctiori Regula, vel Statutis vivunt (excepta facultate habendi bona immobilia in communi) eos ab eorum inſtituto, & obſervantia Sancta Synodus amovere non intendit.

XXXVII.

De quarta funeralium, ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 13.

Quod quibuſcumque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicirur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio Monaſterii conceſſa, poſt hac integro jure, & eadem portione perſolvatur. *Vide infra tract. 7. cap. 7. n. 6.*

Hæc ſunt præcipua, quæ in Concil. Trident. injunguntur Regularibus, & in quibus eorum privilegia tacite reſtringuntur, vel expreſſe revocantur.

13. Nedum in foro externo, ſed neque in foro conſcientiæ (prout nonnulli perperam docuerunt) poſſunt Regulares uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe per Concil. Trident. revocata; quia ſententia affirmativa, utpote a parte rei falſa, ad praxim deduci nullatenus poteſt, cum ab Alexandro VII. tamquam ſcandaloſa damnata ſit pro utroque foro, *propoſ. 36.* Etiam ubi Concilium non fuerit receptum, cenſentur præfata privilegia Regularium revocata; nam propoſitio damnata ubique gentium eſt ſcandaloſa, ergo nuſquam gentium poſſunt Regulares illam ad praxim deducere, etenim quamvis privilegia non conſerantur invitis, ab invitis tamen auferuntur. Idem dicendum eſt de privilegiis ſolum implicite per Tridentinum revocatis, quæ poſtea etiam expreſſe revocavit Pius IV. *anno 1665. in Bulla incip. In Principis Apoſtolorum Sede*: quæ habetur in calce Concilii; ubi revocantur quæcumque privilegia, quæ Tridentini Decretis contradicunt.

14. Poſſunt tamen Regulares uti ſuis privilegiis contra omnes alios Papæ inferiores, ut docet Roder. *tom. 1. q. 9. art. 8.* immo juſſu Rom. Pontificis ex declaratione S. Cong. omnes Prælati Papæ inferiores tenentur Regularium privilegia defendere, & ſi quid in contrarium egerint, erit irritum, & inane.

15. Præ-

15. Prælati Regulares de jure communi non poſſunt ſuis ſubditis limitare, vel auferre uſum privilegiorum; ex indulto tamen ſpeciali Gregorii XIII. præcipue Generales, & Provinciales poſſunt id facere, & hæc doctrina procedit etiam in Religionibus, quæ non habent ſpecialem facultatem, nam illa regula, *Inferior non poteſt abrogare*, habet locum dumtaxat, ubi inferior reſtringit, vel aufert privilegium contra voluntatem ejus, cui conceſſum eſt; quod non accidit in præſenti, cum in Capitulis generalibus, in quibus, ut ſuppono, hujuſmodi abrogatio fit, adſit interpretativa voluntas totius Religionis, cui talia privilegia conceſſa ſunt; hinc ſequitur, etiam reſpectu ipſius Generalis, poſſe Capitulum Generale uſum privilegiorum reſtringere, vel auferre: ita Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 9. *n.* 2. Miranda *tom.* 2. *q.* 4. Diana *part.* 2. *reſol.* 87. *tr.* 2. Roder. Suarez & alii.

16. Quando privilegium eſt conceſſum alicui Religioſo in particulari, non tenetur uti tali privilegio; tenebitur tamen in tribus caſibus illo uti, primo, quando inchoatum eſt jam negotium, ſed non abſolutum: ſecundo, quando ex non uſu præjudicatur alteri, ut ſi Clericus permitteret ſe judicari a Judice ſæculari; & tertio, quando quis habet debitum aliquid agendi, ſed impeditur, ſublato autem impedimento per privilegium, tunc tenetur privilegio uti: ſic tempore Interdicti habens privilegium, tenetur eo uti, Miſſam diebus feſtis audiendo: ita Sanch. Suarez, quos refert, & ſequitur Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 52. *n.* 104.

17. Denique privilegium ſuos ſortitur effectus, licet ignoret illud is, contra quem privilegium obtinetur, nam privilegium eſt gratia Principis, independens a ſubditis, quibus ſcientibus, & contradicentibus poteſt illam concedere cui voluerit, idcirco non poteſt obeſſe hujuſmodi gratiæ ignorantia illius, contra quem obtinetur; ac propterea, ut Bullæ privilegiorum valeant, non requiritur quod intimari debeant: ita Bartol. *in l. omnes populi*, *quæſt.* 105. *part. princip. n.* 37. *ff. de juſt. & jure*, la Cruz *de Stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 3.

18. Sequuntur, & explicantur Clauſulæ, quæ ſolent apponi in privilegiorum confirmationibus.

Clauſula prima: *In forma communi.*

Hæc clauſula demonſtrat, Principem concedere, ſeu confirmare ad partis inſtantiam, & conſequenter ignorare ea quæ concedit, ſeu confirmat, ſicut alia omnia, quæ in facto conſiſtunt, atque adeo tam impetrata, quam conceſſa, vel confirmata in dicta forma communi nullum jus alicui de novo attribuunt, ac propterea hujuſmodi confirmationes parum, aut nihil juvant: *ex Cap. Venerab. de confirm. util. vel inutil.*

2. *Motu proprio.*

Illud dicitur motu Principis fieri, quod liberaliter fit, altero non petente, & habet vim ſpecialis conceſſionis, & ideo tollit vitium ſubreptionis ex taciturnitate veritatis, niſi ſubreptio procedat ex re ipſa, ita ut ſi Princeps interrogaretur in ſpecie, non eſſet veroſimile quod concederet; & niſi contingat ex falſa cauſæ expreſſione; & niſi ſit in præjudicium tertii: ita Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 18. *num.* 21. Rota *deciſ.* 656. *num.* 4. Barboſ. & alii.

3. *Ex certa ſcientia.*

Hæc clauſula rem minus validam, validam reddit, & facit, quod nullus inferior poſſit de validitate illius rei amplius cognoſcere, nam dicta, & confirmata per Principem ex certa ſcientia, non poſſunt in dubium revocari; *ex cap. Venerab. de confirm. Abb. cap.* 3. *de re judicata.*

4. *De plenitudine poteſtatis.*

Clauſula hæc tollit omnes defectus ſolemnitatis omiſſæ, non autem provenientes a natura, vitium ſubreptionis, & obreptionis aufert, vimque clauſulæ derogatoriæ habet; in præjudicium tamen tertii nihil operatur, regulæ

gulæ de jure quæſito non derogat, nec dolum partis impetrantis ſupplet. Rota *part.* 2. Serafin. *deciſ.* 1082. Barboſ. *de clauſ. num.* 8.

5. Omni appellatione remota.

Debet intelligi de omni appellatione, ſive frivola, ſive legitima, ut aperte conſtat *ex cap. Paſtoralis, de appellat.* ex quo fit, quod Judex non obſtante appellatione poteſt ad executionem procedere, niſi appellatio in caſu in jure expreſſo ſit facta, vel inhibitio fiat, vel niſi ex certa ſcientia Papa appellationem commiſerit: poterit tamen ſupplicari Princeps, qui hujuſmodi appellationem admittere, vel non admittere poteſt; quo non obſtante, adhuc ſententia poterit executioni mandari: *ex cap. Paſtoralis citat.* Miranda *tom.* 2. *q.* 45. *art.* 2.

6. Contradictores quoslibet, & rebelles &c.

Hæc clauſula intelligenda eſt de his, qui de facto, non vero de jure contradicunt; unde non procedit, ſi cauſa contradictionis ſit rationabilis, & juſta; tribuit etiam eadem clauſula juriſdictionem, & poteſtatem compeſcendi non ſolum partes moleſtantes, ſed etiam extraneos quoſcumque de facto contradicentes: ita Peyrin. *ad Conſt. unic.* Innoc. VIII. *n.* 2. Barboſ. *clauſ.* 32. *n.* 22. *& alii.*

7. Invocato, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.

Hæc clauſula importat, quod quando remedia Eccleſiaſtica non juvant, debent Judices ſæculares auxilium brachii ſæcularis præſtare, ut habetur in Cap. *Principes*, & Cap. *Adminiſtratores*; nam utraque poteſtas, Eccleſiaſtica ſcilicet, & laica debent ſe ad invicem adjuvare; ut conſtat *ex* lege: *Adverſum* cap. *duo ſunt*, & id de Jure communi; quod ſi auxilium præſtare renuerint, peccant juxta gravitatem, vel parvitatem materiæ, & poſſunt ad id cogi per Religionum Conſervatores: ita Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *caſu* 452. Roder. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 14. Peyrin. *ad Conſtit.* 1. Julii II. *§.* 38. *num.* 97.

8. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium.

Effectus præcipuus hujus clauſulæ eſt, tollere omnia, quæ diſpoſitioni, in qua eſt appoſita, obſtare poſſent: ita Rota *part.* 1. *recent. deciſ.* 506. *num.* 5. idcirco quando a Papa in aliqua diſpoſitione, vel privilegio ponitur, non ſolum jus commune, ſed etiam omne privilegium ſibi contrarium abrogat, & revocat; verumtamen non tollit ea, quæ, niſi in ſpecie, revocari non poſſunt, ac propterea hæc clauſula generalis non ſufficit ad derogandum clauſulis derogatoriarum derogatoriis, niſi addantur verba: *Etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ac de verbo ad verbum facta fuiſſet*: ita Rota *part.* 2. *recent. deciſ.* 87. *num.* 4. *ex cap. Dudum de Præbend. in* 6. nec vitium ſubreptionis, vel obreptionis tollit, ut docent Marta *part.* 1. *clauſ.* 73. Tuſch. *lib.* 1. *concluſ.* 349.

9. Quorum tenores volumus hic haberi pro expreſſis.

Hæc clauſula habet vim tollendi neceſſitatem inferendi tenorem illarum Conſtitutionum, quæ confirmantur, vel derogantur, etiam ſi in illis talis expreſſa mentio poſtuletur; & hæc procedunt non ſolum in diſpoſitione facta motu proprio, ſed etiam ad partis inſtantiam; non operatur tamen in præjudicium tertii, neque in his, quæ in facto ignorato conſiſtunt, nec tollit defectus, per quos gratia eſſet ſubreptitia: ita Tamb. *tom.* 1. *diſp.* 18. *q.* 6. *num.* 44. Peyrin. *ad conſt.* 4. Sixti IV. *num.* 5. Barboſ. *clauſ.* 102. *num.* 1. & alii.

10. Supplentes omnes, & ſingulos defectus, ac juris, & facti ſolemnitatem.

Juris defectus alii ſunt ſubſtantiales, ut ſi reſcriptum impetrans ſit excommunicatus, irregularis, aut verum taceat, vel falſum exprimat; alii ſunt accidentales, prout ſunt, qui ad juris poſitivi

poſitivi ſolemnitatem pertinent, ut puta, ſi electio fiat non cantata Miſſa Spiritus Sancti, vel ſi contractus die feſto ſtipuletur; alii ſunt naturales, ut partis citatio, ſeu defenſio, vel ſi impetrans ſit mentecaptus, furioſus, aut lunaticus; alii ſunt defectus a natura deſcendentes, ut eſſe ſpurius, bigamus, vel Hebræus &c. Si igitur iſta clauſula ſub forma communi apponatur, defectus ſupplet accidentales; ſi autem ex certa ſcientia, motu proprio, ac de plenitudine poteſtatis litteræ concedantur, nedum accidentales, verum etiam & ſubſtantiales defectus tollit, non tamen naturales, nec a natura deſcendentes, neque ad ignorata ſe extendit, nihilque in tertii præjudicium operatur, necnon defectus malitiæ, doli, & fraudis nullo modo ſupplet; niſi pro nobis Mendicantibus, ex privilegio Leonis X. quod refertur *in ſupplemento fol.* 31. Roder. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 15. Miranda *tom.* 2. *q.* 43. *art.* 5. Barboſ. *clauſ.* 104. *num.* 4. & alii.

11. *Sublata eis, & eorum cuilibet &c.*

Præcipuus, & proprius effectus hujus clauſulæ eſt, claudere os judicibus, illiſque facultatem tollere aliter judicandi, declarandi, & interpretandi, niſi prius obtenta in ſignatura gratiæ os aperiendi facultate: ita Gonz. *ad Reg. l.* 8. Cancell. Gloſſ. 66. *num.* 3. Tuſch. *tom.* 1. *litt. C. concluſ.* 345. non tamen impedit, quominus Judices videre poſſint an allegata privilegia locum habeant: ut docet Farinac. *p.* 2. *deciſ.* 569.

12. *Decernentes irritum, & inane &c.*

Senſus iſtius clauſulæ eſt, irritare omnia, quæ in contrarium fiunt, & eſt tantæ efficaciæ, ut etiam ignorantes liget, ſive inſerantur adverbia *ſcienter*, vel *ignoranter*, ſive non; & hoc procedit, quomodocumque conſtitutio fuerit facta, reſpectu nullitatis, non vero aliarum pœnarum, quæ ignorantes non ligant, ut conſtat *ex cap. ſi eo tempore, de electione; cap. ſi beneficia de Præb. & Dignit. in* 6. vires etiam ſententiæ tollit, & ejus executionem impedit, formamque taliter inducit, ut illa non ſervata, actus ipſo jure corruat: ita Rota *part.* 1. *deciſ.* 225. *num.* 1. & quicquid contra iſtam clauſulam fit, etiam parte non opponente, eſt ipſo jure nullum: Barboſ. *clauſ.* 40. *num.* 32.

13. *Abſolventes ab omnibus Cenſuris.*

Ad tollenda nullitatis pericula, quæ ex excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto poſſunt oriri, hujuſmodi clauſula ponitur; unde hæc abſolutio reddit gratias efficaces, præfatis cenſuris non obſtantibus; iſtas tamen realiter non tollit, ſed dumtaxat pro gratiæ executione eas ſuſpendit, quare ſic abſolutus nullam aliam gratiam conſequitur, niſi eam, ad cujus effectum tantummodo tollitur, idcirco ſi celebret, irregularitatem incurrit; præterea talis abſolutio non prodeſt irregularibus, neque iis, qui ſcienter Excommunicationis ſententiam per quatuor menſes ſuſtinuerint, ſi per eos ſtet, quominus abſolutionem obtineant: ita Peyrin. *ad conſt.* 1. Julii II. *num.* 54. & 55. Archang. *de privil. lib.* 1. *cap.* 18.

14. *In foro Conſcientiæ.*

Quamvis non deſint graves Doctores, aſſerentes hanc clauſulam operari etiam pro foro externo, ſi parti ſatisfactum fuerit, probabilius tamen eſt, ſolum valere pro foro interno: ita Suar. Barboſ. quos refert Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 18. *q.* 6. *num.* 17.

15. *Sine præjudicio Parochi.*

Per hæc verba Pontifex ſolum intendit, quod circa decimas, ac primitias Clericis a laicis exhiberi ſolitas, ceteraque jura Parocho convenientia, præjudicium vitetur; prout declaravit Sixtus IV. & refert Roder. *tom.* 2. *q.* 75. *art.* 1. *in fine*, & Peyrin. *tom.* 1. *in Conſt.* Phirr. *num.* 32. Per illam vero clauſulam: *non repugnantibus Parochis*, declarat Pontifex, privilegium non valere contradicentibus Parochis, per aliam autem *de licentia tamen Rectoris, vel Parochi*, non intendit privilegium annullare, ſi hujuſmodi licen-

Digitized by Google

licentia non petatur; quia non eſt conditionata, ſed tantum connotat modum ad aliquid ex lege æquitatis faciendum: ita Bonac. & recentiores, quos refert, & ſequitur Peliz. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 30.

16. *Indignationem Omnipotentis Dei.*

Hæc clauſula virtualiter includit obedientiæ præceptum, idcirco contrafacientes mortaliter peccant, & pœna arbitraria puniri poſſunt: ita Peyrin. *ad Conſt.* 3. Sixti IV. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 18. *q.* 6. *n.* 7. *&* 8.

17. *Prorſus eximimus, ac totaliter liberamus.*

Dictio hæc talis eſt naturæ, ut omnem interpretationem excludat, & omnia, quæ in contrarium excogitari poſſunt, derogando non ſolum privilegiis privatæ perſonæ, ſed etiam univerſitati in ſpecie, vel in genere, ſub quibuſcumque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, vel de plenitudine poteſtatis conceſſis *ex Cap. ſtatutum*, Henriq. Barboſ. Peyrin. *ad Conſt.* 2. Sixti IV. *n.* 10.

18. *Quatenus ſint in uſu.*

Iſta verba in aliquibus privilegiorum confirmationibus poſita intelligenda ſunt, primo, ſi contra illa non ſit præſcriptum; ſecundo, eo modo confirmantur, quo ſunt in uſu: quonam autem modo per non uſum, vel per contrarium uſum privilegia amittantur, in ſequenti Capite dicetur.

C A P. V.

De Privilegiorum amiſſione, & ceſſatione.

1. PRivilegiorum amiſſio, ſeu ceſſatio dupliciter poteſt contingere, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco; ab intrinſeco ceſſant privilegia, quando ceſſat eorum cauſa finalis, vel ſubjectum illorum deſtruitur, aut deficit conditio, ſub qua conceſſa fuerunt; ab extrinſeco vero per renuntiationem, per revocationem, per non uſum, vel per contrarium uſum privilegia amittuntur.

2. Ceſſante cauſa finali, ſine qua abſolute gratia conceſſa non fuiſſet, privilegium ceſſat: *ex cap. cum ceſſante de appellat.* ubi dicitur, *quod ceſſante cauſa, ceſſat effectus*: nam ſicut injuſtum eſt ſine cauſa legem auferre, vel jus tertii abrogare; ita iniquum eſt, ceſſante cauſa finali privilegii, velle privilegium conſervare, ac proinde privilegium veſcendi carnibus tempore Quadrageſimæ ob aliquam infirmitatem, ceſſante infirmitate, privilegium ceſſat; ſecus autem dicendum, ſi ceſſat dumtaxat cauſa impulſiva, vel pars cauſæ finalis, ut v. g. quando privilegium non eſt perfecte executioni mandatum, prout expreſſe habetur in dicto *Cap. cum ceſſante, de appellat.*

3. Deſtructo ſubjecto, cui conceſſum eſt privilegium, privilegium ceſſat: hæc tamen regula ſolum habet locum in privilegiis perſonalibus, & localibus, nam mortua perſona, vel deſtructo loco, quibus erat conceſſum, privilegium amittitur; *acceſſorium enim ſequitur naturam principalis*; ſecus autem in privilegiis realibus, hæc revera rem ipſam ſequuntur, & ſucceſſive ad illos, qui rem ipſam acquirunt, tranſmittuntur: ita Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 27. Bonac. *tom.* 2. *de leg. in gen. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. Roder. *tom.* 1. *q.* 9. *art.* 4.

4. Deficiente conditione, ſub qua privilegium conceſſum eſt, ipſum etiam privilegium corruit; idcirco privilegia ad certum tempus conceſſa, illo expleto, proculdubio deficiunt, nam cum mens concedentis ſit, ut privilegium dependentiam habeat ab illa conditione appoſita, & tempore præfixo, ideo privilegium deperditur, conditione non adimpleta, ut conſtat ex conceſſione Indulgentiarum, quæ regulariter ſub conditione conceduntur, *ut* v. g. *fiat tale vel tale opus*, ad earumdem conſecutionem; ſi enim illud, quod jubetur, non fiat, indulgentiæ ceſſabunt: Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 5. *n.* 29. Bonac. *tom.* 2. *de leg. in gen. diſp.* 1. *q.* 3. & alii.

Digitized by Google

5. Privilegium abſolute, & abſque ulla limitatione conceſſum, morte concedentis, etiam re integra, non expirat: res integra illa dicitur, quæ in ſuo ſtatu priſtino conſervatur, & tunc deſinit eſſe integra, quando a primo ad alium ſtatum tranſit; idcirco gratia, ſeu privilegium ſub conditione conceſſum, ſi res ſit integra, morte concedentis expirat: ita *ex cap. ſi cui nulla, de Prabend. in 6.* & omnes Canoniſtæ.

6. Per renuntiationem privilegia ceſſant, nam liberum eſt unicuique juri ſuo renuntiare, niſi alias talis renuntiatio ſit in præjudicium alterius, unde Clerici nequeunt privilegio Canonis, aut fori renuntiare; ut conſtat *ex C. Si quis ſuadente Diabolo, & ex Cap. Si deligenti, de foro comp.* nec filii familias in damnum parentum, nec Religioſi in damnum ſuæ Religionis renuntiare poſſunt, & hoc tam ex defectu poteſtatis, quam ex eo quia hujuſmodi privilegia vel jus tertii, vel factum alienum, aut favorem Communitatis concernunt, ut docet Bonac. *de leg. tom. 2. diſp. 1. q. 4. punct. 8.* immo nec Capitulum, nec Communitas, neque Univerſitas juri acquiſito per conſuetudinem, ſtatutum, aut privilegium renuntiare poſſunt, quod ſi contrarium fiat, unus ſolus ſe opponere poteſt: ita *Abb. in cap. 1. de foro comp.* & eſt communis. Renuntiatio tamen debet eſſe voluntaria, & a Principe acceptata, privilegium enim a voluntate concedentis vim habet; quando ergo Superior non acceptat, privilegium ſemper vivit: ut docent Sanch. *lib. 8. de Matrim. diſp. 32.* Bonac. *de leg. diſp. 1. q. 3. punct. 8. §. 4.* & alii. Quomodo autem per revocationem privilegia tollantur, in ſeq. Cap. dicetur.

7. Regularium privilegia non amittuntur *per non uſum*, niſi legitimum tempus ad præſcriptionem occurrerit; ut conſtat ex Gloſſ. *in c. Abb. de Verb. ſignif. & ex c. Cum acceſſiſſent*; ubi ad hoc propoſitum afferuntur verſus ſequentes: *Privatam legem tollit contrarius actus, ſi perſonalis; ſed ſi patet eſſe realis; tunc non perdctur, niſi præſcripſiſſe probetur.* Pro explicatione tamen hujus aſſertionis notandum eſt, privilegia alia eſſe negativa, quibus datur poteſtas ad aliquid non agendum, ut v. g. non ſolvendi decimas; alia affirmativa, quibus datur facultas ad aliquid agendum: hæc autem affirmativa adhuc ſunt in duplici differentia, nam quædam ſunt in præjudicium alterius, ut v. g. tributum imponere, alia vero abſque alterius præjudicio, ut tempore interdicti divinis intereſſe. Privilegia igitur Regularium affirmativa, quæ tertio præjudicium non inferunt, vel etiam negativa *per non uſum* minime amittuntur; affirmativa vero, quæ tertio præjudicant, tunc amittuntur, quando contra illa legitimo tempore præſcribitur; præterea non amittitur privilegium, ſi utendi illo defuit occaſio, abſuit opportunitas, adfuit impedimentum, vel ignorantia facti, non autem juris; ut docet Gloſſ. *in cap. ut privilegia*, Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 4.* Tambur. *tom. 1. diſp. 16. q. 14. n. 4.* & alii.

8. Privilegia comedendi carnes, vel lacticinia in tempore prohibito, vel non recitandi horas Canonicas, aut audiendi divina tempore interdicti, vel audiendi Confeſſiones, & abſolvendi a reſervatis, & ſimilia, quæ etſi prima facie in præjudicium Ordinariorum videantur, attamen in his, quæ quidem potius ſunt in ipſorum Ordinariorum levamen, non præjudicium, ſed animarum ſalus conſideratur, idcirco ſi ſine temporis determinatione conceduntur, nullius temporis præſcriptione, nec per non uſum amittuntur; prout docet S. Thom. in *4. ſent. diſt. 17. q. 3. art. 3.* Idem dicendum eſt de quocumque alio privilegio abſolute gratioſo, & in nullius gravamen conceſſo, ut v. g. de celebrando, abſolvendo, diſpenſando &c. quod per merum non uſum numquam amittitur; quia dato, & non conceſſo, quod Regularium privilegia præfata per non uſum via præſcriptionis poſſent

ſent amitti, ſeu abrogari, hæc tamen abrogatio, vel præſcriptio neque ſciri, neque probari poteſt; ultraquamquod, ſi ego hoc, vel illo privilegio uſus non ſim, facile erit, quod alii ejuſdem, aut alterius Religionis uſi ſint, & mei non uſu non poteſt alteri præjudicare, & quod dictum eſt de toto privilegio, intelligendum etiam eſt de parte illius, quando privilegium plures partes continet: ita Roder. *tom.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 4. *Abb. Cap. cum acceſſiſſent in fine*. Sylveſt. *v. Privil. n.* 11. & alii.

9. Præſcriptio communiter ſumpta, *eſt acquiſitio dominii per continuationem poſſeſſionis per ſpatium temporis a lege deffiniti*; eſt autem duplex, una ſcilicet longi temporis, utputa decem annorum, altera vero longiſſima, videlicet triginta, quadraginta, vel plurium annorum, atque adeo tempus hujus præſcriptionis uniforme non eſt, ut dixi *in cap.* 1. *n.* 8.; ad præſcribendum tamen contra Mendicantes, tempus debet eſſe ſaltem ſexaginta annorum, & hoc ex privilegio Eugenii IV. anno Domini 1434. 7. Kalend. Martii, Pontificatus ſui anno 4. Monachis Sancti Benedicti Valliſoletani conceſſo, & hoc privilegium habetur authenticum in libro Privilegiorum dicti Ordinis, anno 1589. Romæ impreſſo, ut teſtatur Roder. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 3. Portel. *V. privil. declaratio in addit. fol.* 390., quo indulto etiam Ordines Mendicantes, aliique communicantes in privilegiis fruuntur; immo ad præſcribendum contra præfatos Monachos, ac Mendicantes requiritur ſpatium annorum centum, ſicut ad præſcribendum contra Eccleſiam requiritur, tum quia Mendicantes diſpoſitioni Papæ immediate ſubſunt, tum etiam quia ex eodem Eugenio IV. ita extat conceſſum Monaſterio S. Pauli extra Muros; & ex Pio IV. anno 1567. pridie nonas Junii, Pontificatus ſui anno 4. Congregationi Montis Oliveti; ut videre eſt in libro Privilegiorum Ordinis prædicti, Romæ impreſſo anno 1589. *pag.* 802. Tres igitur conditiones neceſſariæ ſunt ad hoc, ut Regulares privilegia amittere poſſint; prima eſt, *præſcriptio centenaria:* ſecunda, *ſcientia privilegii*; & tertia, *voluntas non utendi privilegiis*, quæ omnia ob privilegiorum communicationem ad omnes Regulares extenduntur, prout docent Roder. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 4. Miranda *tom.* 2. *q.* 42. *art.* 4. *concluſ.* 2. & alii communiter; Idcirco privilegiorum Regularium firmitas, ac ſtabilitas nullo modo *per non uſum* hucuſque perdi, vel amitti potuit; nam ultra conditiones prædictas, quæ ad præſcribendum omnino requiruntur, eadem privilegia fere ab omnibus Pontificibus confirmata, & innovata fuerunt, ut cap. præcedenti demonſtratum eſt, vel reſpectu unius, vel alterius Religionis; ac ceteris omnibus per communicationem, ut infra demonſtrabitur.

10. Privilegia negativa, ut ſunt non ſolvendi decimas, exemptionis a juriſdictione Ordinarii, & ſimilia, *per contrarium uſum* amittuntur; nam ſicut lex per actus contrarios ceſſat, ita & privilegium, cum ſit lex privata, unumquodque enim a ſuo contrario corrumpitur; præterea, ex quo privilegiatus in occaſione ſibi oblata, & tempore opportuno, non ſolum omiſit privilegio uti, verum etiam fecit actum illi contrarium, cenſetur, & de jure præſumitur ſuo privilegio negativo renuntiaſſe, ſcilicet ſolvendo decimas, cum eſſet privilegiatus ad non ſolvendum, vel comparendo coram Ordinario, cum ab ejus juriſdictione eſſet exemptus; ut expreſſe dicitur *in cap. Cum acceſſiſſent*, & *cap. Accedentibus*, *de privileg.* & *cap. recepimus:* & docent omnes Canoniſtæ.

11. Ad hoc, ut actus contrarius præjudicet, & privilegia tollat, requiritur ut ſit voluntarius, in tempore debito, efficax, & proprius illius, cujus eſt privilegium; ac proinde defectu primæ circumſtantiæ, ſi privilegiatus agere contra privilegium

cogatur, non amittit privilegium: ſic item ſi ignoret, vel non advertat, ſe privilegium habere, quia ad renuntiandum, & præjudicandum propriis privilegiis, necesſe eſt, ut actus contrarius ſit libere, ſponte, & ſcite factus, nam de ratione voluntatis eſt ut libere operetur, & in præcognitum tendat; ut bene notat Bart. *in l. 1. c. de his, qui ſponte*, *Abbat. in cap. cum acceſſiſſent;* idem procedit, cum quis prævia proteſtatione actum contrarium facit, nam proteſtatio voluntatem renuntiandi privilegio excludit, ut docet Suarez *lib. 8. de leg. cap. 35. n. 3. & 24. cum aliis*. Defectui ſecundæ circumſtantiæ non officit, ut ſi quis v. g. privilegium habeat non ſolvendi collectam in Quadrageſima, & ante, vel poſt illam ſolvat, non ideo privilegium amittit, quia actus contrarius, ut præjudicet, debet fieri a privilegiato in tempore, pro quo datum eſt privilegium; habent enim privilegia determinata tempora; neque actus contrarius factus ab aliquo particulari, qui impotens eſt ad renuntiandum privilegio, officit, nam qui impotens eſt ad renuntiandum, impotens etiam eſt ad deſtruendum; ſic Clericus permittens, ſe a ſæculari Judice judicari, vel ab aliquo percuti, non propterea privilegium Fori, & Canonis amittitur: ſimiliter, ſi Superior Conventus non obligatus ire ad proceſſiones, nihilominus vadat, per hunc contrarium uſum privilegium Ordinis, vel Conventus non perditur, quia hujuſmodi actus contrarius non eſt factus a Religione, vel ab Eccleſia, cujus eſt privilegium; atque adeo Succeſſor reclamare tenetur, antequam præſcriptio currat: ita Roder. *tom. 3. q. 36. art. 3.* Suarez *lib. 8. de leg. cap. 35. nu. 6.* Portel. *v. privil. ceſſatio n. 60. &c.*

12. Per abuſum etiam privilegia amittuntur, ut conſtat *ex cap. licet de Regular. & cap. privileg.* ubi dicitur: *Privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*: quæ jura extenduntur ad omnem privilegii abuſum, qualiſcumque ille ſit, proprie, vel improprie dictus; nam ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere, nec limitare debemus; propoſitio enim indefinita in moralibus æquivalet univerſali: propterea ſi Prælatus legitime petenti licentiam tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, neget, abutitur poteſtate; ſi quis occaſione privilegii immunitatis Eccleſiæ, in ea delinquat, immunitate non gaudet; ſi Canonicus prætextu ſtudiorum, dum abeſt, fructus ſuæ Eccleſiæ recipit, & poſtmodum neglecto ſtudio, vanitatibus vacet, non facit fructus ſuos; item ſi quis in aliquod reſervatum lapſus, alibi, ubi reſervatum non eſt, in fraudem reſervationis ſe conferat, beneficio abſolutionis privatur: ita Suarez *lib. 8. de leg. cap. 36. n. 3.* Layman *lib. 1. ſummæ tr. 4. cap. 23. de leg. quæſt. de privileg. n. 24. §. 7.* & alii. Hujuſmodi tamen privilegii amiſſio propter abuſum poteſt eſſe duplex, altera totalis, & perpetua, ita ut privilegiato in perpetuum uti ſuo privilegio non liceat; altera vero partialis, ita ut pro aliquo dumtaxat tempore, vel loco privilegii poteſtate privetur: ut conſtat *ex Can. privil. 11. q. 3. & cap. Cum in cunctis §. ultim. de elect.*

13. In extrema, vel quaſi extrema neceſſitate privilegia quidem amittuntur, cum neceſſitas legem non habeat: idcirco ſi Magiſtratus vellent compellere Regulares ad ſolutionem alicujus collectæ tempore prædictæ neceſſitatis, & laicorum vires non ſuppeterent, tunc Regulares, conſulto Pontifice, tenerentur laicorum oneribus ſubſidium præſtare: privilegia enim non habent locum in tempore neceſſitatis, ratione cujus ſumma juris præcepta infringi ſolent, & non humana ſolum, ſed etiam divina limitari: ut habetur *in cap. Adverſus, de immunit. Eccl. in 6.* & docent Navar. *Conſ. 5. n. 2.* Genuen. *in pract. Eccleſ. q. 249. n. 5. fol. 293.*

14. Per privilegium novum, antiquum, ſeu præcedens privilegium amittitur,

titur, ſi ſibi ſit contrarium, & quando in novo privilegio de præexiſtente privilegio fit mentio, vel ſaltem per clauſulas generales illi deroget: ſecus autem, ſi privilegium novum nec in ſpecie, nec in genere deroget privilegiis ſibi contrariis, quia ſpecialia privilegia per ſequentem legem generalem minime tolluntur: ut dicitur *in cap. 1. de reſcriptis*, & *ibi* Gloſſ. & *D. D. communiter*.

CAP. VI.

De Privilegiorum Revocatione.

1. SOlus Summus Pontifex revocatione, vel ſententia Regulares privilegiis expoliare poteſt, & etiam ſi ex tali revocatione læſio illis fieret enormis, adhuc hoc non obſtante, valide, ac licite, juſta interveniente cauſa, hujuſmodi privilegiis gratioſis ab eodem, vel a ſucceſſoribus expoliari poſſunt: prout expreſſe definitur in *cap. ſuggeſtum de Decim.* cauſæ autem ad abrogandum privilegia ſunt multæ, inter quas præcipuæ ſunt cauſæ Dei honoris, cultus fidei, favoris Animarum, & publicæ utilitatis: hæ revera dicuntur magnæ cauſæ, ob quas, etiam cum præjudicio tertii, magna revocantur privilegia: ut dicitur *in l. Si quis in gravi*, & docent Sylveſt. *v. privil. num.* 10. & Felin. *in cap. quæ in Eccleſ. de conſtit.* Quod maxime procedit in privilegiis ad Principis beneplacitum conceſſis, vel quæ ejuſdem Principis juriſdictionem concernunt: verum hæc ſine cauſa revocare non licet, prout habetur *in Cap. decet, de Regul. jur. in 6.* & aliter faciens, etſi de jure ejus revocatio ſubſiſtat, nihilominus per accidens peccat ſecundum materiæ gravitatem, ut ratione odii, ſcandali, vel damni illati, nam Princeps non poteſt ſuo ſolo arbitrio, & voluntate, ſine juſta cauſa, rem a ſubdito tollere, & alteri dare, cujus rei dominium, aut jus, vel poſſeſſio penes ſubditum reperitur: ita omnes Canoniſtæ *in Cap. novit, extra de judiciis*; quos ſequitur Suarez *de leg. lib. 8. cap. 37. n.* 10. Merolla *tom. 3. diſp. 6. de privil. cap. 7. dub. 7.*

2. Princeps, qui ex juſta cauſa licite, & valide privilegia revocat gratioſe conceſſa, non tenetur recompenſare damnum, quod ob talem revocationem privilegiati ſunt paſſi; idcirco Regularium privilegia, quæ potius cenſentur nobis gratioſe, & de benignitate Apoſtolica, quam aliunde conceſſa, atque adeo dicuntur Principis beneficia, prout crebro in eiſdem Pontificiis Conſtitutionibus legitur, & expreſſe ponitur: *de benignitate Apoſtolica*: ſine controverſia tam a concedente, quam ab ejus Succeſſoribus, ex juſta cauſa, & abſque onere recompenſationis, valide, & licite poſſunt revocari; prout habetur *in cap. licet de Regul. jur. in 6.* & *ibi* Gloſſ. *comm. recepta*; quicquid aliqui temere in contrarium aſſerant, ſupponentes, privilegia Regularium eſſe conceſſa vel ex cauſa oneroſa, vel per modum contractus, vel ex cauſa meritorum, ac propterea ſine rationabili cauſa, & prævia compenſatione revocari non poſſe, quia in hoc toto cælo errant; etenim quamvis Summus Pontifex dicat, ſe merita Regularium remunerare in privilegiorum conceſſione, id tamen dicit, & facit, non ex obligatione juſtitiæ, ſed ex gratitudine, vel liberalitate: ita Suarez *de leg. lib. 8. cap. 37. num. 9.* Meroll. *tom. 3. cap. 8. num.* 474. & *alii*.

3. Locorum Ordinarii in Regularium approbatione vel conceſſione fundationis, ſeu ædificationis alicujus Eccleſiæ ipſorum exemptorum graviter peccant, inducentes ipſos Regulares exemptos ad juramenta aliqua præſtanda, renuntiationes, & ſubſcriptiones faciendas, comminantes, ſi hæc non præſtiterint, ſe eos non approbaturos vel licentiam non conceſſuros, niſi ſub talibus conditionibus, quæ privilegiis Regularium derogant; ratio eſt, quia faciunt contra jus Canonicum in re gravi: jus

Digitized by Google

Canonicum hoc præcipit *in cap. cum tempore de arbitris*, ubi Innoc. III. ſcribens cuidam Abbati, qui privilegiis renunciaverat, aperte oſtendit dicens: *Cum etſi ſponte volueris, de jure tamen nequiveras ſine licentia Romani Pontificis renunciare privilegiis*; nam privilegia non debent dici lex tantum permittens, ſed etiam præcipiens, unde Regularis non poteſt renunciare privilegio abſque peccato mortali, cum faciat contra præceptum in re gravi, renunciando juri, quod ſuum non eſt, nec unius Provinciæ dumtaxat, ſed totius Ordinis, Eccleſiæ, & Pontificis: ultra quam quod hujuſmodi renunciationes nullius valoris ſunt: privilegiis tamen perſonalibus, abſque præjudicio tertii, renuntiare poteſt: ita *D. D. communiter*.

4. Per generalem privilegiorum revocationem non revocantur Regularium privilegia quamvis apponantur verba generalia, & geminata; ut cum dicitur: *Privilegiis in contrarium penitus derogatis, & excluſis*; nam Regularium privilegia quamdam excellentiam ſortiuntur, ob quam expreſſior generalis requiritur revocatio; etenim duplex eſt privilegii genus; unum, quod privatis conceditur, & eſt odium juris; alterum, quod a Principe conceditur in perpetuum in bonum alicujus communitatis, aut Ordinis Regularis, & hoc æquatur legi, ac ſi in corpore juris inſertum eſſet, & tamquam favor eſt ample interpretandum: ut docent D. Thom. *opuſcul. contra impugnantes Relig. cap. 64. colum. penult.* Jaſon. *in cap. fin. n. 19. & 20. ff. de conſtit.* Marcell. a S. Benedicto *v. privil. in notabilibus*, Tuſch. *tom. 2. concluſ.* 215. *n.* 40.

6. Revocatio quæcumque privilegiorum non abrogat Regularium privilegia, niſi ipſa revocatio Regularibus juridice intimetur; nam citatio, ſeu intimatio eſt unum de ſubſtantialibus ad obſervandum Superiorum mandata, cum ignorantia inculpabilis ſubditos a legis obſervantia excuſet; conſtat etiam ex Bulla Gregorii XIII. incip. *Æquum reputantes*, Societati Jeſu conceſſa Anno 1572. & habetur in Bull. Rom. Laertii Cherub. quæ eſt prima inter Conſt. dicti Pontificis *tom. 2. fol.* 361. ubi ſtatuit, ut nulla abrogatio ſub quavis ampliſſima forma præjudicet privilegiis præfatæ Societati conceſſis, niſi prius intimata, & inſinuata fuerit. Doctoribus autem judicandum relinquo, an ex vi dictæ Bullæ trina intimatio ſit neceſſaria in omnibus Regularium privilegiis revocandis, ſicut aliqui opinari videntur; privilegium quidem præſatum omnes alios Mendicantes comprehendit, ob mutuam privilegiorum communicationem.

7. Quamvis dictum eſt ſuperius, quod per revocationis verba quantumvis generalia, & geminata, non revocantur Regularium privilegia, niſi de eis mentio fiat de verbo ad verbum: verumtamen ſufficienter ipſis derogatur, dicendo: *Volumus tales litteras haberi pro expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum insererentur*, ut habetur in Clementina 1. & 2. *de ſepult.* & ſtylus Curiæ hoc obſervat: nam Romani Pontifices non poſſunt ſibi, aut Succeſſoribus ligare manus, ut non valeant abrogare a ſe, vel a Prædeceſſoribus conceſſa, niſi litteræ inſerantur, cum id aliquando impoſſibile judicetur ob multitudinem, ac ignorantiam tantorum peculiarium privilegiorum: ita Mandoſ. *Regul. Cancell. 13. q. 8. num. 6. & alii relati a* Roder. *tom. 1. q. 9. art. 6.*

8. Clauſula illa: *modo non ſint revocata*, in privilegiis appoſita non comprehendit privilegia ab uno Pontifice revocata, ſed poſtmodum a Succeſſore confirmata in forma ſpecifica, ſcilicet, *ex certa ſcientia*, vel *de plenitudine poteſtatis*, quæ privilegia alias nulla, vel revocata revalidat: ratio eſt, quia cum per ſubſequentem confirmationem revalidata ſint, revocationi ſublatæ non amplius ſubduntur: quare ad ſummum ea clauſula, *modo non ſint revocata*, appoſita

a Pau-

Digitized by Google

a Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. in privilegiorum confirmatione habebit effectum reſpectu revocatorum poſt Clementem VIII. quia iſte omnia privilegia, etiam alias revocata, in forma ſpecifica confirmavit, prout conſtat ex Bulla, quæ incipit: *Ratio Paſtoralis officii*: & eſt 51. inter Conſt. ipſius Pontificis apud Laertium Cherub. *tom. 3. Bull. Rom.*

9. Cum privilegia non ſubditis conceſſa, & ab eiſdem acceptata, nullatenus poſſint a Principe revocari, idcirco Principes ſæculares nequeunt revocare privilegia Eccleſiæ, vel perſonis Eccleſiaſticis ab ipſiſmet elargita, quia privilegia Eccleſiæ, & ejus Miniſtrorum a dictis Principibus conceſſa ſunt ob remunerationem beneficiorum ſpiritualium, quæ eorum ditiones ab Eccleſia, & ejus Miniſtris recipiunt, ideo remuneratorium revocari nequit: tum quia Principum privilegia in favorem Clericorum conceſſa, cum a Summo Pontifice approbata, & confirmata ſint, per alium revocari minime poſſunt: prout concorditer D. D. affirmant, & præcipue Suarez *de leg. lib. 8. cap. 37. num. 2.* Sanch. *de Matrim. lib. 8. diſp. 33.* Victoria *de poteſt. Eccleſ. relect. 1. ſect. 7. propoſ. 7.* Bellarm. *tom. 1. p. 2. cap. 2. col. 3.*

10. Privilegia ſubreptitie, vel obreptitie obtenta poſſunt utique a Principe revocari, ut conſtat ex *cap. litteris*, *& cap. reſcripta*: ubi dicitur, *quod mendax peccator debet carere impetratis*: nam in quolibet privilegio ſubintelligi debet, etiamſi non exprimatur, hæc conditio: *ſi preces veritate nitantur*: ita definitur in *cap. 2. de reſcriptis*, *& ibi* Gloſſ. *v. conditio*: ubi multa referuntur jura, quibus oſtenditur, nullum & invalidum eſſe privilegium, ex eo, quod impetrans falſam cauſam ſuggeſſit, ob quam, ut verum, hujuſmodi privilegium fuit conceſſum: & docent Sylveſt. *v. Privil. q. 10.* Miranda *tom. 2. q. 45. art. 2. conclu. 1. & alii.*

11. Ex juſta cauſa, & propter commune bonum poteſt Princeps revocare privilegium per modum oneroſi contractus conceſſum, nam quemadmodum poteſt in tali caſu ſubditum ſuis bonis privare, ſic pariter poterit, non obſtante contractu, privilegium revocare: tenetur tamen de ablato privilegio ſubdito compenſationem facere, ſi commode poſſit ante, vel ſaltem poſt privilegii revocationem: ut docent Felin. *in cap. quæ in Eccleſ. num. 28. de Conſtit.* Menoch. *de arbitr. lib. q. 48.* Sanch. *lib. 8. de Matrim. diſp. 33. num. 9.*

12. Privilegia remuneratoria ex debito juſtitiæ a Principe elargita, quæ revera ſapiunt naturam contractus oneroſi, ita ſunt valida, & irrevocabilia, ut nec in caſu neceſſitatis poſſint ab eodem revocari, niſi cauſa juſta cognita, cum compenſatione debita, & abrogati privilegii expreſſa mentione; quod habet locum, nedum in concedente, ſed etiam, in Succeſſore, quia Succeſſor tenetur ſervare pacta, & contractus ſuorum prædeceſſorum: ita Sanch. *cit. lib. & diſp. num. 4.* Ad hoc, ut privilegii donatio cenſeatur remuneratoria, quando merita in ipſo non ſunt expreſſa, ſufficit pro foro interno, quod probetur merita præceſſiſſe, ut habetur *in l. Si vero*, *l. Si donatione*, & docent Navar. *in ſum. cap. 27. num. 146.* Sanch. *lib. 6. de Matrim. diſp. 6. num. 13.*

13. Privilegia remuneratoria a Principe conceſſa ob ſervitia, & obſequia a ſubditis non liberaliter exhibita, ſed aliunde debita, quorum cauſa Princeps privilegia eiſdem diſpenſavit non ex debito juſtitiæ, ſed ex benevolentia, & gratitudine, poſſunt ex juſta cauſa revocari: quæ quidem cauſa debet primario, non autem ſecundario, publicam utilitatem reſpicere; ob hujuſmodi tamen revocationem non debetur compenſatio ex juſtitia, ſed tantum ex benevolentia, ſicut enim prior remuneratio ex gratitudine fuit, ita & compenſatio ex benevolentia erit: ut docent Bald. *in l. donationes*, *& l. 2.*

Digitized by Google

c. de quibus muner. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 6.

14. Privilegia Bullæ Cruciatæ, quæ revera per modum contractus conceduntur, ſcilicet mediante pecunia pro fidei defenſione impendenda, niſi ex juſta cauſa publica, cum debita compenſatione, & expreſſa revocatione privilegiorum, etiam per modum contractus conceſſorum, revocari minime poſſunt in Anno Jubilæi, quod in quolibet vigeſimo quinto anno Romæ conceditur, & per totum Orbem publicatur: ut docent Sanch. *de Matrim. diſp.* 33. *num.* 10. Portell. *v. Bull. Cruciat. in fine*. Navar. *de Indulg. notab.* 33. *num.* 51. Ludovic. a Cruce *in expoſit. dictæ Bullæ diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 6. Dian. *p.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 97. *aſſerentes ita a Sede Apoſtolica declaratum fuiſſe*. Nec te moveat, quod cum agitur de modico præjudicio, tunc in generali privilegiorum ſuſpenſione veniant etiam privilegia per modum contractus conceſſa; nam id, quod pro Bulla Cruciatæ datur, licet reſpectu ſingulorum donantium ſit quid modicum, reſpectu tamen totius ſummæ datæ, quæ ſingulis annis pro Bullæ eleemoſina contribuitur, magnum quidem eſt: ita Merolla *tom.* 3. *de privil. cap.* 7. Bonac. *tom.* 2. *de leg. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. *§.* 3. *num.* 13. *& alii*.

15. Cum privilegia Ordinum Mendicantium ſint perpetua, & realia, ita ut numquam ſuſpenſa cenſeantur, niſi in ſpecie ſuſpendantur, idcirco per Bullam Cruciatæ neque ſuſpendi, neque invalidari poſſunt; nam privilegia perſonalia, ut ſunt privilegia præfatæ Bullæ, non habent vim ſuſpendendi, vel invalidandi privilegia realia: atque adeo Regulares, ſive ſint Prælati, ſive ſubditi poſſunt uti privilegiis, reſpective ſibi conceſſis, lucrarique Indulgentias in illis Regnis, ſeu ditionibus, ubi prædicta Bulla prædicatur, etiamſi eamdem non habeant, dummodo privilegia, quibus uti velint, Sacri Concilii Tridentini Decretis non ſint contraria: ita Tambur. *de jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 16. Miranda *tom.* 2. *q.* 45. *art.* 7. Ludovic. a Cruce *in expoſ. dictæ Bull. diſp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 8. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 12. *ſupplem. Ord. p.* 1. *fol.* 60. *conceſſ.* 177.

16. Privilegia Regularibus conceſſa, quæ per ſe principaliter, & immediate eorumdem Ordinum auctoritatem, Eccleſiarumque favorem concernunt, licet ſecundario, & conſecutive in laicorum beneficium cedant, per Bullam Cruciatæ nec tolluntur, nec ſuſpenduntur, quia, ut dictum eſt, privilegia realia non invalidantur per perſonalia: etenim in omnibus gratiis, & privilegiis cauſa finalis, & principalis debet attendi, & examinari, non autem cauſa ſecundaria, & impulſiva; idcirco Confeſſarii Mendicantes, & qui cum eis in privilegiis participant ab Ordinario approbati, non obſtante dicta Bulla, in vim ſuorum privilegiorum poterunt, non ſolum ſæcularium vota, & juramenta commutare, & pœnitentes abſolvere, ſed etiam in eorum Conventibus Euchariſtiam miniſtrare, nam hæc privilegia, & ſimilia principalius, & immediate auctoritatem Eccleſiarum, & favorem Religionum reſpiciunt: ſi autem privilegia principaliter, & directe concernant laicorum favorem, & minus principaliter Religioſorum commodum, tunc pro ſæcularibus eadem ſuſpenduntur, per illam generalem in dicta Bulla privilegiorum ſuſpenſionem, ac proinde Indulgentia plenaria v. g. viſitantibus Eccleſias noſtras in die Sancti P. N. Franciſci conceſſa, pro ſæcularibus ſuſpenditur in illis regionibus, ubi Bulla prædicatur, ita ut ſine dicta Bulla nequeant præfatam Indulgentiam plenariam lucrari; Religioſi tamen, etiamſi Bullam non habeant, illam lucrantur, & hoc ideo, quia illa ſuſpenſio privilegiorum generalis, non eſt exceptio gratiarum concernentium Religioſos primario, & laicos ſecundario, ſed vice verſa: idem dicendum eſt de privilegiis deferentium habitum tertii Ordinis noſtri, vel alio-

rum

Digitized by Google

rum Ordinum, qui ſine dicta Bulla minime poſſunt indulgentias lucrari, cum hæc privilegia, ut dixi, perſoralia ſint, ac per eamdem Bullam ſuſpendantur: ita Sanch. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 62. Navar. *in comm. de indulg. notab.* 31. *num.* 21. Roder. *in expoſ. dictæ Bullæ* §. 12. *num.* 4. *& tom.* 1. *q.* 61. *art.* 14. Graff. *in append. ad deciſ. lib.* 1. *cap.* 7. §. 9. *num.* 65. *& alii comm.*

17. Anno Jubilæi magni, quod, ut dixi *num.*14. in quolibet vigeſimo quinto anno Romæ conceditur, & per totum Orbem publicatur, quinque præcipue ſuſpenduntur, & Regularibus prohibentur: omnis ſcilicet Indulgentia plenaria, auctoritas vota commutandi, facultas diſpenſandi, vel commutandi male ablata incerta, poteſtas Confeſſarios inſtituendi, & poteſtas abſolvendi a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, prout habetur *in extravag.* Sixti IV. *in cap. quemadmodum, de pœnit. & remiſſ.* Inſuper idem Pontifex Mendicantium privilegia reſtringit, & contra tranſgreſſores pœnas appoſuit; poſſunt tamen Regulares Indulgentias non plenarias lucrari, de rebus incertis, abſque ullà culpa obtentis componere, Confeſſarium eligere pro abſolutione in foro conſcientiæ; quia conſtitutio odioſa non debet extendi niſi ad expreſſa, elapſo autem Jubilæi anno præfata ſuſpenſio tollitur: ita Navar. *de indulg. notab.* 28. *num.* 13. Verum quia non uno, eodemque modo, ſed cum ampliſſima, vel limitata poteſtate Romani Pontifices ſolent Jubilæa indicere, non erit inutile Bullas attente legere, & præcipue Bullam indictionis Jubilæi, ejuſque ſingula quoque verba diligenter notare: ut docent Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 62. cum aliis multis, quos citat Diana *part.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 100.

18. Quoad abſolutionem Religioſorum multa extant Regularium privilegia, quibus eorum Prælatis datur facultas abſolvendi ſubditos a caſibus Papæ reſervatis, & in Bulla Cœnæ contentis, aliquibus exceptis, ut infra *tract.* 2. 3. *&* 4. dicetur, ut conſtat ex Mari magno Sixti IV. quod incipit: *Regimini Univerſ. Eccleſiæ*, & ex Bull. S. Pii V. anno 1571. Patribus Caſſinenſibus conceſſa, & ex alia Gregorii XIII. Patribus Societatis Jeſu anno 1584. conceſſa, & habetur in comp. privileg. dictæ Societatis *V. abſolutio* §. 7. & docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *cap.* 21. *num.* 2. & alia ſimilia refert Caſarub. in comp. privileg. *v. abſolutio*. Idcirco ſicut Bulla Cœnæ, non obſtante ſua rigoroſa revocatione, minime tollit, quominus valeant privilegia Bullæ Cruciatæ, ad abſolvendum a caſibus ejuſdem Bullæ Cœnæ, exceptis illis, quæ in dicta Bulla Cruciatæ exprimuntur, prout omnes docent, ſecus autem fideles deciperentur in illius receptione, quod non eſt dicendum; ita nec poterit tollere Regularium privilegia, quæ validiora ſunt, ſaltem quoad forum conſcientiæ, & quando delicta ſunt occulta, hæc enim nulli præjudicium inferunt, nam pro quiete animarum, & ad tollendos Religioſorum diſcurſus fuerunt conceſſa: alias mens Pontificis defraudaretur, & Religioſorum ſtatui non eſſet bene proviſum, eſſent enim in continuo motu, non ſine ſcandalo, & diſpendio, prout docet Souſa ſup. Bull. Cœnæ *diſp.* 100. *num.* 2. & alii communiter, ultraquamquod patet etiam ex lectura textus Bullæ, ibi enim prohibetur abſolvere, & diſpenſare ſub prætextu, non autem virtute privilegiorum, quæ de facto vere, & realiter dant facultatem abſolvendi, etiam a caſibus Bullæ Cœnæ, eo modo quo ſupra; prætextus enim eſt velamen, quo ſe movere quis ſimulat ad aliquid agendum, idcirco non excludit illud, quod vera, & legitima facultate fit, prout in caſu noſtro contingit: ita Gonzal. *in leg.* 8. *Cancell.* Gloſſ. 57. *num.* 2. Suarez ut ſup. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *& alii.*

19. Quod attinet ad limitationem, vel

vel revocationem privilegiorum Regularium, pluries a Summis Pontificibus, ſacriſque Conciliis, præſertim Tridentino factum, videatur in cap. præcedentibus 4. & 5. & in libro intitulato : *Bullæ Clem. VIII. & Urbani VIII. necnon Decreta recentiora S. Congregationis Regularium fol.* 190. ubi multa hujus generis habentur, & clare demonſtrantur.

CAP. VII.

De Revocatione Oraculorum vivæ vocis.

1. Conſueverunt nonnumquam Summi Pontifices privilegia aliqua, & gratias non in ſcripto, ſed oretenus concedere, & hæc vivæ vocis oracula dicuntur, quorum plura habentur in Bullario Emmanuelis Roderici, præſertim in Vita Leonis X. qui 77. vivæ vocis oracula, fere omnia Minoritis conceſſit; aliquando hujuſmodi oracula proprio motu Principis, interdum vero ad partis inſtantiam conceduntur : cum igitur inſtante parte obtinentur, fere ſemper ibidem ponitur teſtimonium perſonæ impetrantis, quæ regulariter, ut ei magis credatur, debet eſſe perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta.

2. Quodcumque privilegium, vel indultum quomodocumque vivæ vocis oraculo conceſſum, ad ſui validitatem pro foro conſcientiæ eorum, qui præſentes fuerunt, quando a Summo Pontifice fuit elargitum, de jure ſcriptura non indiget; nam oracula ſunt gratiæ, & donationes, atque adeo gratiarum, ac donationum naturam ſortiuntur, pro validitate autem iſtarum ſcriptura non requiritur, ut colligitur *ex Clement. Dudum, de Sepult.* & docent Roder. *tom. 3. quæſt.* 22. *art.* 1. Sylveſt. *v. privil. n.* 14. Sanch. *de Matrim. diſp.* 29. *num.* 4. Lezana *part. 3. ſummæ, v. gratia n.* 13. Pro foro tamen externo, & pro his, qui fuerunt abſentes, ſcriptura omnino neceſſaria eſt, ut dicitur *in. Extravag.* Julii II. *incip. Romani Pontifices, & in Regul.* 51. *Cancell.* & docent Suarez *lib. 8. de leg. cap.* 11. Sanchez *de Matrim. lib. 8. diſp.* 23. Bonac. *de leg. tom.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 49. Quandoquidem nequeunt probari oracula, niſi per ſcripturam, in forma authentica habitam.

3. Vivæ vocis Oracula non ſunt minoris efficaciæ, & valoris, quam ſi per Bullam, aut Breve ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa, & hoc ſaltem quoad forum conſcientiæ, prout Leo X. nobis Minoribus conceſſit, & habetur in ſupplem. *conceſſ.* 361. *fol.* 18. & refert Roder. *tom. 1. q. 7. art. 5. in fine*; immo majoris valoris, & efficaciæ ſunt, quam aliæ Conſtitutiones Papales, ſi ſint ſicut oportet; quia revocatis aliis privilegiis, non intelliguntur revocata oracula, niſi in ſpecie revocentur: ita docent Peyrin. *tom. 1. privil. Minim. in Conſt.* 4. Julii II. *§. 3. num.* 26. Bordon. *de Oracul. reſ. 31. q. 1. num.* 1. Lezana *p. 1. Summ. cap. 3. num.* 21. Portell. *in dub. Regul. v. Oracula fol.* 1005. *& alii*.

4. Quæcumque privilegia, gratiæ, facultates, & indulta a Summis Pontificibus vivæ vocis oraculo conceſſa, tam quoad forum interius, quam quoad exterius ſpectantia, fuerunt revocata a Gregorio XV. *die 2. Julii* 1622. *Pontificatus ſui anno* 2. Bulla, quæ incipit; *Romanus Pontifex in ſpecula*, eſtque 27. dicti Pontificis in Bullario Laertii Cherub. *tom.* 4. Et quamvis in hujuſmodi revocatione excepit ea oracula, quæ conceſſa fuiſſent ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & ea quæ manu alicujus S. R. E. Cardinalis firmata fuiſſent; poſtea tamen Urbanus VIII. *die* 20. *Decembris anno* 1631. expedivit alium motum proprium, qui incipit: *Alias fel. record.* qui habetur apud Peyrinum in additam. ad Conſtitut. 18. Urbani VIII. *cap.* 12. & apud Cherub. *tom.* 4. in quo omnia vivæ vocis oracula revocavit, declarando tamen prædictam ſuam revocationem non comprehendere illos Officiales, quibus ratione munerum ſuorum, antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi ſole-

Digitized by Google

ſolebat; quot autem, & quales ſint hujuſmodi Officiales, infra *num.* 12. explicabitur; neque ſub ea revocatione comprehenduntur oracula in futurum concedenda, etenim revocatoriæ Gregorii, & Urbani loquuntur de conceſſis, non autem de concedendis, ut bene notat Lezana *in ſumm. p. 3. v. gratia num.* 13. nam Pontifices non poſſunt ſuis Succeſſoribus ligare manus, ut non valeant oracula vel concedere, vel revocare.

5. Notandum tamen valde eſt, quod præcedentes Gregorii XV. & Urbani VIII. revocationes non intelliguntur de vivæ vocis oraculis, quæ Regularibus conceſſa fuerunt a Summis Pontificibus ante diem 29. Aprilis anni 1616. ſed de illis dumtaxat, quæ exinde conceſſa ſunt, ab anno ſcilicet prædicto uſque ad tempora Gregorii XV. & Urbani VIII. qui Bullas revocatorias oraculorum ediderunt, atque adeo Regulares tuta conſcientia tam quoad forum externus, quam quoad interius poſſunt uti privilegiis vivæ vocis oraculo a Summis Pontificibus ante annum 1606. conceſſis uſque ad Paulum V. qui in ſua peculiari Conſtitutione, quæ incipit: *Injuncti nobis*; & inter præfati Pontificis Conſtitutiones eſt in ordine 19. apud Laertium Cherubinum *tom. 3. Bullarii Romani anno* 1617. *edito*, illa omnia innovavit, & de novo conceſſit, dicens: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula privilegia &c. per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem, ſub quacumque verborum forma, & expreſſione, etiam per ſolam ſignaturam, & vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet conceſſa &c. quorum tenores &c. ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus &c. Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus* &c. Prædeceſſores etiam Pauli V. videlicet S. Pius V. in Conſtit. incip. *Etſi Mendicantium Ordines*; apud Jo: Baptiſtam Confetium *in collect. liter. Apoſtolic. fol.* 267. & eſt in ordine 41. apud Cherub. *tom.* 2. *Bull. Romani*; Gregorius XIII. in Conſtit. incip. *Regimini Militantis Eccleſiæ* apud Peyrinum *tom.* 2. *conſtit.* 1. dicti Pontificis edita pro Minimis, & alia omnino ſimili edita pro Minoribus, quæ incipit: *Ex benigna* apud Confetium prædictum *fol.* 247. & tandem a Clemente VIII. in Conſtit. ſua 51. apud Cherub. *tom. 3. Bull. Rom.* & apud Confetium *fol.* 237. quæ incipit: *Ratio Paſtoralis Officii*; ſub eadem forma, & expreſſione in præfata Bulla Pauli V. contenta, approbarunt, confirmarunt, ac innovarunt omnia, & ſingula vivæ vocis oracula a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis Regularibus conceſſa, atque adeo habito reſpectu ad oracula, vel mentione facta de illis, proculdubio approbationes, confirmationes, & innovationes prædictæ ſuper privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis, manifeſte oſtendunt, ea amplius non eſſe vivæ vocis oracula, ſed privilegia motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine per Bullas Apoſtolicas conceſſa, munita, & roborata: ut docent Peyrinus *tom. 3. in Conſtit.* 18. Urbani VIII. *num.* 1. *in ſchol.* quem citat Diana *p. 5. tr. 24. reſol.* 17. Hurtad. Martinus a S. Joſeph *de privil.* Soria *in Sum. de Regul. dub.* 1. Lezana *tom. 3. v. Oraculorum num.* 7. Murcia apud Dian. *p. 9. tr. 7. reſol.* 71. Bord. *reſol.* 31. *num.* 4. Hieronymus Garcia, Vidal, aliique permulti, quos refert. Diana *citat. part.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 24. aſſerentes, ſupradictas expreſſiones, & confirmationes vim novæ conceſſionis habere, ut clarius in ſequenti demonſtrabitur.

6. Nec obſtat dicere, quod per confirmationem non mutatur natura, & conditio rei, alioquin non eſſet confirmatio, ſed nova productio alterius diverſæ,

verſæ, & quod effectus hujuſmodi confirmationis eſt, ut illa Oracula firmentur, ſuamque vim, & effectum habeant, ſed in ſua propria natura, non autem ut in naturam, ac denominationem privilegii bullati tranſeant. Nam reſpondetur, quod quando in Bullis Pontificiis ponitur illa clauſula: *Quorum tenores &c. ac ſi de verbo ad verbum infererentur, & in his eſſent inſerta:* operatur, ut confirmatio, & innovatio ſint ex certa ſcientia, quæ clauſula vim novæ conceſſionis proculdubio habet, cum verba præfata individuam omnium expreſſionem cum ſuis qualitatibus exprimant, ut docent Riccius *collect.* 949. Tuſchus *v. clauſula, concluſ.* 339. Felin. *in cap. Nonnulli, de reſcript. num.* 6. Pariſius *l.* 8. *de reſig. q.* 7. *num.* 183. Farinac. *tom.* 1. *p.* 2. *deciſ. Rotæ deciſ.* 339. *num.* 3. Sed ſic eſt, quod in Conſtitutionibus prædictis S. Pii V. Gregorii XIII. Clementis VIII. & Pauli V. ubi agitur de privilegiis, etiam vivæ vocis oraculo conceſſis, habentur illa verba expreſſa, ut patet eaſdem Conſtitutiones legenti: ergo operantur, ut confirmatio, & innovatio privilegiorum vivæ vocis oraculo motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſorum, habeant vim novæ conceſſionis per Bullas Apoſtolicas firmatæ, & roboratæ, veluti in omnibus, & ſingulis citatis conſtitutionibus expreſſe privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, cum memoratis clauſulis confirmata, ac innovata reperiuntur.

7. Neque rurſus obſtat dicere, quod quando oracula alias Regularibus conceſsa, iterum cum prædictis clauſulis conceduntur, habito tamen reſpectu ad præterita, & facta mentione eorumdem, ſic confirmata remanent oracula, ut prius, ac per conſequens expreſse a Gregorio XV & Urbano VIII. revocata; nam reſpondetur, id eſse falſum; ſiquidem ipſi adverſarii fatentur, quod clauſulæ præfatæ in privilegiis poſitæ operantur, ut ample debeant declarari, & interpretari eadem privilegia, deinde juri communi ſibi contrario derogant, privilegia revocata reſtituunt, infirma firmant, invalida validant, defectum ſolemnitatis omiſsæ ſupplent, vim novæ conceſſionis, & confirmationis habent, atque adeo naturam mutant; ita ut privilegia vivæ vocis oraculo conceſsa, & a Summis Pontificibus S. Pio V. Gregorio XIII. Clemente VIII. & Paulo V. cum præfatis clauſulis confirmata, non poſſint in dubium amplius revocari: ita *in cap. in primis, cauſ.* 2. *q.* 1. & *Cap. Hæc quippe, q.* 6. *cap.* 1. *de tranſact. Cap. Si Apoſtolicæ, de Præbend. in* 6. *Rota Romana per* Coccinum *deciſ.* 166. *num.* 1. & 10. Navar. *conſil. lib.* 1. *conſil.* 34. *Abb. cap.* 9. *de re judicata*, Barboſa, *de clauſulis num.*18. *item Rot. Rom.* Serafin. *deciſ.* 1082. *vide ſupra cap.* 4. *clauſ.* 2. 3. 4. & 9.

8. Denique multo minus obſtare poteſt clauſula illa: *Non obſtantibus quibuſcumque &c.* in bullis revocatoriis Gregorii, & Urbani appoſita, quæ ſi aliam declarationem, vel interpretationem admitteret, ſeu permitteret, fruſtra Bullæ prædictæ Gregorii XV. & Urbani VIII. emanaſsent; nam reſpondetur, nos id non dicere, ſed ſolum affirmare, & probare, oracula vivæ vocis Regularibus a ſummis Pontificibus conceſsa uſque ad Gregorii, & Urbani reſpective tempora, ac per præfatos Pium V. Clem. VIII. & Paulum V. *in forma ſpecifica* confirmata, & roborata, ut manifeſte ex ipſorum, & præcipue Clementis VIII. conſtitutionibus patet, per memoratas Gregorii, & Urbani Bullas minime fuiſse revocata, ſeu annullata; ſed dumtaxat revocari, ſeu annullari oracula illa, quæ poſt confirmationem a Paulo V. factam, ut dictum eſt, conceſsa fuere; ſiquidem illa clauſula: *Non obſtantibus*: in Bullis revocatoriis appoſita, etiam in Bullis confirmatoriis Pii, Gregorii, Pauli, & Clementis ſupradictorum prius appoſita fuit; idcirco, cum effectus præcipuus iſtius clauſulæ ſit, tol-

tollere omnia, quæ diſpoſitioni, in qua eſt appoſita, obſtare poſſent, etiam juri communi derogando, ut fatentur omnes, proculdubio confirmatio prædicta oraculorum vim novæ conceſſionis per Bullas Pontificias habuit, ac proinde ea oracula nec poſſunt, nec debent amplius appellari oracula, ſed revera ſunt privilegia bullata, atque adeo ſicut Bullæ Greg XV. & Urb. VIII. oraculorum revocatoriæ certe non revocarunt cetera privilegia in Bullis Pii, Gregorii, Clementis, & Pauli præfatorum contenta, ita neque iſta, de quibus eſt ſermo, quia etſi aliquando oracula fuerunt, per confirmationes tamen, & innovationes dictorum ſummorum Pontificum in privilegia bullata, ſicut & cetera, tranſierunt; *taciti enim, & expreſſi, ſive connexorum idem eſt judicium.*

9. Præfatæ conſtitutiones oraculorum revocatoriæ tamquam pœnales, & odioſæ nullo modo ſe extendunt ad illa vivæ vocis oracula indulgentias concedentia, ſive ante, ſive poſt revocationem hujuſmodi oracula conceſſa fuerint, cum odia ſint reſtringenda, & beneficia amplianda: *ex cap. odia, de regul. juris in 6.*; indulgentiæ enim nec nominantur, nec venire commode poſſunt nomine privilegiorum, ſed ſunt omnino diverſa, & a diverſis non fit illatio; propterea numquam intelliguntur revocatæ, niſi in ſpecie revocentur: ut docent Navarr. *in comment. de Jubilæo, & Indulg. in §. ex Levitico, de pœnit. diſt. 1. notab.* 28. *n.* 27. *& notab. 33.* Roder. *tom.* 2. *q.* 98. *art.* 4. Fauſt. *de Jubil. & anno ſancto lib.* 3. *q.* 79. Peyrinus *tom.* 3. *privil. Minim. ad Conſtit. Urbani VIII. cap.* 12. *num.* 1. *in fine*. Bord. *reſol.* 31. *q.* 4. & alii. Neque in anno Jubilæi, in quo ſolæ indulgentiæ plenariæ revocantur, aliæ non plenariæ revocatæ intelliguntur, quia ſumus in odioſis, quæ omnino reſtringenda ſunt: ita Nav. *ubi ſupra*.

10. Oracula vivæ vocis, quibus Summi Pontifices privilegia Regularibus conceſſa, aut decreta Apoſtolica, aut Sacros Canones, vel Tridentini decreta, vel aliorum Conciliorum explicant, aut declarant, in prædictis revocatoriis non intelliguntur revocata; nam Summi Pontifices ea ſolum oracula revocare intendunt, quæ ſiniſtra interpretatione in detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ad non extendenda extenduntur; hujuſmodi autem declarationes Pontificiæ oretenus factæ non ſunt præjudiciales, ſed neceſſariæ, & utiles: ita Peyrin. *in* 2. *tom. privil. Minim. Conſtit.* 8. Pauli V. Gomez *in regul. Cancell.* Lezana *tom.* 1. *Summ. cap.* 3. *num.* 21. Novar. *in lucerna Regul. v. privilegium num.* 4. Bord. *reſol.* 31. *q.* 7. *num.* 7.

11. Per præfatam Bullam Gregorii XV. Oraculorum revocatoriam minime revocantur conceſſiones vivæ vocis oraculo factæ, quæ ante eam ſuum effectum ſortita fuerunt, prout in eadem Bulla in calce §. 1. dicitur: *In iis, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium revocamus*; ergo per argumentum a contrario ſenſu, illa, quæ effectum ſortita ſunt, non revocantur, exceptio enim firmat regulam in contrarium; etiamſi hujuſmodi effectus habeat tractum ſucceſſivum, ſcilicet pro futuro tempore, ſicut S. Congregatio negotiis Regularium præpoſita die 2. Aprilis 1625. declaravit, & refert Peyrinus *tom.* 2. *privil. Minim. Conſtit.* 3. Gregorii XV. *num.* 1. Lezana *tom.* 1. *qq. regul. cap.* 3. *num.* 21. Bordon. *reſol.* 31. *q.* 8. quod procedit, nedum reſpectu Oraculorum, quæ fuerunt conceſſa Generalibus, Commiſſariis, & Procuratoribus generalibus pro regimine Ordinum, quibus præſunt; verum etiam reſpectu eorum, quæ perſonas particulares reſpiciunt: nam facultates, ac juriſdictiones a legitimo Superiore conceſſæ, ita radicantur in perſona, cui primo, & immediate conceduntur, ut etiam re integra poſt mortem concedentis permaneant, & deperdi non poſſint, niſi a Superiore clare, & legitime revocentur, *juxta Regul. juris:* *Quod noſtrum eſt, ſine noſtro velle,*

aufer-

Digitized by Google

auferri non poteſt : nec per Conſtitutionem Urbani VIII. dicta oracula revocantur, etiamſi effectum pro tempore futuro reſpiciant, cum id in ea Conſtitutione non exprimatur; ſi enim Pontifex prædictus voluiſſet in hoc Conſtitutionem Gregorii coarctare, debebat illud declarare, idcirco cum ſimus in odioſis, ad caſus non expreſſos Conſtitutio Urbana non debet extendi: ita Peyrin. & Lezana ubi ſupra, Novar. *in lucer. Regul. v. privilegia num.* 4. *fol* 205. & alii.

12. Dictum eſt jam ſupra *num.* 4. quod Urbanus VIII. die 20. Decembris anni 1631. expedivit motum proprium, in quo declaravit, Conſtitutiones Oraculorum revocatorias, ſive a ſe, ſive a Gregorio XV. factas, non comprehendere illos Officiales, quibus ratione munerum ſuorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi ſolebat; idcirco neceſſarium eſt hic eorum nomina, ſeu miniſteria adnotare; ſunt enim multi, ac diverſi, videlicet S. R. E. Camerarius, Vicecancellarius, Datarius, Prothonotarii, litterarum contradictarum Auditores, & Apoſtolici Palatii Auditores, litterarum Apoſtolicarum Correctores, & Scriptores, Major Pœnitentiarius, Abbreviatores; nec non Commenſales, & Cappellani Summi Pontificis, Legati quoque, ſive Nuncii, ac in terris Eccleſiæ Romanæ Rectores, & Theſaurarii; prout adnotantur *in Extravag. ad Regimen*; *de Præbend. & Dignitat. in* 6. & de quibus ſingulis agit Card. Tuſchus, *v. Officialis*, *concluſ.* 82. *num.* 6. & 16.

13. Quamvis in dicta *Extravag. ad Regimen*, Protector Ordinis inter Officiales Papæ non numeretur, in Religionem tamen ſibi commiſſam, juriſdictionem exercet, tamquam Miniſter Papæ, aut nomine, vel auctoritate ipſius, qui omnium Religionum Generaliſſimus eſt, & ideo credendum eſt oraculis ejuſdem, editis in favorem Religionis, quam protegit, non autem aliis, quæ utilitatem ipſius non concernunt: ita colligitur ex eadem *Urbana Conſtitutione*, & docet Peyrin. *in ſuo formul. Præl. Regul. litt. Z. cap.* 3. *append.* 4. *ad* Urbanum VIII. *num.* 2. *fol.* 726. Generales autem Ordinum, ſi ultra poteſtatem Ordinariam, non habeant aliam ſpecialem ipſis a D. Papa conceſſam v. g. ſi ſint Commiſſarii Apoſtolici, non poſſunt dici Officiales ipſius, nam ille proprie dicitur officialis, qui ſub alio miniſterialiter auctoritatem, ſeu juriſdictionem exercet; ut docet Tuſchus *V. Officialis, concluſ.* 88. *num.* 1.

14. Cum modus rei non variet rem, cujus eſt modus, & communicatio oretenus facta, & ſine ſcriptura exhibita, ſit modus communicandi, & extendendi privilegia, idcirco oracula communicantia, & extendentia privilegia, alias prius per Bullas Regularibus conceſſa, in dictis revocatoriis non intelliguntur revocata, v. g. privilegia Minorum antea per Breve conceſſa, per poſteram communicationem alteri Religioni oretenus factam, non evadunt oracula, ſed, ut prius erant, manent privilegia bullata: ita Peyrinus *tom.* 3. *privil. Minim. ad Conſtit.* Urbani VIII. *cap.* 12. *num.* 2. Bordon. *reſol.* 31. *de Oraculis*, *q.* 6. *num.* 6. Turrianus *part.* 2. Select. *diſp.* 16. *dub.* 50.

15. Præterea Leo X. informatus, quod eſſent nonnulla vivæ vocis oracula Ordini Fratrum Minorum conceſſa, quorum aliqua aliquibus temporibus utilia fuerunt, ſed forte præſentibus non ſunt, nec futuris erunt, ac propterea aliqua ſunt in locis aliquibus neceſſaria, & aliqua non; conceſſit, ut non ſolum Generalis in ſuo generali Capitulo, ſed etiam quilibet Provincialis in ſuo Capitulo provinciali de conſenſu ejuſdem, vel majoris partis Capituli declarare poſſint, & valeant, utrum ab uſu alicujus conceſſionis vivæ vocis oraculo factæ abſtineri debeat, & quod poſt dictam declarationem tam Fratres, quam Moniales (ac ſi conceſſio hujuſmodi per ſuam Sanctitatem ſuſpenſa, vel revocata fuiſſet) conceſſione eadem in po-

ſterum

ſterum uti non poſſint: ita habetur *in ſupplemento fol. 96. conceſſ. 296.* Roder. *tom. 3. qq. Regul. q. 22. art. 1. & 2.* ſed modo ſervandum eſt quod dictum fuit *num. 5.* & ſeqq. præſentis Capitis.

16. Ex dictis *num. 5. & ſeqq.* plane poterit Lector colligere, quam pauca ſint Oracula revocata per Bullas memoratas Gregorii XV. & Urbani VIII. oraculorum revocatorias, etiam in ſententia eorum, qui opinionem affirmativam tuentur; nam ſi privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus a Summis Pontificibus conceſſa, quæ ante Bullam revocatoriam Gregorii effectum ſuum jam erant ſortita, in eadem Bulla non revocabantur, & inſuper Bulla Urbana declaravit, Conſtitutiones Oraculorum revocatorias ſive a ſe, ſive a ſuo prædeceſſore Gregorio emanatas, non comprehendere illos Officiales, quibus ratione munerum ſuorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi ſolebat, neque intelligi revocata oracula illa, quibus Summi Pontifices privilegia Regularibus conceſſa, aut Decreta Apoſtolica, vel Sacros Canones, aut Tridentini, vel aliorum Conciliorum ordinationes explicant, & declarant; quænam ergo erunt ea Oracula revocata, quæ a Summis Pontificibus ante diem 25. Aprilis anni 1606. ut *num. 5.* dictum eſt, Regularibus fuerant conceſſa, cum omnia, aut fere omnia ante Gregorianam Conſtitutionem ſtatim, vel tractu temporis effectum ſuum jam ſortita, vel mediate per Officiales præenarratos, in dicta Bulla Urbana non comprehenſos, oracula pene omnia Regularibus conceſſa fuiſſent? proculdubio, dum contrarium neque ſciri, neque probari poteſt, & agitur de materia odioſa, affirmare oportet, ſententiam negantem revocata fuiſſe oracula ante prædictum annum 1606. conceſſa, probabiliorem eſſe: loquendo tamen de Oraculis, quæ vel tacite vel expreſse a Concil. Trid. non ſunt revocata, aut eidem non ſunt contraria.

C A P. VIII.

De Privilegiorum Communicatione.

1. Regulares, qui licet diverſorum Ordinum, unum in Deo, & profeſſione exiſtunt, æquum etiam eſt, ut in eiſdem indultis, & privilegiis uniantur, & ſic uniti arctiori vinculo Sedi Apoſtolicæ, & inter ſe ad nomen Dei in terris propagandum, animarumque ſalutem procurandum copulentur, ut quos conjungunt par labor, & paria merita, paria etiam conjungant privilegia; hujuſmodi autem unio cum per privilegiorum ſuorum inter ſe communicationem contingat, propterea neceſse eſt, quid, & quotuplex communicatio ſit, explanare.

2. Communicatio idem eſt, ac participatio alicujus rei, quæ prius alteri fuerat conceſsa; hæc autem dividitur in perfectam, & abſolutam; & in imperfectam, & relativam. Perfecta, & abſoluta operatur, ut id, quod uni corpori, vel perſonæ fuit prius conceſſum, alteri poſtea communicetur, ita ut corpus, ſeu perſona, cui communicatio facta fuit, de ſe, & per ſe illo privilegio independenter, & abſolute uti poſſit, ac ſi ipſi prius proprie, & in ſpecie conceſsum fuiſset: ut docent *Comm. D. D.* Hoc enim modo fit ſemper, vel fere ſemper inter Mendicantes privilegiorum communicatio, quæ potius adæquatio dici debet, cum tantam habeat auctoritatem Generalis Ordinis Minorum in toto Ordine, Provincialis in ſua Provincia, & Superior localis in ſuo Conventu, quantam adæquate retinet, & exercet quilibet Generalis, Provincialis, vel Superior localis alterius Ordinis; hi quidem ſunt in poteſtate reſpective pares; prout Julius II. declaravit, & habetur *in ſupplem. Ord. Minor. fol. 74.* & refert Roderic. *tom. 1. q. 55. art. 20.* quod etiam Sixtus IV. decrevit in ſuo *Mari Magno ſ. poſtremo cum Fratres:* communicatio autem imperfecta, & relativa operatur,

tur , ut privilegium , quod fuit uni prius perfecte, & abſolute conceſsum, ab illo priori redundet , & extendatur ad alios propter connexionem , quam habent cum ipſo, ut v. g. quando privilegia unius Religionis ad familiares, & commenſales extenduntur.

3. Omnes Ordines Mendicantes ob varias Summorum Pontificum conceſſiones habent inter ſe communicationem tam in privilegiis ſcriptis, quam in vivæ vocis oraculis , non tantum conceſſis, ſed etiam & concedendis, ut conſtat ex Bullis Julii II. Sixti IV. Innoc. VIII. Alexandri VI. Clementis VII. Leonis X. Pauli III. Julii III. Pauli IV. Pii V. aliorumque Pontificum , quæ habentur *in Bull. Rom.* Cherub. *præſertim tom.* 1. & 2. fuitque pluries hæc privilegiorum communicatio in Sacra Rota approbata ; ex quibus colligitur, nullum eſse privilegium in vigore , & firmitate ſive conceſsum per Bullam , ſive per Oraculum quibuſcumque Regularibus, quo non poſſint uti Religioſi, & alii ſimiliter communicantes, ut notavit Pelizar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 91. & Urbanus *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *Regul.* 9. Sed quia nimis prolixum eſset hic deſcribere omnia diplomata communicationum per Pontifices factarum , idcirco Lector conſulere poterit Bullarium Romanum Cherubini , & præcipue Bullam Leonis X. quæ inter alias hujus Pontificis eſt in ordine 32. *tom.* 1. *prædicti Bullarii*, ubi habetur communicatio omnium privilegiorum Mendicantium , tam conceſsorum , quam concedendorum inter ſingulos eorum Ordines, Eccleſias, Fratres, Moniales, Tertiarios, Converſos, & Oblatos.

4. Prædicta Privilegiorum communicatio extenditur de Prælatis ad Prælatos, de Prædicatoribus ad Prædicatores, de Confeſsariis ad Confeſsarios , de Conventibus ad Conventus, de Eccleſiis ad Eccleſias, & de Feſtivitatibus ad Feſtivitates &c. & pro hujus probatione inter multas Conſtitutiones Apoſtolicas, unicam hic referam, quæ eſt Julii II. incip. *Alias ad ſupplicationem*: apud Peyrinum *de privilegiis Minim. tom.* 3. & Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 52. *num.* 54. hæc tamen communicatio debet dumtaxat intelligi in privilegiis non repugnantibus obſervantiæ Ordinum Regularium , vel eorum ſtatutis, ut expreſse declarat Sixtus IV. in ſuo *Mari Magno*, ſeu *Bulla aurea* ; & docent Suarez , Roder. Lezana, quos refert, & ſequitur cit. Bordon. *num.* 84. ſed vide infra *num.* 16. & 17.

5. Privilegia uni Religioſo privato conceſso , alii Religioſi non communicant, nam cum tale privilegium ſit perſonale, ac perſonam comitetur, cum eadem utique extinguitur : idem dicendum eſt de indulgentiis conceſſis ad tempus determinatum in honorem Sanctorum alicujus Eccleſiæ , in quibus Regulares non communicant , neque in indulgentiis alicujus Altaris, ob ſpeciales rationes privilegiati , ut quia v. g. ibi eſt ſpecialis concurſus; in indulgentiis tamen ſeptem Altarium, quas aliquæ Religiones pro ſuis Eccleſiis in ſpecie impetrarunt, alii etiam Mendicantes communicant : ita Bordon. *ſupra num.* 73. & 84. Peyrinus *tom.* 1. *ad Conſt.* 8. Pauli III. *num.* 1. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 17. *q.* 2. *num.* 4.

6. Mendicantes non ſolum habent inter ſe Communicationem in privilegiis , ſed etiam non Mendicantium privilegia ipſis Mendicantibus communicantur, ut ex pluribus Bullis Pontificiis patet, præſertim *ex Bulla* 51. Clementis VIII. incip. *Ratio Paſtoralis officii*: apud Cherub. *tom.* 3. Pauli V. *Bulla* 19. incip. *Injuncti nobis* : ejuſdem *Bulla* 8. incip. *Religioſorum Virorum*: Gregorii XV. *Bulla* 14. incip. *Ad uberes fructus* : Ejuſdem *Bulla* 22. incip. *Injuncti nobis* : *item* 33. & 42. ejuſdem, apud præd. Cherub. *tom.* 4. in quibus per viam communicationis extenduntur privilegia , immunitates , exemptiones, gratiæ, favores, & indulta, tam in ſpiritualibus, quam in quibuſvis aliis Mendicantium Ordinum

dinum ad non Mendicantes, & vice verſa: idcirco valde obſervandum eſt, quod illa verba: *Omnia, & ſingula privilegia &c.* in præfatis Bullis appoſita, cum ſint univerſalia, diſtribuuntur ſingulariter ſingulis, ac ſi omnia ſingulariter eſſent ſpecifica, immo etiam includunt ea, quæ ſpecialem requirerent ſpecificationem: ut docet Tuſchus *V. Dictio Concluſ. 351. n. 4. & 5.* Unde cum dicitur: *Omnia & ſingula*, intendit Pontifex communicare v. g. Religioni Minorum omnia, & ſingula privilegia conceſſa, nedum ipſi Ordini Minorum in particulari, ſed cuilibet alii Ordini tam Mendicantium, quam non Mendicantium: idem dicendum eſt de quolibet alio Ordine Mendicantium, ut aperte conſtat ex ſupra allegatis Bullis Pontificiis. De non Mendicantibus, ſeu Monachalibus conſtat etiam ex Bullis Pii V. *Ex ſupernæ diſpoſitionis arbitrio*: pro Congreg. Canonicorum Regularium Lateran. Julii II. *Inter ceteros*. Pro Congreg. Canon. Regul. SS. Salvatoris Bononien. Ejuſdem Julii II., Gregorii XIII. *Æquum reputavimus*; & Urbani VIII. *In ſupereminenti*: pro Congregationibus Caſſinen., & S. Mauri Ordinis S. Benedicti, Pii V. *Ex ſuperna diſpoſitione*: pro Congreg. Monachorum Vallis Umbroſæ: Gregorii XIII. *Ex injuncto nobis*: pro Camaldulenſibus: Gregorii XIV. *Romanus Pontifex*: pro Ciſtercienſibus. Sunt & aliæ Congregationes cum ſuis Bullis, per quas fit eis privilegiorum præfata communicatio: ut in Bullario Romano Cherubini *tom. 1. 2. 3.* & 4. videre licet, & docent Roder. *tom. 1. q. 55.* Tambur. *de jur. Abb. tom. 1. q. 1. diſp. 17.*

7. Quæ autem dicta ſunt de communicatione promiſcua privilegiorum, de favorabilibus tantummodo, non autem de pœnalibus intelligenda ſunt; unde in pœnis, & Cenſuris latis contra aliquem Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium, nullo pacto fiet inter eos communicatio, cum ſecundum Regul. juris in *6. Odia ſunt reſtringenda, favores vero ampliandi*, & præterea, quia infinita abſurda inde ſequerentur. Sed in illis, quæ in favorem eorum ſunt latæ, quamvis in pœnam Laicorum ex altera parte redundent, dici poteſt, quod per eamdem Regulam juris prænotatam fieret inter eos communicatio, & hoc bene notandum eſt, ut quando contingat caſus, conſulantur periti: ita Portell. *V. Communicatio privilegiorum*, & alii.

8. Cum plures Summi Pontifices expreſſe omnibus Mendicantibus conceſſerint, ut exemptionibus, libertatibus, gratiis, prærogativis, ac privilegiis tam conceſſis, quam in futurum concedendis quibuſcumque Ordinibus ſive Mendicantibus, ſive non Mendicantibus uti, frui, & gaudere poſſent, & viceverſa; propterea privilegia quarumcumque Religionum inter ſe ſunt communicabilia, etiamſi ſint Clericorum Regularium Theatinorum, Minorum, Scholarum piarum, Societatis Jeſu &c. non obſtante illa clauſula appoſita in quadam Conſtitutione Gregorii XIII. in favorem dictæ Societatis edita, qua dicitur, *ut privilegia iſtius ſint incommunicabilia*; quia poſt Gregorium XIII. Gregorius XIV. abſque ulla limitatione communicationem præfatam inter Mendicantes, & non Mendicantes conceſſit in Bulla incip. *Illius qui pro gregis*: *tom. 2. fol. 706. Bull.* Cherub. Roder. *tom. 1. q. 55. art. 17.* Miranda *tom. 2. q. 46. art. 5. Concluſ. 2.*

9. Licet Gregorius XIII. conceſſerit privilegia Societati Jeſu cum clauſula: *ut non intelligantur conceſſa inferioribus ſingulis immediate, ſed mediante Præpoſito Generali*; ac proinde Religioſi ejuſdem Societatis prædictis privilegiis, & facultatibus uti, & gaudere nequeant abſque Præpoſiti Generalis licentia; nihilominus tamen ceteri Religioſi Mendicantes, & non Mendicantes ſubditi abſque licentia ſuorum reſpective Generalium, vel Provincialium propriis, necnon dictæ Societatis privilegiis, gratiis, & facul-

tatibus, nonnullis exceptis, ut alibi dicetur, uti, frui, & gaudere poſſunt; prout conſtat ex prænotata Bulla Gregorii XIV. incip. *Illius, qui pro gregis*: in qua abſolute, & independenter conceſſit Ciſtercienſibus, & Cruciferis privilegia omnium Ordinum, & in ſpecie privilegia Societatis Jeſu abſque ulla limitatione, reſtrictione; & Urbanus VIII. *in ſua Conſtit.* 15. *tom.* 4. *Bull. Rom.* Cherub. idipſum conceſſit Religiosi Scholarum piarum: ſunt & aliæ Conſtitutiones Pontificiæ in favorem aliarum Religionum ſine dependentia, & reſtrictione, idcirco omnes Regulares, qui proculdubio in privilegiis communicant, pro privilegiorum uſu non indigent Prælatorum ſuorum facultate, & licentia, nam ubi lex non diſtinguit, nec limitat, nec nos diſtinguere, vel limitare debemus: præterea in privilegiorum communicatione non veniunt pœnæ, ſed gratiæ, & favores; prædicta limitatio, ſeu reſtrictio eſt utique pœnalis, & odioſa, & conſequenter per juris regulam debet reſtringi, & coarctari, non autem ad alios extendi: ita docent Roder. *tom.* 1. *q.* 55. *art.* 17. *§. Secund. dub.* Miranda *tom.* 2. *q.* 46. *art.* 5. *concluſ.* 2. *in fine*; Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 6. Portell. *v. Commun. privil.* Diana *p.* 3. *tract.* 2. *de dub. Regul. reſol.* 81. Jo: la Crux *lib.* 2. *de Statu Relig. cap.* 4 *§.* 2. & alii.

10. Per privilegiorum communicationem intendunt Summi Pontifices Religionum regulas, ac ſtatuta ſervare, necnon regularem obſervantiam fovere; quapropter in conſtitutionibus ſuis conſueverunt hanc clauſulam apponere: *Dummodo inſtitutis eorum, & regulari obſervantiæ non ſint contraria*. Privilegiorum quippe communicatio non debet eſſe nociva, ſeu relaxativa, nec odioſa, aut turbativa pacis, & tranquillitatis; ac proinde in quacumque ampla, & generali privilegiorum communicatione non veniunt ea, quæ ſtatui regulari ſunt contraria, ſed quæ dumtaxat communi modo vivendi ſunt favorabilia: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 55. *art. ult.* Miranda. *tom.* 2. *q.* 46. *art.* 6. Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 3.

11. Si Religioſi unius Ordinis cum aliis alterius Ordinis ad invicem contendant, privilegiis ſive in ſpecie conceſſis, ſive communicatis uti non poſſunt, juxta regul. juris: *Quod privilegiatus contra æque, & ſub eadem conſideratione privilegiatum non utitur privilegio*: ut v.g. ſi Religioſos Conventus alicujus Ordinis Religioſos Conventus alterius Ordinis in judicio provocare contingat, tunc actores non coram ſuo, ſed reorum Conſervatore, tamquam Judice competente convenire debent, & tenentur per alteram juris regul. *quod actor ſive in reali, ſive in perſonali actione ſequi debet forum rei*; ratio eſt, quia in pari privilegio melior eſt conditio rei, & ille qui tunc poſſidet, præfertur: ex cap. *in pari, de regul. juris in* 6. & docent commun. Canoniſtæ in cap. *In præſentia, de probat.*

12. Religionum familiares, commenſales, Donati, Tertiarii, aliique ejuſmodi, quibus dependenter Religioſorum privilegia communicata ſunt, non poſſunt contra Religioſos illos, a quibus dependent, uti privilegiis eiſdem perſonis communicatis, cum non deceat, quod illud idem, quod in favorem ipſorum Religioſorum principaliter conceſſum eſt, contra eos poſtea, & in illorum diſpendium retorqueatur per dictas familiarium perſonas, quæ privilegiis Religioſorum ſolummodo dignoſcuntur gaudere, in quantum ab eis dependent; quod quidem ex eo præſertim patet, quod ſi Religioſi amitterent privilegia, ipſis etiam familiaribus amitterentur, cum illa minus principaliter habeant; ceſſante enim principali, ceſſat etiam acceſſorium: ita Abbas *in cap. Ex parte de foro compet.* Corduba *in annotat. comp. privil. V. Communicatio*, Jo: Baptiſta Confectius *in ſumm. privil. cap.* 5. *de commun. privil.*

13. Quam-

13. Quamvis Novitii Regulares non ſint vere, & in effectu Religioſi; in favorabilibus tamen habenrur tamquam profeſſi, & largo modo dicuntur Religioſi, ut bene notat Rebuffus *in praxi benefic. tit. de diſpenſ. cum Regulari, n. 3.* idcirco gaudent privilegiis conceſſis illi Ordini, in quo probationem faciunt: prout expreſſe conſtat ex privilegio ſpeciali Societati Jeſu conceſſo, cujus vigore omnibus ejus Societatis privilegiis Novitii communicant; ut habetur *in comp. privileg.* dictæ Societatis *V. Communicatio num. 5.* & docent Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. num. 17.* Sanchez *in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 39. num. 15.* & alii.

14. Religioſæ profeſſæ primæ, & ſecundæ Regulæ Ordinis Sanctæ Claræ, necnon Tertiariæ profeſſæ votum caſtitatis emittentes, & ſubditæ Minoritis, aliæque etiam quæcumque Moniales alterius Ordinis, regimini tamen eorumdem Minoritarum commiſſæ, gaudent privilegiis Minorum conceſſis, & concedendis: Moniales quoque Ordinis S. Dominici Dominicanis ſubjectæ, eorumdem ſimiliter privilegiis fruuntur: prout continetur *in lib. intit. Monumenta Ord. in 1. impreſſ. fol. 66. & in 2. fol. 148. conceſſ. 36.* per Sixtum IV. Clementem VII. Leonem X. Paulum IV. Pium V. Gregorium XIII. & Sixtum V. Sic docet Roder. *tom. 1. qq. Regul. q. 55. art. 13. & 14.* ubi plures affert Bullas Pontificias, quas referre nimis longum eſſet. Miranda *tom. 2. q. 46. art. 1. & 20. Comp. privilegior. V. Communicatio, §. 14.* Portel. *eodem verb. num. 3. & 4.* Moniales pariter Carmelitanæ Diſcalceatæ etiamſi regimini Carmelitarum Diſcalceatorum ſubditæ non ſint, privilegiis omnibus Ordinis Carmelitani utriuſque ſexus potiuntur: ex Bulla Gregorii XV. ſub data 20. Maii 1621. quæ incipit: *Alias poſtquam*; ſervaturque in Monaſterio earumdem ſub invocatione S. Joſeph in Civitate Burdigalæ. Fratres autem, ſeu Confratres, & Sorores Chordæ, Scapularis, Corrigiæ, & ceterorum hujuſmodi gaudent dumtaxat privilegiis Indulgentiarum, remiſſionumque peccatorum, non autem his, quæ juriſdictionem Ordinariorum perturbare poſſunt, juxta Decretum Concil. Trident. *Seſſ. 24. de Reformat. cap. 11.* legatur Roder. *loc. cit. art. 14.*

15. Cum in generali privilegiorum communicatione ponatur clauſula *Quomodolibet*, quæ eſt ita univerſalis, & talis naturæ, ut faciat venire ea, quæ alias non venirent; ut habetur in Clem. II. *de ſent. Excommun. in 6.* idcirco non ſolum privilegia ſcripta, ſed etiam vivæ vocis oracula venire certum eſt, nam privilegii nomine omnis gratia, & favor Principis venit, atque adeo, conceſſis omnibus, etiam oracula conceſſa cenſentur, ex vulgari juris regula: *gratiæ, & favores ſunt amplianadi, pœnæ autem, & odia reſtringenda*; idque intelligendum eſt non tantum de vivæ vocis oraculis, quæ immediate Mendicantibus ſunt conceſſa, verum etiam de illis, quæ non Mendicantibus ſunt elargita, quibus omnibus indultis oretenus, & ſcripto conceſſis, ob præfatam communicationem Mendicantes, & non Mendicantes libere gaudent, & potiuntur: *ita communiter DD.*

16. Regulares per generalem privilegiorum communicationem minime gaudent privilegiis uni Eccleſiæ, Monaſterio, loco, Provinciæ, vel perſonæ in particulari conceſſis (contra Roder. *tom. 1. q. 55. art. 18.* & Mirand. *tom. 2. q. 46. art. 7.* ſententiam affirmativam docentes, qui revera falluntur.) Ratio eſt, quia conceſſio generalis non comprehendit ea, quæ per ſpeciales conſtitutiones ſunt proviſa; ut expreſſe habetur in cap. *Si propter, de reſcript. in 6.* & expreſſius in cap. *Cum Capella, de privileg.* ubi dicitur, quod conceſſum uni Eccleſiæ, Provinciæ, vel loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam, Provinciam, vel locum, etenim in generalibus conceſſionibus non veniunt ea, quæ a jure

C 2 com-

communi exorbitant: juxta regulam 28. *juris in 6.* neque intelliguntur conceſſa, niſi in ſpecie, & nominatim exprimantur; ac propterea privilegium v. g. aliquibus Regnis, vel Provinciis extra Italiam a Sede Apoſtolica conceſſum veſcendi ovis, & lacticiniis in diebus prohibitis, ad Italiam non extenditur; item privilegium non recitandi Horas Canonicas in Choro, non cantandi, non eundi ad publicas proceſſiones, & ſimilia propter ſpiritualia, vel litteraria exercitia nonnullis Regularibus conceſſa, ceteris Regularibus, in quibus non militat eadem ratio, neque eadem urget neceſſitas, communicari nequeunt; nam hæc privilegia reſpiciunt determinata loca, & perſonas, & in aliqua particulari ratione fundantur, atque adeo nequit de loco ad locum, neque de perſona ad perſonam fieri extenſio; etenim virtus, & efficacia privilegii in voluntate concedentis eſt poſita, voluntas autem concedentis non extenditur, niſi exprimatur, cum inter homines voluntas non operetur, niſi per verbum, vel ſcriptum declaretur: ita Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 26. Tambur. *tom.* 1. *de jur. Abb. diſp.* 17. *q.* 2. *n.* 7. *in fine*. Azor. *part.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 5. *cap.* 22. Merolla *de privil. tom.* 3. *diſp.* 6. *cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 72. & alii commun.

17. Prædicta privilegiorum generalis communicatio tunc de loco ad locum, de Ordine ad Ordinem, & de perſona ad perſonam extenditur, quando privilegia in communi, & in genere ſunt conceſſa; quæ quidem generalis communicatio, ut Julius II. declaravit, & Leo X poſtea decrevit, & conſtat *ex ſupplem. Ord. Minor. fol.* 59. *conceſſ.* 157. non debet eſſe identica materialis, ſed analoga formalis, ideſt ſimilis, & fere eadem ſecundum quamdam proportionem, & ſtatus decentiam, ita ut totum id, quod poteſt unus Generalis, vel Provincialis, aut Superior localis in uno Ordine, poſſit etiam alius Generalis, vel Provincialis, aut Superior localis in alio Ordine: idem dicendum de Congregationibus unius ad Congregationes, & Conventus alterius Ordinis, de feſtivitatibus ad feſtivitates, ut dictum eſt ſupra.

18. Cum in generali privilegiorum communicatione veniant etiam indulgentiæ, licet non exprimantur; idcirco communicatis uni Ordini ceterorum Ordinum privilegiis omnibus, & indulgentiæ pariter communicatæ intelliguntur, loquendo cum proportione, & de illis tantummodo quæ ſunt communes, & in genere Ordinibus conceſſæ: v. g. ſicut Novitius ſuſcipiens habitum, & profeſſionem emittens in noſtra Religione multa conſequitur beneficia, ac indulgentias lucratur, & laicus tempore feſtivitatum noſtrorum Sanctorum viſitans Eccleſias noſtras remiſſiones peccatorum conſequitur; ita a pari qui habitum alterius Religionis ſuſcipit, vel Eccleſias ceterorum Ordinum viſitat in eorum feſtivitatibus, eaſdem indulgentias lucratur: ſecus autem dicendum de illis, quæ alicui certo loco, Monaſterio, Eccleſiæ, Oratorio, Altari, Confraternitati, Congregationi, vel Ordini, in particulari, ſeu ob aliquam ſpecialem rationem conceduntur, hæ quippe per generalem privilegiorum communicationem minime communicantur, ob rationes ſupra *num.* 16. allatas; unde indulgentia magna Portiunculæ Ordinis Minorum aliis Ordinibus non communicatur; neque indulgentia Roſarii Ordinis Prædicatorum ad Minoritas, Carmelitas, vel ceteros Regulares extenditur: idem procedit in Altaribus privilegiatis; & indulgentiis uni in particulari corpori conceſſis, & ſimilibus; indulgentiæ enim hujuſmodi, ſicut & privilegia, non extenduntur de loco ad locum, neque de perſona ad perſonam, alias omnia eſſent confuſa: ita Portel. *v. privil. communicatio*, *num.* 6. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 17. *q.* 2. *num.* 4. Merolla *tom.* 3. *de privil. cap.* 8. *dub.* 22. *num.* 121. aliique *num.* 16. relati.

19. Cum

19. Cum conſuetudo immemorabilis, & præſcripta, concurrentibus circumſtantiis, & requiſitis ſupra *in cap. 1. n. 8.* adnotatis, habeat vim conferendi privilegia; ideo per præfatam generalem privilegiorum communicationem veniunt etiam privilegia, quæ tali conſuetudine ſunt acquiſita, etiamſi in Bulla communicationis id a Romano Pontifice non exprimatur: ratio eſt, quia ſicut conſuetudine, & præſcriptione acquiritur juriſdictio, ita pariter acquiritur privilegium; ex quo ergo Summus Pontifex per communicationem extendit omnia privilegia per ſuos Prædeceſſores conceſſa, concedit ſimiliter ea, quæ conſuetudine ſunt acquiſita, & quamvis aliquando in Bulla communicationis privilegia conſuetudine acquiſita nominatim exprimantur, id tamen non neceſſario, ſed ad majorem cautelam, & ad tollendos ſcrupulos inſeritur: ita *Comm. D. D.*

20. Si aliquis Ordo de novo erigatur, & privilegia obtineat, vel poſſideat, ſtatim ceteri Ordines, privilegium communicationis habentes, illis gaudent, & fruuntur: ratio eſt, quia communicantibus conceduntur privilegia conceſſa, & concedenda aliis Ordinibus, ſine ulla reſtrictione; ut conſtat ex Bulla Leonis X. 32. *tom.* 1. *Bull. Rom.* Cherub. & ex alia Gregorii XIV. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & eſt 16. inter Conſtitutiones ipſius Pontificis apud Cherub. *tom.* 2. & ex 18. ejuſdem incip. *Ex injuncti nobis*, ubi expreſſe per viam communicationis extendit omnia privilegia conceſſa, & in futurum concedenda. Cum igitur favor Principis ſit late interpretandus, ſicut extenditur ad privilegia futuris temporibus concedenda Ordinibus jam inſtitutis, ita pariter ad privilegia Ordinibus inſtituendis concedenda eſt ampliandus: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 55. *art.* 7. Jo. de la Crux *de ſtatu Relig.* 2. *cap.* 4. *concluſ.* 3.

21. Si contingat, quod aliqua Religio ſuis non utatur privilegiis, non propterea aliæ Religiones, quibus privilegiorum fit communicatio, ob talem non uſum præjudicatæ remanent, etiamſi in Bulla communicationis apponatur clauſula illa: *Quatenus ſunt in uſu*. Ratio eſt, quia uſus, & privilegiorum poſſeſſio unius, ab uſu, & poſſeſſione alterius non dependet, nec dependere poteſt, cum per communicationem prædictam privilegia Ordinum abſolute, & independenter fiant ſic propria Ordinibus, quibus communicantur, ac ſi fuiſſent ſpecialiter ipſis conceſſa, ut ex Bullis communicationis conſtat; deinde quando alicui Ordini privilegia ſpecialiter conceduntur, conceditur jus illis utendi; ergo per dictam communicationem ceteris Ordinibus factam, idem pariter jus utendi conceditur: ac per conſequens, ſi aliquis Ordo privilegiis ſibi conceſſis non utatur, non ideo reliqui Ordines in illis privilegiis communicationem habentes, tenentur ab uſu eorum abſtinere, ſed poſſunt eiſdem uti, ac ſi ſpecialiter ſibi conceſſa fuiſſent. Quod ſimiliter aſſerendum eſt, quando aliquis Ordo per Summi Pontificis ſententiam ſua privilegia amiſit, poſſe communicantes illis uti, nam defectus unius Ordinis juri aliorum Ordinum præjudicare nequit: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 55. *art.* 19. Miranda *tom.* 2. *q.* 46. *art.* 8. *concluſ.* 2. Jo. de la Crux *ſupra concluſ.* 3. *propoſ.* 5. & 6. Amplia, quod dictum eſt de alterius non uſu procedit etiam de proprio non uſu, qui niſi legitimo tempore præſcribatur, propriis non poteſt privilegiis præjudicare: ut diximus, *in cap.* 5. *n.* 7. 8. & 9. docteque citati D. D. Roder. & Miranda demonſtrant.

22. Si evidenter conſtaret, privilegium non fuiſſe in uſu nec antea, nec tempore communicationis, ac per legitimam præſcriptionem fuiſſe deperditum, tunc eo privilegio uti non liceret; nec ſufficeret oſtenſio privilegii, ſi uſus ipſius non oſtenderetur, quia cum uſus ſit quid facti, ideo non præſumitur, niſi probetur; onus autem probandi incumbit alleganti, privile-

 gium

Digitized by Google

gium in uſu non eſſe: ita Rota Romana apud Creſcentium *deciſ.* 4. Lopez *in l.* 42. *tit.* 18. *part.* 3. Fontanella *de pactis nupt. tom.* 1. *Clauſ.* 3. *Gloſſ.* 2. *n.* 21. Si autem clare non appareret, tunc daretur locus affirmativæ præſumptioni, antea, vel tempore communicationis privilegium fuiſſe in uſu; etenim præſumptio eſt, quod qui originale privilegium apud ſe retinet, etiam de præterito, vel de præſenti illo uſus fuit: ita *Comm. D. D. l.* 2. *de præſumpt. §. de Senat.*

23. Illa communis Juriſtarum ſententia, qua dicunt, privilegiatum contra pariter privilegiatum non poſſe uti privilegio, atque adeo inter perſonas privilegiatas privilegia confundi, tunc eſt vera, quando ſit mutuus privilegiorum concurſus practice, & ſpecifice in ea re, de qua agitur, ideſt, quando privilegiati concurrunt in privilegiis per oppoſitionem mutuam, & reſpectivam in ordine ad uſum ejuſdem privilegii, utputa, ſi unus habeat privilegium exigendi decimas, & alius privilegium habeat eas non ſolvendi; non autem quando unus eſt privilegiatus ſolum materialiter, id eſt in potentia, ſeu in genere, & reſpectu alterius cauſæ, de qua non agitur, alter vero in actu, & in ſpecie formaliter, ſcilicet in ea re, de qua agitur; quamvis ea ſententia, quæ in multis caſibus fallit, debeat limitari; quapropter conſulantur D. D. præcipue Roder. Miranda, Covarrubias *tom.* 1. *p.* 3. *§.* 2. *n.* 4.

C A P. IX.

De Privilegiorum Conſervatoribus.

1. Conſervatores ſunt judices particulares a Sede Apoſtolica deputati, coram quibus, tamquam delegatis ipſius, Regularium cauſæ agitatæ fine debito ab eiſdem auctoritate Apoſtolica abſolvi debent; cum ad ipſos ſpectet perſonas, bona, jura, privilegia, exemptiones, & immunitates Regularium tueri, ac in jurium poſſeſſione conſervare.

2. Præfati Conſervatores ſive principales, ſive ſubrogati eligi, nominari, aut deputari non poſſunt, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas a Bonifacio VIII. *in cap. Statutum, de reſcriptis in* 6. ita ut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant; ſed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis (*juxta Decret. Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de Reform. cap.* 10.) Judices electi, ſeu deſignati ſint; quod decretum ſuit innovatum, & confirmatum a Gregorio XV. Bulla ejus *9. tom.* 4. Bull. Cherub. quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*; in qua revocat quaſcumque electiones de Conſervatoribus antea factas, & novam de eis, eorumque electionibus in poſterum fiendis diſpoſitionem tradit.

3. Quoniam poſt dictæ Conſtitutionis Gregorianæ publicationem exortum fuit aliquod dubium circa §. 8. in quo dicebat Pontifex, quod Regulares coram Conſervatoribus poſſent quidem conveniri, aut trahi, ſed alios convenire, aut trahere non poſſent, idcirco a S. Congregatione Concilii fuit reſolutum, ut ſequitur: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit, ejuſmodi verbis minime ſublatam fuiſſe facultatem, quam habent Conſervatores defendendi Regulares a manifeſtis injuriis, ac violentiis, dummodo obſervent formam præſcriptam in Conſtitutionibus* Innocentii IV. & Bonifacii VIII. *relatis in cap.* 1. *& fin. de Offic. Judicis deleg. in* 6. *Romæ* 1624. *Coſmus Card. de Torreſ. Proſper Fagnanus S. Cong. Secret.* Ex qua S. Congregationis declaratione colligitur, poſſe Regulares coram ſuis Conſervatoribus non ſolum conveniri, aut trahi, ſed etiam alios convenire, & trahere; ita quod memorati Conſervatores in cauſis, in quibus Regulares actores fuerint contra eos, a quibus manifeſtas injurias acceperunt, vel ali-

qua

Digitized by Google

qua violentia eiſdem fuit illata, habent juriſdictionem eos ad ſuum tribunal trahendi, ac Regulares præfatos defendendi; quicquid aliqui in contrarium aſſerant, quia declarationem prædictam S. Congregationis non legerunt, quæ poſt Conſtitutionem Gregorianam immediate ponitur *tom.* 4. *Bull.* Cherub. Conſervatores tamen in his cauſis debent prius pronunciare, delictum eſſe notorium; alias ſententia ſua, quæ neceſſario debet fundari ſuper notorio, eſſet nulla: ita Tuſchus *V. Conſervat. concl.* 760. notorium autem eſt illud, quod nulla poteſt probabili tergiverſatione celari, itaut per facti evidentiam examinatione non indigeat, & ſi indigeat, poteſt tamen probari clare per multos teſtes, ita quod negari non poſſit: idem Tuſch. *V. manifeſtum, concluſ.* 71. *num.* 7.

4. Canonici, & Clerici Regulares, Monachi, & Mendicantes ex eorum pluribus privilegiis amplam facultatem habent eligendi Conſervatores, ut conſtat ex Bullis Eugenii IV, Julii II. Leonis X. Sixti IV. & V. S. Pii V. Bulla 41. incip. *Ad nos Deus*, apud Cherub. *tom.* 2. Gregorii XIII. Bulla 1. incip. *Æquum reputavimus*, apud eumdem Cherub. *tom.* 2. aliorumque Summorum Pontificum; eademque facultate gaudent omnes alii Regulares participantes ob mutuam privilegiorum communicationem, de qua dictum eſt *cap.* 8. Facultas tamen, ſeu poteſtas Conſervatorum hodie reſtricta, & limitata eſt, & quoad hoc debet attendi, & obſervari Decret. S. Cong. Concil. juſſu Gregorii XIII. editum, quod per extenſum refert Confectius *in Summ. Privil. Ord. Mendic. ſub tit.* 4. *de Conſervat. cap.* 9., nec non conſtitutio Clementis VIII. quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*; *tom.* 3. Bull. Cherub. inſuper & conſtitutio præfata Gregorii XV. vide Mattheucci in ſuo Officiali Curiæ, *Officialis quoad Conſervatores cap.* 17. *per totum*.

5. Conſervatores ſunt Judices delegati a Papa, dati ad tuendum aliquos contra manifeſtas injurias, & violentias, judiciali non utentes indagine in non manifeſtis, & non notoriis injuriis, vel violentiis; & quamvis ſecundum jus commune non habeant juriſdictionem ratione officii, ſeu jure delegationis, tamen ſecundum privilegia ſunt Judices Ordinarii Religioſorum; tum quia ita expreſſe nominantur in Bulla pro Societate Jeſu edita a Gregorio XIII. quæ incipit: *Æquum reputavimus tom.* 2. *Bull. Cherub.* tum etiam quia in privilegiis Regularium conceditur eorum Conſervatoribus facultas ad ſubdelegandum ſuam auctoritatem, ut conſtat ex prædicta Bulla Gregoriana, qui enim poteſt ſuam auctoritatem ſubdelegare, cenſetur Judex ordinarius, & ad univerſitatem cauſarum: quare cum dicti Conſervatores Judicibus Ordinariis comparentur, non erit neceſſe quod in citationibus inſerant litteras conſervatorias, ſed ſufficit quod de eis conſtet in actis Notarii Curiæ Ordinarii, prout ſtatuitur in ſupradicta Bulla Gregorii XV. *ſ.* 6. Conſervatores tamen, ſi alios in officio ſuo ſubdelegaverint, tenentur eligere eos, qui habeant eaſdem conditiones requiſitas ad Conſervatores conſtituendos. Roder. *tom.* 1. *q.* 65. *art.* 10. Barboſa *allegat.* 106. *num.* 4.

6. De jure communi, ut dictum eſt *n.* 2. eligendi in Conſervatores Regularium debent eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, vel perſonatum habentes, vel quod Canonici Cathedralium exiſtant; unde licet dignitas, & perſonatus ſæpe ſint ſynonima, ut conſtat ex cap. *Cum acceſſiſſent, de conſtit.* tamen in propria ſignificatione accepta diſtinguuntur, nam dignitatem habere dicitur ille, qui habet aliquam præeminentiam, ſeu adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione, perſonatus vero eſt quædam prærogativa in Eccleſia ſine juriſdictione. Poſſunt ergo eſſe Conſervatores Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, eorumque Vicarii generales, Abbates, Archidiaconi, Archipræsbyte-

ri Cathedralium, Primicerii, Præpoſiti, Decani, Canonici Cathedralium, aliique relati a Peyrino *tom. 2. in Conſtit.* 5 Gregorii XV. *num.* 16. concurrente etiam ſecunda conditione, prout ſupra *num.* 2.

7. Canonici Eccleſiæ Collegiatæ, licet ſint Doctores, non poſſunt conſtitui Judices Synodales, ut patet *ex Cap. Statutum, de reſcriptis in 6.* & ex declaratione S. Congreg. Concilii, & conſequenter nequeunt eſſe Regularium Conſervatores, neque qui dignitatem dimiſit, poteſt Judex Synodalis conſtitui, nam requiritur ut eligendi actu in dignitate ſint, ut conſtat *ex dicto Cap. Statutum, & ex Trident. cit.* Verum quidem eſt, quod ſi is, qui dignitatem dimiſit, antequam dimitteret, aliquam cauſam cæpiſſet, poſt dimiſſionem poſſet eam proſequi, & terminare, quia ſufficit ab initio fuiſſe capacem, prout declaravit S. Congreg. die 21. Maii 1587. & docet Peyrinus *tom.* 2. *Conſtit.* 5. Gregorii XV. *n.* 20.

8. Priores Conventuales, Guardiani, Rectores, & conſimiles Officiales Ordinum Regularium nequeunt eligi in Conſervatores: ratio eſt manifeſta, quia ex dicta Conſtitutione Gregoriana *§.* 2. duo copulative requiruntur ad hoc, ut quis poſſit in Conſervatorem eligi, ut ſcilicet ſit in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, & quod ſimul reperiatur in noviſſima Synodo Provinciali, aut Diœceſana inter Judices Synodales nominatus, quorum neutrum de præfatis Superioribus dici poteſt; præterea S. Congreg. 1617. in una Turritana declaravit id non poſſe fieri, ut refert Barboſa *in Collect. ſup. cap.* 10. Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. num.* 16. Lezana *part.* 2. *ſumma cap.* 10. *de Conſervat. n.* 14. Bene verum eſt, quod Abbas Regularis poteſt in Conſervatorem eligi, ſi Epiſcopus in Synodo eum deputaverit; prout eadem Sacra Congreg. die 2. Martii 1619. declaravit, & referunt iidem Lezana, & Barboſa *in cit. loc.*

9. In caſu autem, quo in Diœceſi non ſint Judices Synodales deſignati, poſſunt non Judices a Regularibus in Conſervatores aſſumi; nam S. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium die 4. Decembris 1671. decrevit, Epiſcopos quam primum Diœceſanam Synodum omnino celebrare teneri, & interim in Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus nulli Judices extant, in Concilio Provinciali, aut Diœceſano deſignati, licere Regularibus, ſervata in reliquis forma Conſtitutionis Gregorii XV. hac de re editæ, Conſervatores nominare habentes qualitates a jure requiſitas, quorum tamen facultas eo ipſo expiret, cum primum hujuſmodi Synodus celebrata, in eaque Judices deſignati exierint. Quam declarationem a Clemente X. in Conſt. incip. *Inter Opera num.* 49. confirmari refert Mattheucci *cap.* 17. *Official. quoad Conſervat. num.* 7.

10. Cum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de reformat.* ſtatuat, quod in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis deſignentur ſaltem quatuor, vel plures Judices Synodales in qualibet Diœceſi, & ſi aliquem ex deſignatis interim mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum, idcirco Gregorius XV. in ſua prænotata Conſtitutione *§.* 4. admonet Ordinarios, ut quamplures perſonas ex habentibus qualitates in dicto *cap. Statutum, ſupra num.* 2. & alioquin ad id aptas deſignari procurent, ut plures Judices Synodales exiſtant, ne Regulares pro Conſervatorum penuria cogantur aliquam jacturam pati; & notandum, verbum *admoneo* hic non incongrue poſſe interpretari pro *præcipio*, eſt enim negotium grave, & quod multum damni poteſt indigentibus Conſervatore afferre, præſertim in magnis populis, ubi plurimi reperiuntur Regulares.

11. Quamvis, in caſu mortis alicujus ex dictis Judicibus, teneatur Ordi-

Ordinarius a Capitulo conſilium petere, ad illud tamen ſequendum non obligatur; poteſt etiam id committere Vicario ſuo. Sed adverte, quod non ſufficit conſilium petere poſt actum deliberatum, ſed debet in ipſo tractatu poſtulari; nec etiam ſufficit petere debito tempore, niſi etiam tempore congruo expectetur reſponſum: ſi autem Capitulum debito tempore non reſpondeat, vel plus debito differat, tunc poteſt Epiſcopus debito tempore tranſacto, per ſeipſum providere; ſi vero Epiſcopus, poſtulando conſilium a Capitulo, arctavit ſe ad finem præfixum pro iſto actu terminando, ita ut Capitulum congruum tempus non habeat ad reſpondendum, tunc nihil valet proviſio ab Epiſcopo facta: ita docent Abbas *in cap. Cum in veteri, de elect. n. 3. 7. & 8.* Roder. *tom. 2. qq. Regul. q. 3. art.* 17. Peyrinus *tom. 2. in Conſt.* Gregorii XV. *n.* 26.

12. Prælati Regulares tenentur Epiſcopis locorum ordinariis, infra menſem a die electionis, nomina Conſervatorum electorum indicare, eoſque de tali electione certiores facere, alioquin coram ipſis Ordinariis conveniri poterunt ex decreto Gregorii XIII. cujus mentionem facit Gregorius XV. in prædicta Bulla *ſ.* 5. & ex *ſ. 6.* ejuſdem Bullæ tenentur etiam electionis documentum, ſeu inſtrumentum exhibere, & relinquere apud Notarium Curiæ loci Ordinarii infra tempus hic ſtatutum, adeo ut, niſi exhibuerint, ac reliquerint, poterunt etiam in hoc caſu Regulares coram Ordinario conveniri; ad id quoque ſub pœna nullitatis actuum tenentur Conſervatores a Regularibus nominati, & electi ante exercitium ſuæ juriſdictionis ex conſtitutione Innocentii X. incip. *Cum ſicut accepimus*, apud Cherub. *tom. 3. Bullarii*, nominati tamen ſic, & electi non poſſunt a Regularibus per quinquennium amoveri, ſtatim enim ac electi ſunt, cenſentur ab Apoſtolica Sede deputati, unde ad libitum electorum amoveri non poſſunt; ex legitima tamen cauſa, puta, negligentia, impotentia, inimicitia, a Papa, vel ab Ordinario approbanda, prout magis Regularibus, aliiſque placuerit, amoveri poterunt, ut docet Peyrinus *tom. 2. ad conſtitutionem* Gregorii XV. *n.* 32.; ultra quinquennium vero durare non poſſunt ex decreto Concilii Trident. *Seſſ.* 14. *cap. 5. de reform.* & ex conſt. Gregoriana *ſ.* 8. Ex quibus colligitur, quod Regulares, finito quinquennio officii Conſervatoris, tenentur de novo alium, vel eumdem ſibi in Conſervatorem eligere, juxta formam in dicta Gregoriana præſcriptam; & nominato uno Conſervatore pro una cauſa, non poteſt pro eadem alius nominari: conſtat *ex cap. cum plures, de offic. Jud. deleg. in 6. & docent* Roder. *tom.* 1. *q.* 65. *art.* 5. Miranda *tom.* 2. *q.* 47. *art.* 5.

13. Conſervatores a Regularibus electi tenentur tale munus acceptare, nedum ex caritate ad evitandas injurias illis illatas, ſeu inferendas; ſed etiam ex juſtitia, ut ſe caveant a peccato mortali, & a tot cenſuris a Romanis Pontificibus ſibi impoſitis; prout patet ex conſt. Julii II. incip. *Alias venerabilem*, edita pro Minimis, quam per extenſum ponit Peyrinus *tom. 1. de privileg.* ubi Pontifex ad id ſub mortali Conſervatores obligat; & ex alia ejuſdem Pontificis edita pro Minoribus, ubi ſub pœna excommunicationis id præcipit; nec non ex conſervatoria S. Pii V. pro Prædicatoribus edita, ubi ſub pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis a divinis latæ ſententiæ idipſum Conſervatoribus præcipitur; qui tamen excuſari poſſunt ob inculpabilem ignorantiam, vel ob legitimum impedimentum: prout docent Roder. *tom.* 1. *q.* 65. *art.* 4. Jo. de la Crux *lib. 2. de ſtat. Relig. cap.* 10. *concl.* 3. Vulpes *in ſua praxi cap* 12. *de conſervat. n.* 11.

14. Cum de manifeſtis ſolummodo injuriis poſſint Conſervatores cognoſcere, idcirco ſi injuria, vel violentia non

non ſit manifeſta, ſed plenam cauſæ cognitionem requirat, nequeunt in tali caſu Conſervatores procedere, niſi in privilegiis Regularium, quibus ſunt dati, exprimeretur quod poſſent de injuriis, & aliis cauſis cognoſcere, etiamſi requirerent judicialem indaginem, ideſt, etiamſi injuriæ, aliæque cauſæ non eſſent manifeſtæ, & notoriæ; prout obſervavit Confectius *in Summ. Privileg. Mendicant. cap. 8. tit.* 4. Per manifeſta veniunt ea, quæ notoria ſunt, & ita patentia, ut nulla probabili tergiverſatione celari poſſint; in caſu autem, quo offenſa notoria negetur, & ex negatione res ſub dubio ponatur, tunc poterit Conſervator probationes de notorietate facti recipere ad videndum an ſuæ ſint juriſdictionis, & ubi repererit factum notorium, procedat; alias deſiſtat, quia non habet poteſtatem defendendi utcumque injuriam, ſed notorietate qualificatam: Peyrinus *tom. 2. de privileg. ad conſt.* 5. Gregorii XV. *ſ.* 7. *n.* 59.

15. Injuria dicitur quicquid non jure fit, comprehenditque hoc nomen violationem privilegiorum, nam injuria eſt privilegia violare; comprehendit etiam contumeliam, iniquitatem, & injuſtitiam. Fit autem injuria tribus modis; re, verbis, & litteris: re fit injuria, quando manus infertur; verbis fit per convicium; litteris vero fit, cum quis librum, vel carmen, vel hiſtoriam ad infamiam alicujus pertinentem ſcribit, vel componit, vel edit, vel mandat, vel conſulit, vel dictat, vel exemplat, vel in publico legit, vel emit, vel vendit, vel retinet, vel affigit in publico, vel publicat, vel invenit, & non comburit, vel carmina in alterius infamiam compoſita cantat, vel recitat; quæ omnia ſpectant ad libellum famoſum; de quo agi poteſt criminaliter ſecundum leges ad pœnam capitis contra omnes dictos; ut docent Hoſtien. *in Sum. tit. de injur. n.* 1. & Farinac. *p. 3. prax. crimin. l. 3. n.* 422. *inſp.* 11. Sed ſecundum Canones ſupradicti omnes flagellantur, & excommunicantur; ex cap. *Quis in alterius*; quas omnes pœnas tam temporales, quam eccleſiaſticas in talia præſumentes, per ſacras leges, & Canonicas Sanctiones latas, confirmavit S. Pius V. per Suam conſtitutionem 147. quæ incipit: *Romani Pontificis*: apud Cherub. *tom.* 2. *Bull. Roman.*; advertendum etiam, quod eiſdem pœnis tenetur, qui fores ſtercoravit, vel eiſdem cornua affixit, vel qui obſcænas picturas in alterius infamiam in aliquo loco poſuit, vel qui libellum, ſeu ſcripturam ſcribit, publicat &c. ut ſupra, abſque nomine illius, cui infamia irrogatur, dummodo aliunde conſtet de quo libellus voluit intelligere, prout docet Farinac. *loco cit. n.*469.*&* 474.

16. Violentia eſt injuria quædam cum vi, & impetu, perſonis, vel rebus facta, & eſt quintuplex: prima dicitur ablativa; quando per vim aliquid aufertur; 2. dicitur expulſiva, quando per vim quis de poſſeſſione ejicitur; 3. eſt compulſiva, quando per metum quis compellitur facere aliquid, quod ſponte alias non erat facturus; 4. dicitur turbativa, cum poſſeſſor in ſua poſſeſſione turbatur; 5. dicitur inquietativa, cum quis non ſinit alium uti ſua pace, & quiete. De quibus late Menochius *in prælud. de recuper. poſſeſſ. a n.* 38. Tuſchus *V. vis, & violentia, concluſ.* 214. & Peyrinus *tom. 2. de privil. ad Conſt.* 5. Gregorii XV. *n.* 37. Poſſunt igitur Conſervatores de prædictis omnibus injuriis, & violentiis cognoſcere; prout habetur *in cap.* 1. *& ultim. de offic. Judic. deleg. in* 6. cum autem tribus modis Judex poſſit contra Reum procedere, 1. per modum accuſationis, 2. per modum denuntiationis, & 3. per modum inquiſitionis; concedunt Summi Pontifices, ut poſſint Conſervatores procedere contra Reos, a quibus Regulares injurias, ac violentias acceperunt, primo, & ſecundo modo, ſcilicet per modum accuſationis, vel denun-

denuntiationis; ita quod Regulares, ſi volunt a ſuis Conſervatoribus defendi contra ſibi injurias afferentes, vel violentias inferentes, tunc tamquam actores tenentur ſuo Conſervatori deferre accuſationem, vel denuntiationem contra Reum, teſtes producere, vel ſaltem nominare eos, qui interfuerunt, dum ſibi fuerunt hujuſmodi injuriæ, vel violentiæ illatæ: ita Azor. *p. 3. lib.* 13. *cap.* 18. Bordon. *tom.* 1. *conſul. regul. reſol.* 44. *n.* 9. & 10. & alii plures relati a Bonacina, & Barboſa *in collect. allegat.* 106. *n.* 18.

17. Quoad ea, quæ judicialem indaginem, ſeu inquiſitionem requirunt, ſuam non poſſunt Conſervatores poteſtatem extendere, ita ut ſi delictum ſit occultum, & delinquens ignoretur, vel ſi ſit notorium, & neſcitur quis illud patraverit, non poſſint per inquiſitionem judiciariam procedere, cogendo teſtes per carceris mancipationem, vel torturam ad teſtimonium dicendum, ſed tantum per amicabilem inquiſitionem, & veritatis inveſtigationem; ut aperte conſtat ex pluribus conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ *tom.* 3. *Bullarii* Cherubini in fine, in Repertorio materiarum *V. Conſervatores Religionum*, enumerantur: & præcipue Julii II. incip. *Militanti Eccleſiæ*; pro Congreg. Monachorum Montis Oliveti edita, *tom.* 1. *dicti Bull.* Cherub. In aliis vero delictis, in quibus Conſervatores contra Reum poſſunt per modum accuſationis, & denuntiationis procedere, tunc ab eis ſervanda eſt forma judiciaria, ſi aliter expedire non decreverint; ut patet ex illis verbis, videlicet: *In aliis vero, prout qualitas eorum delictorum exegerit, juſtitiæ complementum*; poſitis in omnibus litteris conſervatoriis.

18. Conſervatores in dictis injuriis, & violentiis manifeſtis poſſunt contra omnes procedere, nam hæc crimina, cum ſint mixti fori, etiam ad judicem Eccleſiaſticum ſpectant, prout docent Roder. *tom.* 1. *q.* 65. *art.* 11. Miranda *tom.* 2. *q.* 47. *art.* 7. *concluſ.* 3. idcirco nec Clerici, nec Laici a Conſervatorum juriſdictione, & poteſtate in prædictis delictis, ſive commiſſis, ſive committendis ſunt exempti; pro utriſque enim poſſunt Conſervatores excommunicare, & ſi opus fuerit, ad executionem ſuæ ſententiæ petere auxilium brachii Sæcularis, vel Curiæ Epiſcopalis; ut docet Gloſſ. *in dicto cap.* 1. *de officio Jud. deleg. in* 6. In caſu, quo Reus confiteatur factum, licet dicat ſe ſuo jure feciſſe, debent nihilominus Conſervatores ſuper offenſa notoria probationes recipere, nam alias facile eſſet officium Conſervatorum eludere, ut bene notat Sylveſter *V. Conſerv. num.* 3. ubi etiam addit, quod licet commiſſum delictum neget eſſe notorium, debent Conſervatores procedere ad ſententiam contra Reum confitentem delictum, quantumvis neget qualitatem notoriam, quia per ejus confeſſionem factum eſt notorium juris, quod ſufficit, prout habetur *in Cap. veſtra*, *juncta* Gloſſ. *ver. non diffitetur*, & docent Miranda *tom.* 2. *q.* 47. *art.* 8. *concluſ.* 2. Barboſa *in collect. allegat.* 106. *n.* 21.

19. Conſervatores ut dictum eſt *n.* 5. ſunt Regularium Judices Ordinarii, & ad univerſitatem cauſarum, atque adeo de omnibus cauſis tam criminalibus, quam civilibus, ac mixtis cognoſcere poſſunt; prout conſtat manifeſte ex conſervatoria Gregorii XIII. incip. *Æquum reputavimus*; pro Societate Jeſu edita, *tom.* 2. *Bull. Cherub.* quod verum eſt, ſive Regulares ſint rei, ſive actores; ut habetur in ejuſdem Bullæ §. 2. & Clementis VII. Bulla, quæ incipit: *Conqueſtionem* apud Peyrinum *tom.* 1. *de privileg. regul.* poſſunt quoque per hujuſmodi privilegia articulum ab aliis inchoatum proſequi, ut patet ex prædicta Clementis Bulla §. 5. & contra debitores Religioſorum procedere, cogendo eos ad comparendum coram ipſis, & ad ſatisfaciendum, & quamvis de jure communi hæc non procedant, per privilegia tamen relata fieri poſſunt; ita Roder.

Digitized by Google

Roder. *tom.* 1. *quæſt.* 65. *art.* 12. la Crux *de ſtatu Relig. lib.* 2. *cap.* 10. *concluſ.* 2. Portell. *in dub. Regul. v. Conſervator*. Et colligitur ex Decreto Sac. Congr. Concilii poſt dictam Conſtitutionem Gregorianam immediate poſito; obſervandum tamen eſt quod diximus *n.* 3. *&* 5. præſentis capitis.

20. De jure novo Concilii Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. *de reform.* Regulares extra Clauſtra degentes conveniri debent pro debitis civilibus coram Judice Conſervatore, ſi illum habent; ſi vero non habent, conveniendi ſunt coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc a Sede Apoſtolica delegatis; Regulares autem intra Clauſtra degentes, ac Conſervatore carentes, conveniuntur etiam pro dictis debitis coram præfatis locorum Ordinariis, non tamen privative quoad ſuos Prælatos Regulares, qui ipſorum ſunt Judices Ordinarii, nam in hoc creditoribus optio conceditur ut patet ex §. 6. memoratæ conſtitutionis Gregorii XV. & cum multis docet Novarius *in ſua lucerna Regular. v. cauſa*, *& in tract. de privileg. miſerab. perſon. in privil.* 70. *n.* 6. quicquid alii cum Diana in contrarium afferant, quorum opinio prædictæ Conſtitutioni Gregorianæ repugnare videtur.

21. Poſſunt Regularium Conſervatores procedere contra eorumdem animalia detinentes, ex quo damnum aliquod in agris alienis intulerunt, ſi Regulares parati ſunt ſatisfacere, dantes ſufficientem cautionem: nam in tali caſu, cum detentio ſit injuſta, irrogatur eis gravis, & notoria injuria, tam in ſua exemptione, quam in bonis injuſte detentis, quorum defenſio, & protectio ad ipſorum Conſervatorem ſpectat; prout conſtat ex Bulla S. Pii V. incip. *Ad hoc nos Deus*; apud Cherub. *tom.* 2. & ex Decreto S. Congr. Concil. Trid. in calce præfatæ Gregorianæ poſito; immo debent procedere ad defenſionem quorumcumque bonorum mobilium, ſeu immobilium, rerum, jurium, animalium, & poſſeſſionum ſub Regularium dominio exiſtentium, poſſunt etiam cognoſcere de injuriis, vel violentiis manifeſtis factis Religioſorum famulis, qui Monaſteriis actu deſerviunt, intra ſepta morantur, habitum deferunt, & ſub eorum obedientia vivunt; nam hujuſmodi famuli, Tertiarii, ſeu Donati per prædicta copulative habita, cenſentur, ſaltem large loquendo, de numero Regularium intra Clauſtra degentium; idem poſſunt in quibuſvis cauſis, & rebus Syndicos, & Procuratores Conventuum Fratrum Minorum, Monialium S. Claræ, & tertiæ Regulæ concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis; ut conſtat ex Bulla Clementis VII. incip. *Dum conſideramus*: apud Cherub. *tom.* 1. & docent Roder. *tom.* 1. *qu.* 65. *art.* 17. Portell. *v.* Syndicus *num.* 5. Lezana *p.* 2. *cap.* 10. *num.* 65.

22. Nequeunt Conſervatores ad ſe advocare cauſam Regularium coram Ordinario incæptam, antequam eorumdem Conſervatores eſſent, neque dare licentiam extrahendi quempiam a loco ſacro, præcipue in caſibus immunitate privantibus, quia id ſolum ad locorum Ordinarios ſpectat, privative quoad alios; ut conſtat ex Conſtitutione Gregorii XIV. incip. *Cum alias nonnulli*: quam per extenſum refert Roder. *tom.* 2. *q.* 50. *art.* 3. poſſunt tamen procedere adverſus eos, qui ad Eccleſias Regularium confugientes violenter extrahunt, nam hi non ſolum excommunicationem incurrunt, ſed etiam injuriam, ac violentiam manifeſtam irrogant. Peyrinus *tom.* 3. *in addition. ad Conſt.* Gregorii XV. *cap.* 11. *n.* 13.

23. Poſſunt Conſervatores procedere contra Epiſcopos, cum modeſtia tamen, & reverentia Dignitati Epiſcopali debita, ut clare conſtat *ex cap. ſane* 11. *de officio & poteſt Jud. deleg. & cap. Quia Pontificali* 2. *ejuſdem tit. in* 6. & ſi opus fuerit, cenſuris cohibere Ordinarios excedentes ſuam juriſdictionem in Regulares: *ex cap. ſi Judex de ſent. excom. in* 6.

Neque-

Digitized by Google

Nequeunt tamen ſe intromittere in controverſiis de præcedentia, quæ inter Regulares in proceſſionibus oriri ſolent, nam id per *cap. 13. Conc. Trident. ſeſſ. 25. de reform.* ad ſolos Epiſcopos pertinet, privative quoad alios; neque ſalarium pro ſententia lata, vel ferenda exigere poſſunt; prout deciditur *in cap. Statutum, in §. Inſuper de reſcript. in 6.* etiamſi adeſſet conſuetudo in contrarium, nempe accipiendi ſportulas pro judicio, quia id eis expreſſe vetatur *in cap. Statutum citat. loc. adjuncta Gloſſ. in ver. qualitercumque*; niſi forſan eſculenta, vel poculenta mera liberalitate oblata; ſi autem extra proprium domicilium exire coguntur, expenſas a partibus accipere poſſunt; item Notarii ipſorum poſſunt habere ſalaria moderata; ut dicitur *in dicto §. Inſuper, & ſeq.*

24. In caſu, quo Regulares diverſarum Religionum ſibi invicem notorias injurias, ſeu violentias faciant, & pro eis ad ſuos reſpective Conſervatores recurrant, tunc, ad effectum procedendi, datur præventioni locus, ſcilicet ut ille Conſervator procedat, qui prior præventus fuit; ut notat Peyrinus *in addition. ad Conſt. Gregorii XV.* vel ne mutuo ſe impediant, ſatis erit Romam recurrere, aut procurare ut arbitri eligantur, qui quæſtionem juriſdictionum decernant; ita habetur expreſſe *in §. 10.* Conſt. Gregor. Querales autem Regularium unius Ordinis contra alios Regulares ejuſdem Ordinis minime poſſunt Conſervatores ſuſcipere; prout decrevit Leo X. in ſua Conſt. incip. *Romani Pontificis*, quam per extenſum refert Confectius *in Collect. Privileg.* & eſt 10. inter Bullas ejuſdem. Poſſunt tamen reum citare per edictum, ubi tutus non patet acceſſus ad perſonaliter citandum, ut conſtat ex Conſt. prænotata Clementis VII. *§. 3.* & ex alia S. Pii V. incip. *Ad hoc nos Deus: §. 16.*

25 Conſervatores a Regularibus nominati non poſſunt procedere extra Civitates, & Diœceſes, in quibus fuerint deputati; ut expreſſe habetur in *§. 8.* dictæ Gregorianæ; poſſunt tamen alteri exiſtenti in loco, in quo ipſi ſunt deputati, ſuas vices committere, neque ſuam valent juriſdictionem exercere, niſi cum exiſtentibus in Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus fuerint deputati Conſervatores; poſtulat enim æquitas, ut minus quam fieri poteſt, partibus, præſertim reis, præjudicetur: idcirco ſi unum, idemque Monaſterium in diverſis Diœceſibus bona poſſideat, non ideo poteſt in unaquaque Conſervatores eligere, ſed Conſervatorem tenetur dumtaxat deputare in Civitate, & Diœceſi, ubi ſitum eſt Monaſterium, ibique, & non alibi ſuam juriſdictionem exercere, ut conſtat ex præfata Conſt. Gregor. & ex declaratione S. Congreg. quam per extenſum refert Peyrinus *in addit. ad eamdem Conſt. Gregor. tom. 2. cap. 11. n. 17.* non obſtantibus Regularium privilegiis, nam hæc, quoad prædicta, revocata manent.

26. Si Conſervatores ſcienter ſe intromittant in aliis, quam in manifeſtis injuriis, & violentiis, ſeu in aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, remanent eo ipſo per unum annum ab officio Conſervatoris ſuſpenſio: ut dicitur *in §. 10.* dictæ Conſt. Gregor. hujuſmodi autem ſuſpenſio, cum non ſit a divinis, non indiget abſolutione, quapropter, elapſo anno, poterit Conſervator ſuum officium proſequi: ad incurrendam tamen hanc ſuſpenſionem requiritur ſcientia, ut habetur *in cap. final. de officio, & poteſt. Jud. deleg. in 6.* ideoque eam non incurret, qui id faceret ex ignorantia, etiam craſſa, & ſupina; ſecus autem ex affectata, vel ſi illa ita craſſa foret, ut eſſet ingens temeritas: prout docent Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 31. ſect. 3. num. 17.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. diſp. 32. n. 36. & 39.* Roder. *tom. 1. q. 63. art. 19.* Peyrinus *tom. 1. ad Conſt. 1. Julii II. §. 16. n. 21.* Præterea, ſi Conſervatores excedere præſumant terminos traditæ poteſtatis, in præju-

Digitized by Google

præjudicium juriſdictionis Ordinariorum, incurrunt excommunicationem 17. Bullæ Cœnæ, contra uſurpantes eam juriſdictionem latam: ut docet Theſaurus *in praxi de pœn. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 17. *n.* 4.

27. Pars, quæ ſcienter procuraverit Conſervatores excedere limites jurisdictionis ſuæ, ipſo facto excommunicationem incurrit, a qua non poteſt abſolvi, niſi parti, quam indebite moleſtavit, prius integraliter de expenſis ſatisfecerit: ut conſtat ex §. 10. Conſt. Gregor. Pars autem in caſu noſtro debet eſſe Actor., vel Reus, nam alia tertia perſona, quæ non eſt pars in judicio, excommunicationem non incurrit, licet ad ejus inſtantiam Conſervator exceſſerit, immo procuratio partis debet eſſe cum effectu, quia lex excommunicans facientem aliquid, non ligat, niſi effectu ſubſecuto, ut docent Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 10. Sylv. *v. Conſervator num.* 5. & alii. Ab hujuſmodi excommunicatione ante ſatisfactionem nemo poteſt abſolvere, niſi ſolus Papa, cui eſt reſervata; poſt compenſationem vero, cum nulli reſervetur, poterit quilibet Confeſſarius ab Ordinario approbatus abſolvere; prout tenent Bonacin. *tom.* 3. *diſput.* 2. *p.* 35. *num.* 6. Azor. *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 35. *q.* 13. Theſaurus *cit. loc. lim.* 3.

28. Denique in cauſis dubiis, necnon in caſu gravaminis in notoriis injuriis, & violentiis appellari poteſt a Conſervatore ad Papam; ita Farinac. *p.* 1. *prax. crim. q.* 21. *nu.* 117. & 118. Tuſchus *v. Conſervator, concluſ.* 760. *n.* 6.

C A P. X.

De Pœnis violantium Privilegia Regular.

1. Plures Romani Pontifices ſub Cenſuris, gravibuſque pœnis locorum Ordinariis, aliiſque quibuſcumque inhibuerunt, ne Regulares in ſuorum privilegiorum poſſeſſione directe, vel indirecte moleſtent; directe enim fit, quando quis immediate, & formaliter Regularium privilegia lædit, videlicet, cum Ordinarii impediunt, ne Regulares præſentati, & approbati audiant Sæcularium Confeſſiones, vel ne Euchariſtiam illis adminiſtrent; indirecte vero contingit, quando Epiſcopus, aut alius non agit directe, & formaliter contra privilegium, & privilegiatos, ſed contra ſubditos, eiſdem prohibendo ne privilegiis Regularium utantur.

2. Tam Ordinarii locorum, quam Parochi, ſeu Rectores Eccleſiarum Parochialium, & quicumque alii, ſive Eccleſiaſtici, ſive Sæculares, qui directe vel indirecte, in genere, aut in ſpecie Regularium privilegia audeant, vel præcipiant, ſeu ordinent violare, pœnas infraſcriptas incurrunt: videlicet, Parochi, ſeu Rectores Eccleſiarum, & alii quicumque ſive Eccleſiaſtici, ſivi Sæculares incurrunt ipſo facto excommunicationem, Eccleſiarum Parochialium, omniumque aliorum beneficiorum, quæ obtinent, privationem, cum inhabilitatione ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ut conſtat *ex Bulla* Sixti IV. quæ incipit: *Regimini:* apud Cherubinum tom. 1. Bull. Rom. & ex alia ejuſdem Pontificis, quæ dicitur aurea, & incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Ordines*, eodem tomo.

3. Prædictas, plureſque alias pœnas Leo X. compendioſe in unum compilavit in ſua Conſt. incip. *Exponi nobis fecerunt dilecti filii*, in Fratrum Minorum favorem, ac conſequenter aliorum Regularium communicantium edita, & per S. Pium V. confirmata ex certa ſcientia in Bulla, quæ incipit: *Etſi Mendicantium*, ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Præpoſitos, & Vicarios Generales directa: quæ habetur in Bullario Emmanuelis Roderici, & eſt 28. inter Conſtitutiones dicti Pontificis, continetque

Digitized by Google

netque multa privilegia, pro quorum conſervatione illæ Cenſuræ, & pœnæ ſunt appoſitæ.

4. Sacra etiam Cardinalium Congregatio Conſtitutionibus Apoſtolicis inhærendo, infraſcriptum decretum, quod in regiſtro ejuſdem Congregationis *fol.* 139. reperitur, Archiepiſcopo Salernitano, Regulares in poſſeſſione ſuorum privilegiorum moleſtanti, ut ab hujuſmodi propoſito amoveret, direxit: *Advertat dominatio veſtra procedere cum circumſpectione cum Regularibus, niſi velit ſe multis Cenſuris irretiri; quatenus fortaſſe jam non ſit, quia novit eos habere infinita privilegia, & non eſſe ſubditos Ordinariis.*

5. Timeant igitur privilegiorum Regularium contemptores, ac violatores tot pœnas a Chriſti Vicariis contra eoſdem fulminatas, timeant pariter & eas, quæ a Deo immediate vibratæ ſunt, quarum plura calamitoſa apud hiſtoricos eccleſiaſticos extant exempla; & præcipue illud, quod Thomas a Cantiprato in libro, cui titulus: *Examen Apum*, *pag.* 184. narrat de quodam Doctore Sorbonico, qui poſtea Archiepiſcopus, & Cardinalis fuit creatus, ſed creſcens in Eccleſia, crevit & odio erga Fratres Prædicatores, & Minores, ita ut illorum Conventum in uno ſuæ Diœceſis oppido ſitum funditus everterit, nec non procuraverit ut uterque Prædicatorum, & Minorum Ordo non ſolum Epiſcopis, ſed etiam humiliorum Sacerdotum pedibus ſubjiceretur; pœnam tamen vexationis utrique Ordini factæ luere miſer coactus fuit, nam ultra mentis perturbationem, qua ante obitum laboravit, & annuli paſtoralis amiſſionem, quo miraculoſe privatus fuit, quodam mane e ſuperioribus domus deſcendens, ac præceps per gradus cadens, fractis collo, & cervicibus, illico infelix expiravit. Aliud ſimile exemplum refertur in Chronocis Minorum *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 36. *editione veteri Venetiis habita* 1606. de quodam Epiſcopo, cui etiam miraculoſe fuit caput amputatum ob perſecutionem contra Fratres Minores ab ipſo excitatam; & nedum proximis, ſed etiam antiquis ſæculis Regulares moleſtantibus Deus pœnas inflixit, ut de quodam Parocho, qui miſerrime periit, ex eo quod ſuis perſecutionibus e Monaſterio Sublacenſi Monachos Sancti Benedicti expulerat, narrat S. Gregorius Papa *lib.* 2. *Dialogor. cap.* 8. De aliis etiam tam in Africa, quam in Europa punitis ob perſecutionem Regularibus inflictam, narrant Salvianus Epiſcopus Maſilienſis *lib.* 8. *de Providentia cap.* 3. & Baronius in ſuis Annal. ab anno Chriſti 626.

6. Maxima præterea temeritas, errorque intolerabilis eſt aſſerere, quod Regularium privilegia, quoad uſum, beneplacito Ordinariorum prorſus ſint ſubjecta; nam ultra quam quod Summi Pontifices contra quoſcumque eadem violantes fruſtra pœnas infligerent, privilegiorum rationem, & naturam hujuſmodi ſubjectio penitus deſtrueret, quia cum privilegia ſint vel contra, aut præter, vel ſupra jus commune, per præfatam ſubjectionem in naturam juris communis proculdubio tranſirent, unde manifeſta, & abſurda contradictio ſequeretur, ſcilicet eadem eſſe ſimul, & non eſſe privilegia; privilegium enim Principis, juxta Juriſconſultorum ſententiam, debet eſſe immobile, & ut ait S. Leo Papa *Cap. Quod autem*, *Privilegia Eccleſiarum, & Monaſteriorum*, *Sanctorum Patrum auctoritate inſtituta*, *nulla poſſunt improbitate convelli, nulla novitate mutari, in quo neceſſe eſt hujus Sanctæ Sedis Pontifices perſeverantem exhibere famulatum.*

7. Poſtremo Summi Pontifices, ut conſuetudinem Ordinariorum, & Parochorum Regulares moleſtandi, eorumque privilegia violandi coercerent, Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem adverſus eos, qui conſtitutiones, præcipue aliquas, Apoſtolicas contemnere, & de eis male ſentire non verentur, procedere mandarunt:

1. con-

1. contra aſſerentes, peccata ſemel rite confeſſa Regulari Sacerdoti, facultatem habenti, iterum Parocho eſſe confitenda, Sancto Officio eos eſſe denunciandos, ab eoque puniendos decrevit Calixtus III. in Bulla incip. *Inter cetera*, & Sixtus IV. in Mari Magno Minorum incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ* : *§.* 15. & in Mari Magno Prædicatorum *§.* 13. quæ habentur *tom.* 1. *Bullar. Rom.* Cherub. 2. Idem Sixtus IV. decrevit, quod Ordinarii, & quicumque alii prohibentes ne Fratribus Carmelitis eleemoſynæ fiant, ipſo facto ſint excommunicati, & quod contra tales poſſint Rectores Ordinum Mendicantium, & Auditor Cameræ Apoſtolicæ, nec non Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ſicut contra hæreticos procedere: ut habetur *in compend. privil. V. Eleemoſyna n.* 8. quod quidem decretum per communicationem ad omnes Regulares Mendicantes extenditur. 3. Rectores Eccleſiarum Parochialium prætendentes, ac per vim rapientes, vel alio modo extorquentes quartam funeralium a Regularibus, ubi non erat conſuetudo eam ſolvendi ante annum 1523. vel ubi eſt conſuetudo, aliquid plus exigentes ſupra id, quod S. Pius V. in Bulla 41. incip. *Etſi Mendicantium Ordines*: apud Cherub. *tom.* 2. *Bull. Rom.* & impedientes, ne Sæculares in Eccleſiis Regularium ſepeliri valeant, Inquiſitoribus S. Officii, tamquam de hæreſi ſuſpecti denunciari poſſunt; prout conſtat etiam ex Bulla 21. Urbani VIII. incip. *Dilectis filiis hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus*; apud eumdem Cherub. *tom.* 4. *Bull. Rom.*

Abſoluto 1. tractatu de privilegiis in communi, amodo ſermo erit de privilegiis in particulari; ſed animadvertere debet prudens lector, quod in ſequentibus tractatibus, præſertim 3. & 4. plures inveniet reſolutiones ſæpius recenſitas, idque majoris claritatis, ac commodi gratia factum eſt.

TRACTATUS II.

De Privilegiis in particulari.

CAPUT I.

De Privilegiis Prælatorum Regularium.

1. Supponendum eſt, quod hoc nomen Prælati dicitur a præferendo, quia ceteris præfertur, ſuper quos præeminentiam habet; ut docent Panorm. in cap. *Cum ab Eccleſ.* Baſſeus *V. Prælatus*, & alii apud ipſos; & ſicut Hierarchia Eccleſiaſtica ex Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis conſtat, ita pariter Hierarchia Religioſa conſtat ex Generalibus, qui ſunt Prælati ſupremi, quia toti Religioni præſunt; Provincialibus, qui uni ſoli Provinciæ, & Guardianis, vel Prioribus, qui dumtaxat ſuis præſunt Conventibus; & conſimilibus Prælatis, quorum nomina, licet diverſa ſint, parum refert, cum ratio per nomen ſignificata ſit eadem: prout tradunt S. Antonin. *p.* 3. *tract.* 17. *cap.* 2. *§.* 2. Roder. *tom.* 1. *qq. RR. q.* 12. *art.* 6. Miranda *tom.* 2. *q.* 19. *art.* 1. Peyrin. *tom.* 2. *de Prælatis q.* 1. *cap.* 4. *§.* 4.

2. Gene-

2. Generales igitur Religionum, Provinciales, & Superiores locales, cum juxta communem DD. ſententiam ſint veri Prælati, in ſuos ſubditos ordinariam habent juriſdictionem, quæ quidem ex proprio officio, & beneficio legis, vel ex Principis privilegio, in perpetuum eis conceſſo, dimanat; nam ſicut Summi Pontifices acceptam a Chriſto Domino ligandi, atque ſolvendi poteſtatem, a primordiis Eccleſiæ in Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ceteroſque Ordinarios, quatenus opus erat, pro ſalute hominum efficaciter procuranda partialiter effuderunt; ita ſimiliter, ne Prælati Regulares, in eorumdem Ordinariorum onus ſubſtituti, pejoris conditionis in hac parte exiſterent, illam poteſtatem, præfatis Ordinariis prius conceſſam, in dictos Prælatos Regulares, immo & majorem quoad ſuos ſubditos, ab ipſorum Ordinariorum juriſdictione jam exemptos, tranſtulerunt; atque adeo ſicut juriſdictio Ordinariorum in ſuos ſubditos eſt illimitata, niſi a Papa arctetur, ita pariter illa Prælatorum Regularium in ſuos illimitata eſt, niſi ab eodem Papa, aut ab aliis, ad quos ſpectat, limitetur, ut de facto limitata eſt, ac limitari poteſt: prout colligitur *ex cap. Decernimus, de Judic.* & Gloſſ. *V. Prælati*, & docent Roder. *tom. 1. q. 27. art. 6.* Miranda *tom. 1. q. 13. art. 5. & tom. 2. q. 7. art. 1.* Victoria *in relect. de poteſt. Eccleſ. q. 2. num. 28. & comm. D. D.*

3. Præſidentes Conventuum a Definitorio electi, vel in locum Guardiani, vel Prioris defuncti, aut abſentis, ſeu amoti, ab eodem Definitorio ſubſtituti, ſint etiam veri Prælati, atque adeo habent juriſdictionem Ordinariam, & gaudent eiſdem privilegiis, quibus ipſimet Guardiani, aut Priores gaudent, & fruuntur, niſi eorum auctoritas per Ordinis Conſtitutiones limitetur, ſicut illa Guardianorum, ſeu Priorum, quæ de facto limitari ſolet, vel poteſt; ac proinde cum varia ſint Ordinum ſtatuta, conſulat unuſquiſque quæ ſui Ordinis ſpecialia ſunt, ne manum in ſegetem alienam mittat: ita docet Roder. *tom. 3. q. 76. art. 1.* Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 22. tract. 8. num. 6.* Jo: a Cruce *de Stat. Relig. cap. 6. dub. 6.* & conſtat ex privilegio Julii II. quod refert Roder. in ſuo Bullario Bulla 8. ejuſdem Pontificis.

4. Vicarii, ſeu Præſidentes dependentes non ſunt veri Prælati, ſed dumtaxat Vicarii Prælatorum, & ideo non habent majorem auctoritatem (ipſis Guardianis, ſeu Prioribus præſentibus,) quam illam, quæ illis ab ipſis Prælatis tribuitur: in noſtra Minorum Religione juxta Conſtitutiones ejuſdem tunc dicitur Guardianus præſens, quando intra terminum 24. horarum haberi poteſt. Guardianis vero abſentibus, eamdem quam ipſi Guardiani, poteſtatem habent, idcirco poſſunt a reſervatis abſolvere, ſuper quibus Guardiani ratione ſui officii poteſtatem habent, Novitios ad profeſſionem admittere, & reliqua, quæ poſſunt ipſimet Guardiani præſentes; nec poſſunt Guardiani hujuſmodi auctoritatem illis limitare, cum Julius II. in præfata Bulla illam conceſſerit, & in quodam Capitulo Generali obſervari præcipitur; prout refert Roder. *in Summ. tom. 2. v. Relig. cap. 107. num. 4.* Nequeunt tamen ſub excommunicatione præcipere, cum non ſint veri Prælati; in virtute vero S. obedientiæ jubere poſſunt, ut illius familiæ Præſidentes. Quod autem dicitur in Statutis noſtræ Reformationis cap. 8. num. 61. teneri Vicarios ſervare ordinationes ſuorum Guardianorum, etiam in eorum abſentia, id intelligendum eſt de ordinationibus gubernationem Æconomicam Conventus concernentibus.

5. Poteſtas Prælatorum Regularium non ſolum eſt de jure humano, ſed etiam de jure divino, ut docent graviſſimi D. D. nam per illa verba Matthæi *cap. 28. Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*, intelligitur Prælatorum poteſtas, cum ſub nomi-

ne Eccleſiæ intelligantur omnes Prælati, juxta comm. D. D. ſentent. & præcipue S. Joan. Chryſoſt. *in Homil.* 16. *in Matth.* Cum igitur Religionum Prælati ſint veri Prælati, habentes proprias oves, poteſtas eorum proculdubio de jure divino eſt, eis per Summos Pontifices miniſtrata: ita Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 22. Roder. *tom.* 1. *q.* 17. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *q.* 13. *art.* 4. & alii.

6. Præfati Regulares Prælati poteſtatem, quam habent, poſſunt ſuis ſubditis committere, ac delegare, cum ſint Judices Ordinarii, & veri Prælati, nam in hoc ab aliis Prælatis non Ordinariis diſtinguuntur; hujuſmodi etiam poteſtate in utroque ſoro uti poſſunt, in foro ſcilicet pœnitentiali, ſolvendo, ligandoque ſuorum ſubditorum animas; & in foro contentioſo, cenſuris ſubditos afficiendo, multiſque aliis modis puniendo, & condemnando, ut ex praxi, & conſuetudine conſtat, quia cum ſint illorum Prælati, ac Judices Ordinarii, prædicta juriſdictione competenti carere non debent, prout cum multis citatis docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. Sylveſt. *v. Prælatus num.* 1. Portell. *in addit. ad v. Prælat. num.* 1. & 2. Navar. *in cap. Non dicatis, num.* 95. & alii.

7. Prælati majores Regulares poſſunt ex juſta cauſa Prælatorum inferiorum, ſibi ſubditorum; juriſdictionem & poteſtatem coarctare, ac limitare; hinc Generales poſſunt Provincialium auctoritatem reſtringere, & Provinciales poſſunt Superiorum localium poteſtatem limitare; quia licet prædictis omnibus nedum de jure humano, ſed etiam de jure divino competat juriſdictio; ſuit tamen eis collata ordine hierarchico, ut dictum eſt; ſcilicet, ut minores a majoribus eſſentialiter dependeant: prout habetur *in Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *Can.* 11.

CAP. II.

De poteſtate in communi, ac directiva Prælatorum Generalium.

1. Generales Ordinum Regularium habent juriſdictionem, & poteſtatem in ſuos ſubditos, ſicut Patriarchæ, & Primates habent in ſuos, & quemadmodum hi præſunt nationi, ſeu Provinciæ, in qua ſunt plures Epiſcopi, cauſas illorum cognoſcunt, & corrigunt, leges condunt, præcepta imponunt, ligant, abſolvunt, & diſpenſant: ita pariter Generales ſubditos habent Provinciales quaſi Epiſcopos, illorum cauſas audiunt, judicant, corrigunt, leges, & præcepta illis, ceteriſque ſubditis imponunt, ligant, abſolvunt, & diſpenſant, non ſolum in rebus, quæ forum conſcientiæ, & obſervantiam regularem reſpiciunt, verum etiam in iis, quæ juriſdictionem Prælatorum inferiorum concernunt, a quorum juriſdictione poſſunt Fratres, & Conventus ſubditos eximere; ut docent Miranda *in Manual. tom.* 2. *q.* 7. *art.* 1. Martin. a S. Joſeph *de auctorit. Provincial. num.* 1. & 2. & alii.

2. Competit præfatis Generalibus poteſtas dominativa in ſuos ſubditos, quæ quidem ex voto obedientiæ provenit, nam ex traditione Religioſi ſequitur dicta poteſtas in acceptante hujuſmodi traditionem, ſeu votum; cum enim Generales ſint, quibus immediate ſit obedientiæ votum, proculdubio in eiſdem datur hæc dominativa poteſtas immediate in omnes Religioſos ſubditos, per quam recte poſſint eos ad caritatis perfectionem ordinare; ut docent *commun. D. D.*

3. Poteſtas etiam juriſdictionis præcipue in Generalibus reſidet, qui ſuper omnes ſuos ſubditos, ac inferiores Prælatos ſuorum reſpective Ordinum, non ſolum mediate, verum etiam immediate in omnes Provincias, illarumque Conventus, tamquam proprii Paſtores illam exercent; id enim valde neceſſarium

rium eſt ſtatui Religioſo, & ſubditorum ſaluti, cum hi ab Ordinariorum juriſdictione ſint exempti; hujuſmodi juriſdictionis poteſtas in ipſis eſt Ordinaria, non delegata, & juxta probabiliorem ſententiam, immediate a Generali Capitulo, mediate vero a Papa eiſdem communicatur, illamque in utroque foro, ac in omni genere cauſarum, quæ ſpeciali jure a Sede Apoſtolica, vel a Capitulo Generali, aut a Regularibus ſtatutis prohibitæ non fuerint, exercere valent; prout docent Portell. *V. Prælatus*, *num.* 2. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Lezana *tom.* 2. *cap.* 13. *n.* 12. & alii commun.

4. Generalium juriſdictio eſt quaſi Epiſcopalis, ut conſtat ex cap. *Abbates*, *de privilegiis in* 6. immo in aliquibus non ſolum eſt æqualis, ſed etiam major Epiſcopali, nam Generales habent poteſtatem & ſupra animas, & ſupra corpora ſubditorum, quam Epiſcopi tam amplam non habent erga ſubditos ſuos; cum quo ſtat, quod Epiſcopi juriſdictio ſimpliciter in ſpiritualibus major eſt, ac dignior; dicitur autem *quaſi Epiſcopalis*, quia non extenditur ad omnes actus, qui Ordinis Epiſcopalis proprii ſunt, licet in reliquis æqualis ſit, & major, ut dictum eſt: ita Portell. *V. Prælatus num.* 5. Peyrinus *tom.* 1. *privil. in Conſt. Thirri num.* 46. & alii commun.

5. Virtute poteſtatis directivæ, quam Superiores Generales in ſuos Subditos habent, poſſunt abſolute imponere Religioſis in particulari præcepta non valde gravia, ſeu importabilia; leges autem condere ad libitum, vel ſtatuta perpetua facere ſine conſenſu Generalis Capituli nullatenus poſſunt de jure communi; ſecus tamen de jure ſpeciali, ut accidit in una, vel altera Religione. Poſſunt autem facere ſtatuta pro tempore Generalatus duratura, dummodo ſint conſentanea Regulæ, quam ſubditi profitentur, nam ſi contraria ſint, aut valde oneroſa, nullo modo fieri poſſunt, nec facta acceptari: ad obligandum vero Subditos requiritur, ut præcepta ſingulis impoſita, vel leges pro omnibus in communi conditæ ſufficienter proponantur, ſeu promulgentur: ita docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. *& tract.* 10. *cap.* 13. *num.* 14. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 90. *& tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 12.

6. Generales expreſſam prohibitionem non habentes, poſſunt cum conſenſu Capituli Generalis de novo aliquam Provinciam fundare, vel fundatam dividere abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ſaltem in noſtra Religione Seraphica per praxim contrariam, nam in pluribus Capitulis Generalibus, præſertim in Vallisoletano 1565. Romano 1600. Toletano 1606. aliiſque, multæ de novo erectæ, & diviſæ reperiuntur Provinciæ; nec nocet Conſtitutio, quam refert Roder. *tom.* 1. *q.* 23. *art.* 8. Nicolai IV. prohibentis erigi, vel dividi Provincias ſine præfata licentia, quia non eſt in uſu, ut patet ex dictis, & ex lectura Annalium Vadingi, præcipue tom. 4. ab anno 1288. & ab anno 1399. ubi in Provinciarum erectione nulla Sedis Apoſtolicæ licentia comprobatur; ultraquamquod Gregorius XIII. conceſſit Capuccinis, ut abſque dicta licentia novos Conventus, & Provincias erigere, & fundare poſſent, ut fatetur Sorbus *in Compendio privil. V. ædificare* §. 18. quo privilegio omnes Regulares per communicationem fruuntur; ut docent Santor. *Conſt. Cap.* 12. *ſtat.* 21. Bordon. *tom.* 2. *reſ.* 58. *num.* 16. Regulariter tamen id non ſolet fieri abſque S. Sedis Apoſtolicæ beneplacito.

7. Poſſunt Generales ex una in aliam Provinciam ſuos ſubditos transferre, immo Guardianos, & Provinciales ipſos ex juſta cauſa commutare poſſunt, nam obedientia ab eiſdem promiſſa, non ad unam tantum Provinciam, vel Conventum, ſed ad totam Religionem extenditur; id enim nonumquam expedit ad quietem Conventuum, ac Provinciarum, & nullibi reperitur prohibitum Generalibus; qui tamen ad In-

Digitized by Google

Infideles, Hæreticos, & Schiſmaticos, cauſa prædicationis, & ubi imminet Martyrii periculum, ſubditos mittere nequeunt, niſi ipſi parati ſint, & ſponte vadant; vel niſi quarto Voto eundi ad Miſſiones ſint adſtricti, nam hi etiam inviti ad eas mitti a Generalibus poſſunt; ut docent cum multis citatis Baſſeus *V. Prælatus num.* 14. Rodericus, & Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *num.* 91. & 99.

8. Quamvis nonnulli negent, Generales poſſe eximere ſubditum ab obedientia Provincialis, vel Guardiani; affirmativa tamen ſententia verior eſt, & tenenda, quia id non eſt illis prohibitum, immo cum cauſa poſſunt Generales cum ſubditis diſpenſare in omnibus, præter vota, & præcepta; eximere autem ſubditum ab obedientia Provincialis, vel Guardiani, ab aſſiſtentia Chori, ab obligatione acceptandi Prælaturas, vel Officia Ordinis; item addicere ipſum ſervitio alicujus Prælati Sæcularis, vel Prædicatorem conſtituere, qui ubique prædicet ſine licentia Provincialis, & ſimilia concedere, non eſt voti obedientiæ diſpenſatio, quia ſic exempti ſub obedientia Generalium remanent, neque id excedit facultatem ordinariam ipſorum: ita Sanctor. *cit. loc. ſtat.* 12. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 22. & alii.

9. Generales de conſenſu ſui Definitorii alias poterant facultatem concedere novas domos ædificandi de ſola Ordinarii licentia, juxta decretum Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 3. nullo aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis requiſito conſenſu; modo autem neque Generales, neque locorum Ordinarii poſſunt hujuſmodi licentiam concedere, niſi copulative Summi Pontificis aſſenſus accedat, ſcilicet, prævia examinatione S. Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, vocatiſque, & auditis aliorum in eiſdem civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Superioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, ſervatiſque de jure ſervandis, & cauſa cognita conſtiterit, in eiſdem civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe: ut patet ex Conſt. Clementis VIII. incip. *Quoniam ad inſtitutam*, Gregorii XV. incip. *Cum alias*, quæ habentur in Bullar. Cherub. *tom.* 3. item ex Conſt. Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex*; & Innoc. X. incip. *Inſtaurandæ*: eodem Bullar. Cherub. *tom.* 4.

10. Generales (idem dic de aliis Prælatis Religionum) nequeunt ad inſtantiam quarumcumque perſonarum extra ſuos Ordines exiſtentium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, aut Cardinalatus Dignitate fulgentium, alicui Religioſo ſubdito ullum officium, ſeu dignitatem conferre, vel pœnas remittere; ita Gregorius XIII. *Bulla* 62. & Clemens VIII. *Bulla* 57. apud Cherub. *tom.* 2. & Paulus V. *Bulla* 39. apud eumdem Cherub. *tom.* 3. qui ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuerunt Superioribus Ordinis Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Eremitarum S. Auguſtini, Minimorum, ceteriſque Superioribus Regularibus, qui licet proprias Bullas ad id non habeant, in privilegiis tamen communicant; conſtitutiones enim præfatæ reſpectu Religionum ſunt favorabiles, quamvis reſpectu particularium Religioſorum cenſeantur odioſæ. Quinimmo quoſcumque Religioſos ſubditos, qui contra Decreta dictarum Conſtitutionum per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia, & ſimilia, & etiam majora conſequenda perpetuo inhabiles declararunt; prohibentes pariter ſubditis præfatis ſub eiſdem pœnis, ne etiam ſponte oblatos, & ab eis minime procuratos favores recipiant, neque ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant. Probabile tamen eſt, juxta ſententiam Peyrini *de Subdito quæſt.* 2. *cap.* 2. §. 11. & aliorum, quod

Digitized by Google

quod poſſint prædicti Superiores aliquam gratiam ſuis ſubditis facere ad extraneorum inſtantiam, non obſtante quod Paulus V. in ſua Conſtitutione prohibeat *ullam gratiam* ad hujuſmodi inſtantiam concedere, nam illa particula, *ulla*, non videtur eſſe tam univerſalis, ut excludat omnem, & quamcumque gratiam, ſed quod nullam concedere poſſint pertinentem ad remiſſionem alicujus pœnæ, vel ad gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, & Prælaturas obtinendas; ceteras autem gratias, quæ videntur ſub parvitate materiæ contineri, v. g. transferre ſubditum de uno ad alium Conventum, concedere eidem licentiam eundi extra Conventum per aliquot dies, vel ad Ordines ſuſcipiendos, aliquam parvam reprehenſionem, ſeu diſciplinam condonare, & ſic de ſimilibus, poſſunt utique Prælati facere ad extraneorum inſtantiam: nam Papa non videtur hæc minima prohibere, cum non ſupponat animum ambitioſum Religioſi, prout etiam colligitur ex verbis Conſtitutionis, in qua inhabilitatis pœna imponitur ſubditis, qui per conquiſitos favores aliquid ſibi procuraverint; inhabilitas enim cadit ſuper officiis, beneficiis, dignitatibus, gradibus, & Prælaturis, non autem ſuper ceteris gratiis relatis, & ſimilibus, quibus pœna inhabilitatis nullatenus convenit.

11. Poſſunt Prælati præcipue Generales interpretari privilegia, conſtitutiones, indulta, gratias, & exemptiones ſuæ Religionis, non ſolum doctrinaliter, ſed etiam judicialiter, ut diximus *tract. 1. cap. 2. num. 6.* debet tamen id fieri in ambiguis, nam ſi privilegia, vel ſtatuta ſint clara, & Prælati velint illa perperam declarare, tunc ſubditi tali declarationi ſtare non tenentur; ut notat Tambur. *de jure Abb. tom. 1. diſp. 16. q. 6. num. 9.*

12. Generales, & Capitula generalia, ac provincialia poſſunt ſuis ſubditis etiam Prælatis uſum quorumcumque privilegiorum auferre, vel limitare; prout conſtat ex quadam Bulla Clementis IV. quam refert Miranda in ſuo Manuali *tom. 2. q. 43. art. 4. concluſ. unica*; & ex alia Gregorii XIII. quam refert Tambur. ſupra *quæſt. 9. num. 2.* Non poſſunt tamen virtute prædictarum conceſſionum tollere aliquid quod ſit contra jus commune, vel uſum Sacrorum Canonum; nam quæ de jure ſtatuta ſunt, habent vim obligandi ad culpam, vel pœnam juxta ipſius juris diſpoſitionem, quæ obligatio neque a Generali, neque a Capitulo generali tolli totaliter poteſt: *ita DD. commun.*

13. Ex privilegio a Gregorio XIII. Generali Societatis Jeſu conceſſo, quo etiam alii Religionum Generales per viam communicationis fruuntur, poſſunt Religioſis ſubditis concedere licentiam aperiendi litteras ſacræ Pœnitentiariæ, directas in foro conſcientiæ Doctoribus in Theologia, vel jure Canonico ad abſolvendum, vel diſpenſandum juxta tenorem earum: immo poſſunt id ipſum aliis Prælatis inferioribus committere, cum facultate delegandi: tenentur tamen Generales, vel alii Prælati ab eis delegati hoc negotium committere viris litteratis, & approbatis ab Ordinario, unde ſi illitteratum eligant, peccant graviter, ut docet Paſqualighus *tom. 2. deciſ. 414. num. 6.* ille autem cenſetur litteratus, qui non ſolum modum, quem debet ſervare in executione, & pœnitentiis imponendis, ac votis commutandis intelligat, ſed etiam debet eſſe inſtructus circa caſus reſervatos, cenſuras, irregularitates, impedimenta canonica, ceteraque omnia, pro quibus ad ſacram Pœnitentiariam ſolet recurri; negotium hoc revera graviſſimum eſt, idcirco ut in hac materia tam Prælati, quam ſubditi delegati inoffenſo pede decurrant, conſulant Doctos, & Doctores, præcipue Sanchez *de Matrim. lib. 8. diſp. 34. & 35.* qui de ea optime diſputat.

14. Nequeunt Generales compellere ſubditos ad acceptandum Epiſcopatum, vel aliud beneficium extra Ordinem,

D 3 quia

quia ſolum poſſunt ſubditis præcipere quæ ad Regulam, & Statnta pertinent, vel ad Religionis commune bonum ordinantur; Epiſcopatus autem non ordinatur ad bonum commune Religionis, ſed ad bonum Univerſalis Eccleſiæ: ſolus ergo Papa poteſt Regulares ad id compellere: ita docent D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Sanchez *in Summ. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 49. Layman *in Summ. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 15. *n.* 11. Roder. *tom.* 1. *quæſt.* 34. *art.* 8. & alii.

15. Quoad vim directivam tenentur Generales, ſaltem in foro conſcientiæ, obſervare leges a ſe latas, ſi legis materia ſit communis, & ejuſdem rationis reperiatur eſſe in legiſlatore, & in aliis ſubditis, nam leges humanæ ordinantur ad bonum commune; promovere igitur ad bonum commune, & comparare ſibi virtutem, non minus pertinet ad legiſlatorem, quam ad ſubditos, jure enim naturæ pars non debet diſcordare a toto, neque totum a partibus, idcirco ſi Legiſlator in legum obſervantia a toto diſcordat, turpiter agit; ſecus autem dicendum quoad vim coactivam, nam vis coactiva, ſecundum omnes, pertinet ad pœnæ impoſitionem, pœna autem de ſua ratione fertur in invitum, & ideo ferri non poteſt niſi a Superiore, in alium ſibi ſubditum poteſtatem habente, ergo non poteſt imponi a Legiſlatore reſpectu ſui ipſius: ita D. Thom. 1. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 3. Sylveſt. *v. lex q.* 14. Miranda *tom.* 2. *q.* 25. *art.* 22. Peyrinus *de Prælatis q.* 1. *cap.* 8. & alii.

CAP. III.

De poteſtate coercitiva Prælatorum Generalium.

1. Duplex datur in Generalibus poteſtas coercitiva; una quæ ex voto obedientiæ, a ſubditis emiſſo, provenit; altera, quæ ratione juriſdictionis Eccleſiaſticæ eiſdem competit: prima ſolum extenditur ad coercendum modo paterno, ſecunda vero perfectam poteſtatem coercitivam ſpiritualem importat, videlicet, ut non tantum extendatur ad coercitionem ſpiritualem, quæ fit per cenſuras, & inhabilitates, verum etiam ad corporalem, ſub qua comprehenditur quælibet corporis caſtigatio, vel afflictio; ut patet ex uſu communi, & privilegiis omnium Religionum.

2. Generales de jure communi eam poteſtatem coercitivam in ſuos ſubditos habent, quam Epiſcopi in ſuos, atque adeo poſſunt ſuos ſubditos per quaſcumque Eccleſiaſticas Cenſuras coercere, nequeunt tamen Capitulo generali interdictum, vel ſuſpenſionem generalem ponere, neque novas irregularitates ſuis ſubditis imponere, ſed tantum declarare, an aliquis ipſorum aliquam ex irregularitatibus jure Pontificio inductis incurrerit; ſolum enim jus commune, & Summus Pontifex pœnam irregularitatis imponere poſſunt: ut docent *D. D. commun.*

3. Ex juſta cauſa poſſunt Generales ſuſpendere ſuos ſubditos a Confeſſionibus Sæcularium audiendis, alias ab Ordinariis locorum approbatos; ut conſtat ex quadam declaratione S. Congreg. per hæc verba: *Sacra Congregatio cenſuit, Generales ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet extrajudicialiter poſſe ſuos ſubditos a Confeſſionibus audiendis ſuſpendere:* quam declarationem refert Delbene *part.* 2. *cap.* 14. *ſect.* 6. *num.* 7. Nequeunt tamen illos inhabilitare ad Prælaturas, officia, & gradus, ad quos ex natura ſua, & jure divino ſunt habiles, nam id ſolum Pontifici, vel Capitulo generali juxta qualitatem criminis competit; prout cum communi docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 9.

4. Tenentur Generales per ſe ipſos, vel per alios Religioſos ejuſdem Ordinis ſuam Religionem viſitare; ut patet ex Trident. *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. *& ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 8. ubi citatur, & renovatur cap. *In ſingulis, de ſtatu Monach.* & pro F. F. Mino-

Minoribus ex cap. 10. Regulæ, idque ſub rigoroſo præcepto naturali, ac divino, corrigendo, & puniendo ſubditorum delicta, etiam illa, quorum judicium, & punitio ad inferiores Prælatos pertinet; nam Generales, ut dictum eſt, habent juriſdictionem Ordinariam, & immediatam in omnes Religioſos, etiam Prælatos, & tempore viſitationis omnes cauſæ Provinciarum, & Conventuum illis committuntur: ita Portell. *V. Prælatus num.* 10. Lezana *tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 28. & alii.

5. Nequeunt Generales tradere Religioſos ſubditos immediate brachio Sæculari ultimo ſupplicio afficiendos, nec condemnare eoſdem ad publicam flagellationem, vel membrorum mutilationem ob crimina quantumvis gravia, nam privilegia Religionum ſolum dant facultatem mittendi in exilium, ad triremes, vel ad perpetuum carcerem; poſſunt tamen in delictis gravioribus, ſi res ita exegerit, reum torturæ cum moderatione ſubjicere per miniſtros Sæculares, ut conſtat ex privilegio Nicolai V. Minoribus conceſſo, apud Caſarrub. *in comp. privil. V. Correctio Fratrum num.* 12. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 7.

6. Sine juſta cauſa non poteſt Generalis inferiorem amovere Prælatum a ſuo officio, quia cum per electionem declaratus ſit dignus, & idoneus, non poteſt ſine juſta cauſa a ſuo jure acquiſito privari, ac per amotionem indignus declarari; immo Generalis amovendo abſque juſta cauſa Prælatum inferiorem, non ſolum peccat, ſed etiam amotio illius eſt nulla, defectu juriſdictionis; ſed neque in totum, vel in partem juriſdictionem Prælati inferioris auferre poteſt ſine juſta, & rationabili cauſa, quia juriſdictio eſt propria illius conceſſa per legem, vel privilegium, ergo abſque injuria non poteſt ſine cauſa ab illo auferri: ita Lezana *tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 56. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 58. *num.* 53. & alii commun.

7. Propter bonum commune poſſunt Generales amovere a ſuis officiis inferiores Prælatos, etiam nulla interveniente ipſorum culpa, nam hæc munera ordinantur in Religionibus non ad commodum, & utilitatem Prælatorum, ſed ad bonum commune totius Ordinis; ergo bono communi id poſtulante, proculdubio poſſunt amoveri a Generalibus; quibus præcipue cura boni communis, ac juriſdictio ad illud conſervandum incumbit: id tamen intelligendum eſt, niſi detur in aliqua Religione ſtatutum aliquod in contrarium: prout docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Pellizar. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 64. Girap. *part.* 3. *dub.* 36. *num.* 226.

8. Cum cauſa poſſunt Generales ad ſe advocare cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis, quia iſtorum ſubditi immediate Generalibus ſubjiciuntur, omne enim jus inferioris ſubditur juri majoris, qui de illo in ordine ad bonum commune ad libitum diſponere poteſt, niſi id per ſtatuta coarctetur, & dummodo cauſa juſta interveniat; nam ſine illa Generales advocando ad ſe hujuſmodi cauſas, proculdubio mortaliter peccant contra juſtitiam, & advocatio eſt nulla, quia lædunt jus alterius per privilegia conceſſum, ac excedunt limites propriæ poteſtatis, quæ in ædificationem, non autem in deſtructionem ſubditorum ſe extendit: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 87. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 88. *n.* 4. 8. *&* 9. Paſqualig. *tom.* 2. *deciſ.* 57. *num.* 3. *&* 61. *num.* 1. & alii.

9. Generales habent poteſtatem deponendi Prælatos inferiores a ſuis officiis, ſi hi negligentes ſint in procuranda obſervantia Regulæ, & Conſtitutionum Ordinis, permittentes, ſeu diſſimulantes, ut regularis obſervantia paulatim in deſuetudinem abeat, quod quidem graviſſimum malum eſt; Generalibus enim cura præcipua incumbit Ordines in obſervantia ſuarum legum, & privilegiorum conſervare, & invigilare, nec non inquirere an propter Prælatorum inferiorum negligentiam,

D 4 & omiſ-

Digitized by Google

& omiſſionem Provinciæ, & Conventus in eorum regularibus inſtitutis detrimentum patiantur, ut, quantum fieri poſſit, priſtinæ obſervantiæ in totum, vel in partem reſtituantur: ita D. Thom 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. Granad. *de leg. p.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 2. *ſect.* 4. *controv.* 7. & alii communiter.

10. Licet aliquando expediat, quod Generales diſſimulent aliqua ſubditorum delicta ad majora mala vitanda, numquam tamen licet diſſimulare ambitiones, factiones, & ſeditiones in Provinciis ortas, cum hoc graviſſimum malum directe in Religionis deſtructionem tendat; opponitur enim caritati, unitati, ac ſocietati fraternæ, quibus deſtructis, experientia teſte, Religio proculdubio deſtruitur; idcirco tenentur Generales pacem ſubditorum procurare, mutuam inter ipſos caritatem fovere, factiones, ac ſeditiones radicitus evellere, e Provinciis hoc ſemen peſtiferum, tantorum malorum cauſam funditus extirpare, ac factionum capita penitus evertere; ſi enim capita Provinciarum in ſeipſa diviſa ſunt, quomodo ſtabunt Provinciæ, quanam ſtabilitate Religiones manebunt? diſcordiæ enim, ſeditiones, & factiones ab ipſis capitibus originem ducunt: nam factiones, & diſcordiæ non dividunt Provincias, niſi capita, quæ eaſdem gubernant, vel gubernare præſumunt, prius dividantur. Eapropter plures Summi Pontifices, & præcipue Urbanus VIII. per ſuam conſtitutionem incip. *Militantis Eccleſiæ*, anno 1640. editam, ad præfata mala vitanda, ſcandala tollenda, pacem, & caritatem fraternam conſervandam, ac candorem, decoremque Ordinibus Religioſis vel ſervandum, vel reſtituendum, peculiares conſtitutiones ediderunt.

C A P. IV.

De poteſtate, quam habent Superiores Generales reſervandi peccata ſuorum Subditorum.

1. Reſervatio caſuum, ſive criminum graviorum ex hac ratione provenit, quod nunc ſolus Papa juriſdictionem neceſſariam ad peccatorum remiſſionem, abſolutionemve, Divino jure, in ſui electione, & ordinatione accipiat; reliqui vero Epiſcopi, & Prælati exempti, ſive ſæculares, ſive Regulares juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, jure Eccleſiaſtico, a Papa; qui proinde eamdem præfatis omnibus limitare poteſt, vel perſonas ab eorum juriſdictione eximendo, vel peccatorum abſolutiones reſervando. Et ſimili ratione, cum inferiorum juriſdictio a Superioribus Prælatis proveniat, poterunt hi illis poteſtatem in foro pœnitentiæ limitatam concedere, quoſdam caſus, ſeu cauſas graviores ſuo judicio reſervantes; ut nimirum crimina graviora ſecurius corrigantur, & ſalubriora eiſdem remedia adhibeantur: prout notavit Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7.

2. Poſſunt Generales ſibi reſervare caſus ſuorum Subditorum, non tamen Noviciorum, nam hi neque ligantur caſibus Epiſcopo reſervatis, cum non ſint Subditi ipſius, neque ligantur caſibus Religioni reſervatis, quia perfecte non ſunt ſubditi ex voto obedientiæ, nondum ab ipſis emiſſo, atque adeo nequeunt ligari Religionis oneribus, cum tantum in favorabilibus ſint Religioſi; ut docent *commun. D. D.* ſolum enim caſibus Papalibus ligantur, a quibus poſſunt abſolvi, ſicut ceteri ſæculares ab habentibus facultatem; requiruntur tamen nonnullæ conditiones ad hoc, ut præfati Generales poſſint ſibi caſus reſervare; 1. ut ſint peccata mortalia; 2. ut ſint actus externi completi; & 3. ut obſervetur Decretum Clementis VIII. anno 1593. editum,

editum, in quo decernitur, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ in præfato Decreto continentur; videlicet, *Veneficia*, *Incantationes*, *Sortilegia*, *Apoſtaſia a Religione &c.* prout habetur in Bullario Cherub. *tom.* 4. *poſt Conſt. Urbani VIII.* 26. *pag.* 273. de quibus infra redibit ſermo. Adjungit præterea idem Pontifex, quod ſi aliquod peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, & Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

3. Generales caſibus reſervatis ad præſcriptum Clementis VIII. poſſunt etiam excommunicationem latæ ſententiæ annectere, illamque ſibi reſervare, quia qui poteſt in principale, poteſt pariter in acceſſorium, cum de jure communi valeant Generales ſibi abſolutionem excommunicationis ab ipſis latæ reſervare; immo juxta ſententiam probabiliorem poſſunt ſibi reſervare cenſuras aliorum peccatorum, nam Decretum Clementis VIII. non loquitur de reſervatione cenſurarum, ſed dumtaxat, & expreſſe loquitur de reſervatione culparum, ut patet ibi: *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutionem ſibi reſervet, exceptis iis &c.* Cum igitur per præfatum Decretum non fuerit limitata poteſtas Generalium ferendi cenſuras, proculdubio valent hodie illas ferre, ſibique reſervare: prout docent Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 29. ſect. 3. n.* 13. Tambur. *de jur. Abb. tom. 2. diſp.* 13. Miranda *tom.* 2. *q.* 34. *art.* 4. *concluſ.* 2. *in fine*. Coriolan. *tract. de caſib. reſervat. p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 6. & alii. In noſtro Ordine Seraphico Generalis, ac Provincialis abſque ullo dubio hujuſmodi poteſtatem habent, ut conſtat ex Statutis generalibus Barchionenſibus a Sede Apoſtolica approbatis *cap. 6. §. de caſib. reſervat. in Orb. Seraph. tom. 3. pag.* 663. *col.* 2. *in fine*, ubi habetur: *Declaramus etiam Generalem, & Provinciales per ſe ſolos abſque conſenſu Capituli poſſe ſibi reſervare quaslibet cenſuras, & ejuſmodi reſervationem eſſe validam, & tenere; cum Decretum Clementis VIII. tantum loquatur de peccatis, quæ longe diſtant a cenſuris.*

4. In reſervatione caſuum a Clemente VIII. expreſſorum non tenentur Generales diſcuſſionem, & conſenſum Capituli generalis expectare, ſicut in aliis non expreſſis tenentur, quia cum talis diſpoſitio Clementina maxime exorbitet a jure communi, hanc poteſtatem Prælatis Regularibus concedente, idcirco non amplianda, ſed reſtringenda eſt; opinio enim affirmativa non eſt conſona tenori Bullæ, nec motivo Pontificis, qui formam illam diſertis verbis ad caſus non enumeratos reſtringit, cum hi ſoli ſint determinandi, recenſiti autem in dicta Bulla jam ſunt a Pontifice determinati: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 19. Portell. *v. Caſ. reſervat. num.* 12. De Lugo *diſp.* 20. *de pœnit. num.* 42. Coton. *lib.* 4. *controv.* 10. *num.* 11. Poſſunt etiam Generales extendere reſervationem ad Moniales ſibi ſubjectas, non ſervata forma Clementis VIII. prout docet Pellizar. *cap. de Monial. num.* 46.

5. Non licet Generalibus Confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, aut proprio motu id ab ipſis petierint, ideoque debent in ſingulis domibus duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori, qui ſint docti, prudentes, & caritate præditi, pro reſervatorum abſolutione, poſſuntque iidem Generales quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis graves determinare pœnitentias, a Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint; prout conſtat *ex præcit. Bulla*.

6. Nequeunt Generales negare facultatem in reſervata Confeſſario petenti, idque ex Decreto prædicto conſtat,

Digitized by Google

ſtat, nam quando non timetur rationabiliter damnum pœnitentis, qui ob facilitatem abſolutionis non emendabitur, nec timetur damnum boni publici, vel tertii, ut eſſet gravis infamia communitatis, vel facilitas peccandi in aliis, qui caſuum reſervatorum legem non curarent, Generales licentiam denegando mortaliter peccarent; multo magis, ſi Confeſſarius teſtaretur pœnitentem eſſe in periculo omittendi Confeſſionem, ut cum multis docet Tambur. *de Sacram. lib. 5. cap. 8. §. 2. num. 2.* Si autem præfati Superiores facultatem Confeſſario petenti denegaverint, poterit nibilominus Confeſſarius pro illa vice pœnitentem Regularem abſolvere, immo toties abſolvere poterit, quoties Superiores irrationabiliter facultatem negaverint: ita Dicaſtillo *diſp. 11. dub. 20. num. 339.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 63.* Gobat. *in Theol. experim. tract. 7. caſ. 20. pag. 478. num. 805.* Præpoſ. apud Dian. *part. 9. tract. 3. reſol. 15.* & alii.

7. Improbabilis omnino eſt ſententia eorum, qui dicunt, Superiorem Generalem ex quovis impedimento, vel cauſa, poſſe audire peccata ſola reſervata, & ab iis abſolvere, & pro aliis peccatis non reſervatis pœnitentem ad inferiorem remittere; & ratio eſt, quia hujuſmodi dimidiata confeſſio eſt contra jus divinum, & rationem integritatis Confeſſionis, etiam materialis, quæ extra caſum urgentis neceſſitatis celebrandi, vel communicandi, vel in periculo mortis, in naufragio, peſte &c. obligat ſub mortali tam pœnitentem, ut utraque confiteatur, quam Superiorem, ut utraque audiat; ſi autem nolit, vel non poſſit commode audire totam Confeſſionem, poteſt auditis, vel etiam non auditis reſervatis, tollere reſervationem, vel alium delegare, aut dare poteſtatem eligendi Confeſſarium, qui pœnitentem abſolvat: ita De Lugo *diſp. 20. de pœnit. num. 77.* Coton. *lib. 2. controv. 7. cap. 5. quæſt. 9. num. 162.*

8. Licet de jure communi, & antecedenter ad præfatum Decretum Clementis VIII. Generales poterant ex juſta cauſa facultatem reſervandi caſus a Provincialibus auferre, vel limitare, propter votum obedientiæ, quo hi Generalibus obnoxii ſunt; ſtante autem eo Decreto, quo limitantur caſus reſervabiles, & modus reſervandi, cum non poſſit abuſus intervenire, non apparet juſta cauſa hanc facultatem vel de novo limitandi, vel auferendi, quia hujuſmodi facultas modo competit Provincialibus jure ordinario; ita Miranda *tom. 2. q. 16. art. 4.* Bordon. *tom. 1. reſol. 37. num. 36. & 37.* Poſſunt tamen Generales abſolvere quoſcumque ſubditos a caſibus, & cenſuris latis, & reſervatis a Provincialibus, ut docent Suarez, & Tambur. *tom. 2. diſp. 14. q. 7. num. 3.*

9. Nullus Prælatus etiam Generalis poteſt ejectos a Religione in perpetuum abſolvere, niſi eo modo, & in caſibus, a quibus poſſunt alios ſæculares abſolvere, ſiquidem nullam ſuper eos juriſdictionem habent, quæ per ejectionem ad Ordinarios locorum translata eſt; & propter eamdem rationem nequeunt abſolvere Moniales ejuſdem Ordinis, ſubjectas tamen Ordinario; poſſunt tamen Generales, aliique Prælati inferiores abſolvere Religioſos factos Epiſcopos virtute privilegiorum Ordinis, ſi illi quoad hoc eis ſubiiciantur, quia, etſi ſint Epiſcopi, gaudent privilegiis favorabilibus Ordinis, quæ ipſorum Religioſorum aſſumptorum commodum concernunt, abſque Religionis gravamine, idque convenit, ut cum ipſis permaneant favores, & gratiæ, prout ſunt indulgentiæ, abſolutiones, ac diſpenſationes paſſivæ &c. ita docent Portell. *v. eiicere ab Ordine*, & cum aliis Pellizar. *tom. 2. tract. 9. cap. 3. n. 218. ex tract. 8. cap. 1. n. 65.*

10. Poſſunt Prælati Generales ſibi Confeſſarium eligere quemcumque Sacerdotem, alias idoneum, quamvis non approbatum, ſive Sæcularem, ſive Regularem, propriæ, vel alterius Religionis,

nis, a quo poſſunt abſolvi, & reſpective diſpenſari a reſervatis, cenſuris, pœnis, inhabilitationibus, privationibus, irregularitatibus, votis &c. a quibus ipſimet Prælati poſſunt ſuos ſubditos abſolvere, & diſpenſare; prout conſtat *ex cap. Final. de pœnit. & remiſſ. peccat. & ex Conc. Trident. ſeſſ.23. cap.* 15. *de reform.* ubi in hoc quoad Prælatos Regulares nihil innovatur, cum approbatio Ordinarii, de qua loquitur, requiratur tantum ad audiendas Confeſſiones Sæcularium, non vero Regularium, ut docent communiter DD. Suarez *tom.* 4. *de Relig. & in* 3. *part. diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 9. Peyrinus *tom.* 1. *privil. in Conſt.* 4. Sixti IV. *num.* 28. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 81. & alii; habent enim in prædicta auctoritatem activam, paſſivam, & commiſſivam in ordine ad ſubditos; immo poſſunt etiam illam delegare ſubdito, cum facultate ut is poſſit eamdem ſubdelegare, dummodo delegatus non ſubdeleget nomine proprio, ſed nomine Superioris delegantis: ita Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 31. *num.* 6.

C A P. V.

De poteſtate quam habent Generales, abſolvendi ſuos Subditos a Cenſuris, etiam reſervatis.

1. CUm Generales Religionum exemptarum ſint Ordinarii ſubditorum paſtores, idcirco habent in utroque foro juriſdictionem in ipſos, & non tantum ex privilegio, ſed etiam jure communi poſſunt utique illam delegare; ut docent Sylveſt. *excomm.*2.*verſ.*5. Sotus *in* 4. *Sent. diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 1. Covarr. *pract. q. q. cap.* 11. *num.* 5. & licet ferentes cenſuras territorium habere debeant, ut conſtat *ex Can. Novi, de offic. delegat. cap.* 9. *q.* 2. nihilominus tamen Generales, aliique Ordinum exemptorum Prælati ab hac regula proculdubio excuſantur; nam hi omnes in alieno territorio juriſdictionem exercere, atque adeo ſuos ſubditos excommunicare poſſunt: ex quo enim juriſdictio in alterius territorio conceditur, uſum etiam juriſdictionis eiſdem conceſſum dicendum eſt; honeſtius tamen facient, ſi hujuſmodi juriſdictione in ſuis dumtaxat locis utantur: ita Roder. *tom.* 2. *q.* 59. *art.* 1.

2. Quamvis ſine cauſæ cognitione cenſuræ ferri non poſſint, & in diebus feriatis cauſæ cognoſci nequeant, atque adeo in eiſdem excommunicare non liceat, prout definitur in jure; nihilominus tamen Prælati Generales poſſunt etiam in die feſto ſubditos rebelles excommunicare, nec non proponere excommunicationem generalem contra aliquid prohibitum facientes, etenim in his, & ſimilibus caſibus, in quibus nulla cauſæ cognitio requiritur, nec divinus cultus impeditur, poſſunt hujuſmodi excommunicationes a Generalibus ipſo facto ferri: ita docent Feder. Senen. & Ugolin. *de cenſur. Eccleſiaſticis, tab.* 1. *cap.* 27. *ſ.* 2. Roder. *tom.* 2. *q.* 59. *art.* 2.

3. Prælati Generales; ſaltem in noſtro Ordine Minorum, ex conceſſione Leonis X. prout habetur in ſupplemento *fol.* 93. *conceſſ.* 291. cum aliquem Fratrem ob apoſtaſiam, vel aliam cauſam excommunicant in Capitulo Fratrum, vel in communitate, non tenentur proferre ſententiam in ſcriptis, ſicut in jure ſub pœna ſuſpenſionis præcipitur proferentibus; & licet in quadam conſtitutione Toletana *cap.* 6. *de correct. delinq. tit. de pœna excommun.* ordinetur, ut nullus noſtræ Religionis Seraphicæ Prælatus inferat ſententiam excommunicationis per modum ordinationis, vel ſtatuti ad præcavenda delicta, ut eſt prohibitio ingreſſus in cellas, ſeu in aliquas Sæcularium domos, & alia id genus, niſi in ſcriptis, alias talis excommunicatio nulla declaratur; id tamen intelligendum eſt de excommunicatione per modum ſtatuti, ſeu ordinationis lata, ut quando apponitur omnibus Provinciæ, aut alicujus

cujus communitatis Fratribus permanenter, non autem ſi ad certum dumtaxat tempus, vel ſi aliquibus Fratribus in particulari per modum præcepti apponatur ſeu fulminetur, & hæc fuit mens præfati Leonis X. non enim ipſius conceſſio fuit univerſalis: ita Roder. *tom.* 2. *q.* 59. *art.* 3.

4. Cum Prælati Generales juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ſortiantur, & conſequenter poſſint quicquid poſſunt Epiſcopi jure communi; ut conſtat *ex cap. Abb. de privileg. in* 6. & docent commun. DD. idcirco poſſunt ab excommunicatione Canonis: *Si quis ſuadente*, ſuos ſubditos abſolvere juxta diſpoſitionem juris communis, *cap. Monachi*, *cap. illorum* §. *qui ſi clauſtrales*, *cap. Canonica eod. tit. de ſent. excommun. juncta gloſſ. in c. Relig. de ſent. excomm. in* 6. *V. habemus*: & licet textus loquantur cum reſtrictione: *niſi exceſſus difficilis fuerit*, & *enormis*, *propter quem merito ad Eccleſiam Romanam ſit recurſus habendus*; ita ut ſtando in terminis diſpoſitionis juris communis, videatur aſſerendum, abſolutionem a cenſura ob quamcumque percuſſionem, etiam enormem a ſubditis contracta, eis abſolute non competere; inſpectis tamen ſpecificis Religionum privilegiis, quoad hoc Generalium juriſdictio non apparet reſtricta, nam quocumque modo Regulares ſe ſe, etiam enormiter, percutientes, a præfatis Superioribus abſolvi poſſunt: prout conſtat ex multis privilegiis univocis a Sum. Pontificibus conceſſis, & præcipue a Clemente IV. Conſt. incip. *Virtute conſpicuos*; & a Sixto IV. Conſtit. incip. *Regimini*, *mare magnum* numcupata, apud Cherub. *tom.* 1. *Bull. Rom.* Ordinibus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum elargitis: & cum non conſtet de poſteriori expreſſa, & ſpecifica Sanctæ Sedi reſervatione abſolutionis a percuſſione, etiam enormi, qua ſe ſe Regulares offendunt; ideo juxta diſpoſitiones præfatorum Summ. Pontificum, conceditur Ordinum Regularium Prælatis poſſe ab ea abſolutionem percuſſoribus elargiri: ita docent Sayr. Roder. Coriolan. quos refert, & ſequitur Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 28. *num.* 50. Percuſſio gravis, ſeu enormis eſt illa, quæ includit non ſolum mutilationem, ſed etiam occiſionem cujuſcumque perſonæ.

5. Poſſunt Generales abſolvere ſuos ſubditos manus violentas in Clericum Sæcularem iniicientes, & licet nonnulli doceant hujuſmodi reos ab Epiſcopo abſolvi debere, vel ſaltem poſſe, ſi iniuria, vel percuſſio enormis non fuerit, cum ab excommunicatione propter enormem contracta, ſi delictum fuerit publicum, Epiſcopus abſolvere nequeat: ex Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 6. hæc tamen doctrina intelligenda eſt de Religioſis non exemptis ab Epiſcopi juriſdictione, non autem de exemptis, qui hoc tempore abſolvendi ſunt a proprio Prælato juxta limites juriſdictionis, & poteſtatis, qua idem gaudet erga ſuos ſubditos, ſive intra, ſive extra Clauſtra percutientes: ratio eſt, quia exemptio ſubtrahit Religioſos ab Epiſcopi poteſtate, tum etiam quia Prælati Regulares habent privilegium abſolvendi ſuos ſubditos etiam ob enormem percuſſionem, ut conſtat ex præcedenti reſolutione, nam in privilegiis a dictis Pontificibus Prælatis Regularibus conceſſis, non apparet limitata hujuſmodi facultas, ſed limitatur dumtaxat poteſtas abſolvendi hæreticos, ſchiſmaticos, litterarum Apoſtolicarum falſificatores, ad infideles prohibita deferentes, & contra Papam conſpirantes; ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, aſſerendum eſt, dictos Prælatos præfata auctoritate gaudere: ita docent Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 12. Bordon. *tom.* 1. *conſil. reſol.* 28. *num.* 50. Coton. *lib.* 2. *contr.* 7. *cap.* 7. *num.* 192. ubi etiam cum Sanch. in Summ. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 39. ait, abſolvi poſſe ab Epiſcopo de licentia Prælati Regularis, vel eo abſente, aut injuſte abſolutionem negante.

6. Poſ-

Digitized by Google

6. Poſſunt etiam Generales abſolvere ſubditum percutientem alterius Ordinis Religioſum, præſente tamen Prælato Religioſi percuſſi; hoc tamen D. D. communiter intelligunt, ut Prælatus percuſſoris juramentum de non violando amplius Canonem prædictum ab eo recipiat, ſaltem ſemel eum percutiat, & poſtea abſolvat; Prælatus vero Religioſi percuſſi verberet, ut ſibi pro illata injuria ſatisfaciat: nec ad aliud damnum reſarciendum tenetur Monaſterium percuſſoris, quia delictum perſonæ non debet in detrimentum Monaſterii redundare; quod ſi in imponenda pœna uterque Prælatus diſcordet, eligendus eſt arbiter, qui cum utroque judicium ferat, prout docent Palaus *tom. 6. diſp. 3. punct. 23. ſ. 4. num. 9.* Dian. *part. 9. tract. 4 reſol.* 50. Coton. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 195. ſi tamen unus ex dictis Prælatis vicem ſuam alteri committere vellet, id non ſolum facere poſſet, ſed etiam congruentius eſſet; ut docet Sayrus *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 11.

7. Moniales exemptæ ab Ordinarii jurisdictione ſe invicem, etiam enormiter, percutientes, abſolvuntur quoque a præfatis Prælatis, quibus ſubduntur, vel ab aliis de eorum commiſſione; etenim privilegia Regularibus elargita, eorumdem Monialibus communicantur: ut obſervat Pignatell. *tom. 7. conſult.* 80. *num.* 4. & expreſſe Sixtus IV. *in Bulla aurea*, Leo X. Conſt. *Cum ſicut*, Gregor. XIII. Conſt. *Ex benigna*, & Sixtus V. Conſt. *Etſi Mendicantium*, confirmantes privilegia F.F. Minorum Obſervantium, Monialium S. Claræ, & tertii Ordinis S. P. Franciſci, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus idipſum indulgent. *Vid. Cherub. Bull. Rom.*

8. Nedum ſubditos profeſſos, verum etiam Novitios poſſunt Generales abſolvere ab excommunicatione propter enormem percuſſionem in anno Novitiatus incurſa, cum debito tamen, ut ſi abſoluti, non emiſſa profeſſione, Religionem reliquerint, debeant ſe præſentare ei, qui alias de jure in ſæculo eos abſolvere poterat, non ut abſolvantur, cum jam ſint abſoluti, ſed ne in eamdem cenſuram, ob inobedientiam non ſe præſentandi, reincidant: ut conſtat ex cap. *Eos, qui de ſent. excomm. in* 6. & docent Sylveſt. *V. abſolutio* 5. *num.* 9. Sorbus *V. Novitius tit. de Novit. abſolut.* Ideo Novitii ſic abſoluti ad ſæculum revertentes, monendi ſunt ut ſe præſentent, ne iterum eadem cenſura innodentur. Novitii autem, qui ante Novitiatum in præfatam cenſuram inciderunt, per Prælatos Regulares abſolvi nequeunt, ſed mitti debent ad quos ſpectat, vel ab eis facultatem obtinere; ut notat Mattheuc. *Official. quoad excomm. Canon. num.* 62.

9. Poſſunt Prælati Generales abſolvere ſuos ſubditos a cenſuris, etiamſi declarati fuerint illas cenſuras incurriſſe, & ut tales ſint denunciati; immo etiamſi ſint tales declarati, & denuntiati a Legato, vel Judice aliquo Apoſtolico, vel ab Epiſcopo, etiam in caſibus ſibi ſpecialiter a Papa commiſſis; ſervatis tamen tribus conditionibus: 1. quod qui abſolvendus eſt, recedat a contumacia antequam abſolvatur: 2. ut ſatisfactionem exhibeat, vel offerat, vel præmittat: 3. ut Judicem, a quo excommunicatus eſt, ſaltem reddat certum de obedientia ei, & Eccleſiæ præſtita, & de abſolutione obtenta: conſtat ex multis privilegiis præſertim Clementis IV. Sixti IV. Leonis X. Martini V. Eugenii IV. Conſt. incip. *Injunctum nobis* apud Cherub. *tom.* 1. *Bull. Rom.*: & expreſſius Pauli III. in indulto Societati Jeſu conceſſo, per Conſt. incip. *Licet debitum* apud eumdem Cherub. *tom.* 1. ubi habentur hæc verba: *A quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, vel Sæcularibus ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, in genere, vel in ſpecie quomodolibet latis, promulgatis, & promulgandis*; quæ privilegia per viam communica-

municationis ad omnes Ordines Regulares extenduntur: Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 6. Miranda *tom.* 1. *q.* 75. *art.* 21. & alii.

10. Virtute privilegiorum poſſunt dicti Prælati abſolvere Fratres, & Moniales ſibi ſubjectas ab excommunicatione contracta ob abortum procuratum, & ſecutum, etiam in foro exteriori, quando de tali crimine ſunt convicti: nam licet privilegia Regularium, quantum ad hoc fuerint per Sixtum V. revocata, & per Gregorium XIV. in ſua moderatoria conſtitutione non fuerint revalidata, fuerunt tamen poſtea in priſtinum ſtatum reſtituta per Clementem VIII. qui confirmavit noſtra privilegia ex certa ſcientia, & per Paulum V. ac tandem per Urbanum VIII. ut dictum eſt *in* 1. *tract. de revocat. & confirm. privileg. cap.* 4. *&* 6. confirmatio enim ex certa ſcientia invalidum, & revocatum revalidat, habetque vim novæ conceſſionis; ut docent commun. D. D.

11. Poſſunt iidem Prælati abſolvere ſuos ſubditos, non ſolum a ſimonia commiſſa in collatione Beneficii, Officii, & Prælaturæ, & ingreſſu Religionis, ſed etiam ab excommunicatione, & ſuſpenſione contracta ex ſimoniaca promotione ad Ordines; nam licet Clemens VIII. reliquerit intactas, & in ſuo robore pœnas Sixti V. contra ſimoniacos in Ordine, & male promotos, idem tamen Clemens anno ſubſequenti 1597. poſt promulgationem ſuæ Bullæ moderatoriæ apud Cherub. *tom.* 3. confirmavit noſtra privilegia, ut dictum eſt, ac proinde privilegia revocata a Sixto V. quorum virtute ante ejus revocationem poterant præfati Prælati Regulares abſolvere ſuos ſubditos ſimoniacos, iterum revalidata manent, quæ per Sixtum IV. prius fuerant conceſſa in ſuo mari magno: ubi dicitur: *In reliquis vero omnibus, etiam ſimoniæ pravitate qualitercumque irretitis, poſſe per illos, quibus ambi conceditur, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium impartiri*: ita docent Portell. *V. Prælatus ad abſolv. num.* 29. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 61. *a num.* 4. *& de cenſ. diſp.* 31. *ſect.* 5. *num.* 40. Villalob. *part.* 2. *tract.* 35. *diffin.* 34. *num.* 4. *&* 5. & alii.

12. Poſſunt ſimiliter Generales abſolvere ſuos ſubditos a cenſuris incurſis ob contemptum clavium, ideſt, quando ipſi nolunt ſubiici clavibus Eccleſiæ, putantes illam eſſe intollerabilem, injuſtam, duram: & indiſcretam in ſuis præceptis: juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. credunt tamen penes Eccleſiam reſidere poteſtatem ligandi, atque ſolvendi a Chriſto Domino datam: conſtat ex dicto privilegio Clementis IV. ſupra relato; ſed pro foro conſcientiæ tantum; ut docent Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 15. Portell. *V. Prælatus ad abſolvendum num.* 31. Lezana *tom.* 5. *in Mari mag. Carmelit. num.* 570.

13. Probabile eſt etiam, quod poſſint iidem Prælati abſolvere ſuos ſubditos ex confidentia privilegiorum peccantes; id tamen intelligendum eſt in aliquo tantum caſu particulari, quando ſcilicet diſpendium animæ immineret, & non aliter; & tunc notificando ipſis pœnitentibus, quod talis facultas eis amplius non valebit ad alia de cetero committenda ex ipſius facultatis confidentia, prout bene notat Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 16. referens privilegia Clementis IV. Bonifacii IX. & Eugenii IV. & admonens Prælatos Regulares, ne faciles ſint ad abſolvendum ſubditos ex confidentia privilegiorum peccantes, niſi ex negatione hujuſmodi abſolutionis periculum animarum timeatur. Tunc dicitur quis peccare ex confidentia privilegiorum, quando ex confidentia facultatum abſolvendi, & diſpenſandi a Summis Pontificibus Regularibus conceſſarum movetur ad committendum id, ad quod alias non moveretur; itaut videndo ſibi facile remedium per tales facultates adeſſe, ſicut adeſt ad alia peccata non reſervata,

vata, certe non curet magis illa cavere, ac ſi reſervata non fuiſſent.

14. Præfati Generales poſſunt abſolvere ſuos ſubditos a ſuſpenſione a divinis in foro conſcientiæ tantum, ſi procedat a delicto occulto non deducto ad forum contentioſum, ſi ſuſpenſio ſit perpetua; ſi vero perpetua non ſit, poſſunt etiam in foro exteriori ab ea abſolvere, immo quamvis perpetua ſit, dum non eſt Summo Pontifici reſervata, certum eſt, quod per dictos Prælatos in utroque foro remitti poteſt, prout evidenter deducitur *ex cap. Nuper, de ſent. excommun.* & ex Bulla S. Pii V. incip. *Romani Pontificis:* apud Cherub. *tom.* 2. & docet Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 14.

15. Pari modo poſſunt Generales abſolvere Prælatos inferiores, & ſubditos ſuos ab excommunicatione, & ſuſpenſione a divinis Papæ reſervatis, ab eiſdem incurſis, eo quod præſumptuoſe admiſerint Mulieres intra Clauſtra Conventuum, ſeu Monaſteriorum, vel prætextu licentiarum, contra S. Pii V. Conſt. incip. *Regularium perſonarum:* vel ad malum finem, nempe venereum, quemadmodum idem S. Pontifex in alia Conſt. incip. *Decet Romanum Pontificem*, quæ eſt 6. apud Conſectium fol. mihi 218. declaravit: ab excommunicatione quoque Papæ reſervata, incurſa a ſubditis violantibus Clauſuram Monialium ad malum finem, juxta Decretum Clementis VIII. anno 1601. editum, & ab omnibus aliis ſuſpenſioribus, & excommunicationibus Papæ reſervatis extra Bullam Cœnæ abſolvere ſuos ſubditos, & abſolvi facere poſſunt, prout manifeſte conſtat ex præcitata Bulla Clementis IV. incip. *Virtute conſpicuos*, inſerta in Mari Magno Sixti IV. apud Cherub. *tom.* 1. *Bull. Rom.*

16. Poteſtatem etiam habent dicti Prælati abſolvendi ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, dummodo ſint occulta; exceptis quinque, videlicet: *Hæreſi, ſchiſmate, falſificatione litterarum Apoſtolicarum, deportatione armorum ad infideles, & conſpiratione facta contra Papam*; ſiquidem in præfatos translata eſt cura, quam Epiſcopi habent circa ſuos ſubditos ſæculares, habentque hanc facultatem ex vi ſui muneris, non ſolum virtute privilegiorum, ſed etiam jure Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap. Liceat:* quæ quidem facultas, ibi Epiſcopis conceſſa, extenditur ad Ordinum Generales, qui licet Epiſcopi revera non ſint, æquipollenter tamen juriſdictionem ſimilem cum Epiſcopis habent, immo majorem ad abſolvendum, & diſpenſandum cum ſuis ſubditis, non tantum active, verum etiam paſſive, & commiſſive; ut conſtat ex præcitata Bulla Clementis IV. & ex alia S. Pii V. incip. *Romani Pontificis:* apud Confectium in Collect. litterarum Apoſtol. *fol. mihi* 226. ergo quicquid Epiſcopi ex vi Tridentini poſſunt cum ſuis ſubditis, poſſunt etiam Generales cum ſuis; nec obſtat dicere, quod S. Congregatio juſſu Urbani VIII. anno 1628. declaravit, Regulares in vim ſuorum privilegiorum abſolvere non poſſe a caſibus in Bulla Cœnæ contentis: quia tam prædicta, quam conſimiles aliæ declarationes Congregationis præfatæ debent intelligi reſpectu Sæcularium, non autem Regularium, ſi eorum delicta ſint occulta, nam in odioſis non comprehenduntur Regulares, niſi in ſpecie exprimantur; ut docent communiter D. D. & præcipue Peyrinus *tom.* 1. & 3. *in addit.* ad Conſt. Sixti IV. *num.* 30. & 37. Roder. *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 9. Bordon. *tom.* 1. *q.* 10. *reſol.* 2. Coriolan. *de caſib. reſerv. p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 2. Vide etiam quæ diximus *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 18.

17. Sub Hæreſi excepta in præcedenti reſolutione non videtur comprehenſa excommunicatio lata contra ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes Hæreticorum libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſi hujuſmodi delinquentes in aliquam hæreſim formalem lapſi

non

non ſuerint, cum in tali caſu non poſſint revera dici hæretici, ſed ſolum de hæreſi ſuſpecti: prout cum communi docet Diana *part. 6. tract. 6. reſol.* 55. Quapropter licet hujuſmodi excommunicatio, contra prædictos lata, ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, ab eadem tamen Generales Prælati ſuos ſubditos abſolvere poſſunt, ſicut poſſunt abſolvere eoſdem de hæreſi dumtaxat ſuſpenſos: ut docent *commun. D. D.* An autem Generales valeant ſuis ſubditis concedere licentiam legendi hæreticorum libros, reſpondetur, quod licet Peyrinus *tom. 1. de privilegiis*, ad Conſt. 9. Pauli V. *num.* 9. exiſtimet poſſe, referens nonnulla privilegia, præcipue Gregorii XIII. verius tamen eſt, non poſſe; cum hodie præfata privilegia in ſuo vigore amplius non ſint, nam Gregorius XV. in Bulla, quam idem Peyrinus loco citato refert; & Urbanus VIII. in alia ſimili, relata a Pellizario *tract. 6. cap. 5. num.* 36. licentias omnes legendi libros prohibitos generaliter revocarunt; & penes ſolam S. Officii Congregationem hujuſmodi facultas reſervata manet; ut cum multis docet Lezana *tom. 1. cap. 18. num.* 46. Diana *part. 5. tract. 13. reſol.* 49.

18. Poſſunt etiam dicti Prælati abſolvere ab illis quinque caſibus, ſupra num. 16. exceptis, nempe: *Ab hæreſi, ſchiſmate, falſificatione litterarum Apoſtolicarum, deportatione armorum ad infideles, & conſpiratione facta contra Papam*, illos ſuos ſubditos, qui propter aliquod legitimum impedimentum perpetuum, vel diuturnum, Sedem Apoſtolicam adire nequeunt; nam quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel ejus Legatum, niſi cum magna difficultate, & mora, poteſt pœnitens ab inferiore abſolvi; cum onere tamen comparendi coram Pontifice, aut Legato perſonaliter, vel ſaltem per litteras, ceſſante impedimento: ut dicitur *in Cap. Eos, qui de ſent. excommun. in 6.* aliter reſervatio, quæ pro bono caritatis introducta eſt, contra caritatem vergeret; & poteſtas retinendi peccata, data, ut loquitur Apoſtolus, in ædificationem, eſſet in deſtructionem: hinc, quemadmodum ab Epiſcopis abſolvi poſſunt ipſorum ſubditi, qui prædicto impedimento perpetuo, vel diuturno gravis ætatis, infirmitatis, paupertatis, aut alio ſimili phyſico, vel morali laborant, propter quod iter agere nequeunt; ita pariter Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum idipſum facere valent, cum eamdem auctoritatem, ut dictum eſt, habeant hi circa proprios ſubditos, quam habent illi circa ſuos; alioquin Regulares eſſent pejoris conditionis Sæcularibus, quod noluit S. Pius V. qui ob illud inconveniens relatum in Bulla, quæ incip. *Romani Pontificis*: apud Confectium in collect. Litter. Apoſtol. *fol. mihi* 226. conceſſit Prælatis Regularibus eamdem poteſtatem, quam Epiſcopi in ſuos ſubditos habent.

19. Probabile etiam videtur, quod Generales valeant in foro conſcientiæ, ſuos ſubditos ab hæreſi occulta abſolvere: ut docent plures DD. referentes nonnulla privilegia, & præcipue illud Societati Jeſu a Gregorio XIII. conceſſum, quo 18. Martii 1588. indultum fuit Generali ejuſdem Societatis, ut poſſet abſolvere a dicta hæreſi occulta ſuos ſubditos, etiam relapſos; prout habetur *in comp. privileg. dictæ Societ. V. abſolutio* §. 7. & refert Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 21. num.* 2. qui addit idem pariter conceſſiſſe Greg. IX. & Adrianum VI. F. F. Minoribus, & refert Baſſæus *V. Abbas num.* 8. aliaqua ſimilia privilegia referuntur a Caſarub. *in comp. privileg. V. abſolutio*; & Filliuccius *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num.* 265. aſſerit ita fuiſſe in S. Pœnitentiaria anno 1617. reſponſum; quibus ſubſcribit Peyrinus *tom. 1. in Conſt.* 4. Sixti IV. §. 5. *num.* 20. Nec dictis videtur obſtare Decretum Urbani VIII. die 17. Novembris 1628. editum; in quo ea hæreſis excipitur; nam ultra-

quam-

Digitized by Google

quamquod ibi reſtringitur facultas ſolum pro Sæcularibus, non autem pro Regularibus, ut clare ex Decreti verbis deducitur; ceteri Romani Pontifices id non limitaverunt, neque quoad forum animæ revocarunt. Certum tamen eſt, quod dicti Prælati ſingulis annis prima die Lunæ Quadrageſimæ, omnes, & ſingulas utriuſque ſexus perſonas ſibi ſubjectas abſolvere poſſunt ab omnibus peccatis, cenſuris, & pœnis, quantumcumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis; exceptis contentis in Bulla Cœnæ, pro foro conſcientiæ tantum, ex conceſſione Sixti IV. & Pauli III. prout refert Emman. Roder. *in ſuo Bullario fol.* 816. Portell. *in dub. Regul. v. Abbas in addit. n.* 11. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 13. *num.* 16. & 17. & alii communiter: vide infra cap. 7. num. 19.

20. Privilegia quoad abſolutiones Prælatis Regularibus conceſſa, per Bullam Cœnæ, aut alia decreta poſteriora minime revocantur, vel reſtringuntur, niſi quoad caſus publicos in eadem Bulla contentos, a ſuis ſubditis incurſos (*exceptis* 5. *ſupra recenſitis*) & quoad nullos Monialium ſubditarum; bene tamen quoad omnes tam publicos, quam occultos Sæcularium: ratio eſt, quia Summi Pontifices quoad Sacramentum pœnitentiæ volunt, Regulares a Prælatis ſuis pendere, nec huc, illucque pro abſolutione ire cogi, quod & Religioni incommodum, & ipſis Religioſis perniciosum eſt; ut diximus *tract.* 1. *de revocatione privilegiorum cap. 6. num.* 18. Revocatio igitur, quæ habetur in ea Bulla, intelligi debet pro Sæcularibus dumtaxat, qui ſcilicet faciunt corpus fidelium, cum Religioſi ſint pauci reſpectu eorum, & organa, quibus Pontifices ad illorum purgationem, & illuminationem utuntur, unde non videntur eos caſus reſervare, ſeu privilegia eorum revocare, præſertim quia id ſæpius iidem Pontifices ſive conceſſerunt, ſive declararunt; & Bullæ Sixti V. & Clementis VIII. in ſuis derogatoriis appoſuerunt hanc clauſulam *Niſi in eis*, id eſt privilegiis, *etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur*. Eadem interpretatio decretis S. Congregationis adhiberi poteſt ob eaſdem rationes, nempe ut reſervatio, ſeu prohibitio cadat in Regulares, non ut pœnitentes, ſed ut confeſſarios, & in ordine ad Sæculares, quod de ſuis decretis declaraſſe Clementem VIII. & S. Congregationem, facto verbo cum ipſo, teſtis eſt Peregrinus *in comp. p.* 1. *v. abſolutio in ſchol. ſ.* 1. & tam de iis, quam de declaratione Urbani VIII. colligitur ex eo, quod utræque loquuntur de Bullæ Cœnæ caſibus, & de reſervatis Epiſcopo, eodem modo, ac tenore; unde cum de his non poſſint intelligi quoad Regulares, utpote qui reſervationi Epiſcoporum ſubjecti non ſunt, ita neque de illis: prout docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 10. Peyrinus *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſt.* 4. Sixti IV. *ſ.* 5. *num.* 10. Caſſaing. *tract.* 3. *cap.* 3. *prop.* 2. & 3. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 1. *num.* 17. Pellizar. *tr.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 1. Roder. Miranda, Coton. *lib.* 4. *Controv.* 6. *cap.* 3. & alii.

21. Prælati Generales non ſolum habent auctoritatem abſolvendi ſuos ſubditos, ac Novitios utriuſque ſexus a cenſuris prædictis in actu Sacramentalis Confeſſionis, verum etiam extra illam; ratio eſt, quia privilegia, ſeu facultates eiſdem abſque ulla reſtrictione a Summis Pontificibus conceduntur, ergo poſſunt ſuam auctoritatem abſolute exercere; cum privilegium Principis ſit ample interpretandum: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 17. *art.* 6. Portell. *V. Prælati poteſtas ad abſolvendum ſubditos num.* 27. Diana *part.* 4. Miſcellan. *reſol.* 8. & alii plures apud ipſum.

Digitized by Google

CAP. VI.

De poteſtate diſpenſativa in genere, quam habent Generales reſpectu ſuorum Subditorum.

1. POteſtas diſpenſativa eſt facultas eximendi ſubditos ab obligatione legis, ſive in toto, ſive in parte; alia dicitur ordinaria, quæ competit ex officio, vel jure communi, vel ex privilegio; alia vero delegata, quæ competit iis, quibus eam Prælati committunt, cujus executio debet eſſe ſemper cum cognitione cauſæ, nam talis eſt natura diſpenſationis in omnibus, excepto Summo Pontifice, qui ſine cauſa poteſt relaxare jus poſitivum, non autem divinum, quia eſt infra illud, & ejus eſt deſtruere, cujus eſt condere, quicquid ſit de diſpenſantis culpa: alii autem inferiores ſine cauſa diſpenſare non poſſunt, nam ſine ea diſpenſantes in materia gravi juris communis, vel præceptorum, peccant mortaliter, & impetrantes hujuſmodi diſpenſationem, eadem uti non poſſunt; cum nulla, & invalida ſit: ita Navarr. *in Man. cap.* 12. *num.* 76. Cajetan. *in Summ. V. diſpenſatio*, Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 9. Miranda *tom.* 2. *q.* 46. *art.* 5. & alii.

2. Cauſæ ad legitime diſpenſandum ſunt plures, ſcilicet, tempus, utilitas tam publica, quam privata petentis; qualitas perſonæ, meriti, ſcientiæ; neceſſitas, pietas, eventus rei, qui facit ut jus aliquando non ſit utile; & ſcandalum multitudinis, vel infamia ſupplicantis: ut docent Angelus, & Sylveſt. *V. diſpenſatio*; Peyrinus *de ſubdito tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 12. *conſ.* 4. Roder. *q.* 22. *num.* 5. Quatuor tamen poſuit jus commune cap. *Neceſſaria*, & cap. *Quod pro remedio*, nempe caritatem chriſtianam, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, & Rei publicæ utilitatem, quas omnes ad commune bonum reduci, aſſerit Roder. ſupra, *art.* 5. & judicio boni viri, judicandas in particularibus caſibus relinqui, idem affirmat, cum una generali regula minime comprehendi poſſint.

3. Generales omnes Ordinum Regularium, & fruentium eorum privilegiis jure ordinario eadem prorſus facultate fruuntur ad diſpenſandum erga Religioſas perſonas utriuſque ſexus ſibi ſubjectas, ac Tertiarios collegialiter viventes, qua gaudent Epiſcopi, etiam ex conceſſione Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap. Liceat*, erga ſuos ſubditos: prout aſſerunt Sanchez, Navarr. Azor. quos refert, & ſequitur Candidus *diſquiſit.* 24. *art.* 58. *dub.* 2. *&* 3. *tom.* 2. & manifeſte conſtat ex Bulla 10. S. Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*, apud eumdem Candidum, & Confectium in collect. litter. Apoſt. *fol. mihi* 226. & patet ratione, quia cum Regulares ab Epiſcopi juriſdictione exempti ſint, non eſſet ita bene proviſum pro eis, ſicut pro ſæcularibus, ſi hujuſmodi facultas eorum Prælatis deeſſet, quod innuit in ſua Bulla prædictus S. Pontifex; immo ampliorem eſſe in multis, aſſerunt *Commun. D. D.* ut conſtat ex variis privilegiis.

4. Hujuſmodi facultas, quam Prælati Generales habent ex privilegiis, tam quoad irregularitates, Ordines, & Dignitates, quam quoad vota, & diſpenſationem in præceptis, ac petitione debiti conjugalis, etiam extra pœnitentiæ Sacramentum, infra ſuis in locis explicabitur.

5. Quamvis dicti Prælati nequeant diſpenſare cum ſuis ſubditis in ſubſtantialibus votis ſtatus Religioſi, neque in aliquibus ſpecialibus, quæ fiunt in aliquibus Religionibus, quale eſt votum Minimorum de non comedendis carnibus, votum Trinitariorum de redimendis captivis &c. quia etiam iſta vota ſunt hujuſmodi Religionibus eſſentialia: in aliis tamen Religionum Obſervantiis, ſive ſint ex Regula, ſive ex Conſtitutionibus, ſive obligent ad culpam, ſive non, poſſunt ex juſta

cauſa

Digitized by Google

cauſa diſpenſare cum ſuis ſubditis, ſeu potius declarare in caſibus particularibus hoc, vel illud, hic, & nunc non obligare, nam id frequenter eſt neceſſarium pro bono Religionum regimine; ſi vero talis facultas per Ordinis conſtitutiones limitata fuerit, tunc illa uti non poterunt, niſi in caſibus levibus, & frequentioribus, in quibus recurrere ad Capitulum, ſeu Definitorium Generale eſſet intollerabile; nam in dictis caſibus præſumitur licentia interpretativa concedi a jure, idque ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, obſervatur: ut docent Lezana *de Prælat. tom. 1. cap. 18. num.* 54. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. a num.* 25. Roder. *tom. 1. q. 26. art. 1.* Miranda, Navarrus, & alii.

6. Generales de jure communi non poſſunt diſpenſare in pœnis ab eodem jure pro aliquibus delictis, ſubditis ſuis impoſitis, nam inferiores non poſſunt diſpenſare in legibus ſuperiorum; poſſunt tamen id facere vel ex juſta cauſa, vel ex privilegiis, quæ nonnumquam hujuſmodi facultatem eiſdem concedunt; ut cum aliis docet Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 1. dubit. 21. num.* 10.

7. Neque in pœnis alicui Religioſo juſte a Provinciali impoſitis valent Generales diſpenſare contra ipſius Provincialis voluntatem, niſi per viam appellationis; ſicut a Trident. *Seſſ.* 14. *de Reformat. cap.* 1. deciſum eſt, & rationem reddit; nam tutius, & honeſtius eſt ſubdito pœnas impoſitas luere, quam cum Prælatorum ſcandalo, & contemptu ab his liberari; verum poſtquam Provincialis, qui pœnas impoſuit, ſuo fuerit officio functus, erit in poteſtate Generalis abſque Provincialis ſuccedentis conſenſu, juſta interveniente cauſa, ſubditum liberare; etiam in caſu, quo pœna evidenter eſſet injuſta: prout docent Peyrinus *de Prælato quæſt. 1. cap.* 8. *num.* 17. Roder. *tom. 1. q. 22. art.* 8. Miranda *tom. 2. q. 30. art. 11. concluſ.* 1. & alii.

8. Poſſunt Generales eximere ſuos ſubditos, juſta interveniente cauſa, ab officiis publicis gerendis, & ab oneribus communitatis; nam ſicut Generales habent auctoritatem puniendi delicta, ita & præmiandi virtutes, & hæc eſt praxis omnium Religionum, ut docet Peyrinus *in formular. litter. E. cap. 35. num.* 1. Ceſſante autem cauſa, ob quam dicta exemptio conceſſa fuit, poteſt eadem vel a concedente, aut ab ejus ſucceſſore proculdubio revocari; præſertim quando tendit in præjudicium boni communis, vel etiam particularis ipſorum Religioſorum exemptorum, qui hujuſmodi titulo colorato quærunt dumtaxat quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ac pravis exemplis, & interdum ſcandalis Religioſas communitates perturbant, ipſarumque onera digito ſuo movere detrectant, atque a clauſtralibus obſervantiis ſummopere abhorrent; ita ut quid monſtruoſum videas, homines habitu Religioſos, moribus autem Sæculares. Adverte tamen, quod Urbanus VIII. decretum edidit pro Regularibus Hiſpanis, quo omnes diſpenſationes, ſeu exemptiones ſive a Generali, ſive a Nuntiis, ſive a Sede Apoſtolica Religioſis conceſſas revocavit; ut refert Peyrinus *ad Conſt.* 15. *alias* 25. Urbani VIII. *cap.* 10. ſub hujuſmodi vero revocatione non comprehenduntur Regentes, Lectores actuales, aliique Patres graves legitime impediti, qui per Capitula Generalia, Provincialia, vel Definitorium privilegiati ſunt, nam Pontifex ea non expreſſit: prout docet Portell. 2. *p. caſuum, caſu* 31. *advert.* 4. *num.* 4.

9. Poſſunt præterea Generales diſpenſare cum ſuis ſubditis in foro conſcientiæ tantum in pœnis omnibus, ex quibuslibet delictis contractis, quales ſunt inhabilitationes ad officia, Dignitates &c. privationes officiorum, Dignitatum, vocis activæ, & paſſivæ &c. ſi tales pœnæ non ſint Papæ reſervatæ; & etiam ſi ſint reſervatæ, dummodo ſint occultæ, diſpenſare va-

Digitized by Google

lent, ſicut valent Epiſcopi in occultis cum ſuis ſubditis, quia, ut dictum eſt, præfati Prælati habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; Epiſcopi enim ex vi decreti Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 26. poſſunt in dictis pœnis diſpenſare; conſtat etiam ex Bulla S. Pii V. incip. *Romani Pontifices*: apud Confectium in collect. litter. Apoſtol. *fol.* 226. & docent Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 46. Miranda *tom.* 2. *q.* 9. *art.* 3. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *tract.* 8. *cap.* 12. *num.* 9. Roder. *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 9. Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 18. & alii.

10. Abſolutiones, & diſpenſationes a cenſuris, & irregularitatibus, quæ communiter ſolent dari a Prælatis Regularibus tam in viſitationibus, quam in aliquibus feſtivitatibus ſolemnioribus, proſunt Religioſis in foro conſcientiæ, non ſolum pro cenſuris, & irregularitatibus dubiis, oblitis, & ignoranter incurſis, quæ revera vanæ eſſent, & inutiles; ſed etiam pro certis, & ſibi manifeſtis, occultis tamen, quia ad præfatas utique ſe extendere poſſunt auctoritas ordinaria, & privilegia Prælatorum; verba enim illa, quibus in ſimilibus caſibus utuntur Prælati, ſcilicet: *Abſolvo vos*, vel *Diſpenſo vobiſcum*; pie ſane videntur favorabiliter amplianda: prout docent Lezana *tom.* 1. *de Prælat. Regul. cap.* 18. *num.* 93. Peyrinus *tom.* 2. *q.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. *&* 46. Navarr. *cap.* 27. *num.* 254. *in Manual.* Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 26. Sanctor. *Conſt. cap.* 2. *ſtatut.* 14. *fol.* 129.

11. Generales cum inferioribus Prælatis ſine juſta cauſa ſuper reſidentia diſpenſare non poſſunt ultra duos, vel tres menſes, ſive continuos, ſive interpolatos, animi relaxandi cauſa; animi enim relaxatio virtus moralis eſt, qua & rigidi Regulares uti honeſte, & rationabiliter non prohibentur, locus tamen, & tempus ſeligenda ſunt, ne ad diſſolutiones, commeſſationes, aliaque hujuſmodi, quæ Religioſos dedecent, eatur, nec in præcipuis, & magnis feſtivitatibus, ſive Eccleſiæ, ſive Ordinis, nec in Adventu, aut Quadrageſima a reſidentia diſcedatur; cum cauſa tamen legitima, & graviſſima diſpenſare valent ultra tres menſes, ſi neceſſitas tantum temporis ſpatium poſtulaverit; ut docent Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 8. *num.* 47. & Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 14. *q.* 3. Cauſæ vero legitimæ diſpenſandi ſuper reſidentia ſunt: Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, obedientia Superioribus debita, & Ordinis utilitas: vide Sanctor. *comment. in ſtat. cap.* 8. *Statut.* 66. Roder. *tom.* 1. *q.* 22. *art.* 5. Miranda *tom.* 2. *q.* 9. *art.* 5.

12. Nequeunt Generales dare licentiam ſubdito, ut ad laxiorem Ordinem tranſeat, ex Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 19. quia in hoc ſolus Papa diſpenſat; & licet nonnulli affirment, id poſſe a dictis Prælatis concedi juſta interveniente cauſa, tenendum tamen eſt nullo modo poſſe, nam Tridentinum abſolute prohibet; in dubio autem de Religione ſtrictiori, ſtandum eſt non dicto Religioſi tranſitum petentis, neque Prælati negantis, ſed arbitrio viri prudentis: probabile tamen eſt, quod dicti Prælati poſſint ex juſta, & legitima cauſa concedere tranſitum ad parem Religionem, ut docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 9. & Roder. *tom.* 1. *q.* 52. *art.* 9. ubi inter alias cauſas aſſignat ſubventionem parentum in gravi neceſſitate, & perſecutionem gravem in Religione; & aliæ ſimiles dari poſſunt judicio viri prudentis. Prælati autem Ordinis Minorum non poterunt dare hanc licentiam tranſeundi ad parem Religionem, quia ex præcepto Regulæ *cap.* 2. non poſſunt Fratres Minores de iſta Religione exire, & docet D. Bonavent. *quæſt.* 13. quod ſi ad ſtrictiorem tranſitus permittatur, id fit, quia jus commune ita diſpoſuit in cap. *licet. de Regular. & extravag. Viam ambitioſæ*, Martini V. ubi habetur, quod tranſitus ad ſtrictiorem poteſt fieri a ſubdito, petita prius;

licet

Digitized by Google

licet non obtenta a ſuo Superiore licentia; jus enim commune eſt ſupra Regulam F. F. Minorum, quod quidem jus id non permittit de tranſitu ad Religionem parem.

CAP. VII.

De poteſtate, quam habent Generales, diſpenſandi cum ſuis Subditis ſuper irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis.

1. Irregularitas eſt impedimentum Canonicum ſuſceptionem Ordinum, & ſuſceptorum uſum impediens; quæ quidem non eſt cenſura, ſed quaſi inhabilitas, & licet interdum imponatur per modum pœnæ, proprie tamen pœna non eſt. Dividitur in eam, quæ oritur ex defectu; & in eam, quæ oritur ex delicto; utraque tamen in varias ſpecies ſubdividitur. Notandum vero 1. quod nulla irregularitas incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis; 2. quod in actibus, per quos irregularitas incurritur, datur parvitas materiæ; 3. quod ad incurrendam irregularitatem tam ex defectu, quam ex delicto non requiritur ſcientia juris, quia, ut dictum eſt, non eſt pœna, ſed impedimentum, ſeu inhabilitas; 4. in dubio ſive juris, ſive facti nemo cenſendus eſt irregularis in aliis caſibus *præter homicidium*; 5. irregularitas ex delicto non incurritur, niſi per actum externum conſummatum, & mortalem: ita *commun. D. D.*

2. Irregularitas ex defectu dividitur in octo ſpecies. 1. eſt ex defectu animæ: 2. ex defectu corporis: 3. ex defectu natalium: 4. ex defectu ætatis: 5. ex defectu Sacramenti: 6. ex infamia: 7. ex defectu lenitatis: 8. ex defectu libertatis. Irregularitas ex delicto dividitur in ſex ſpecies: 1. eſt ex iteratione Baptiſmi: 2 ex violatione Cenſuræ: 3. ex indebita ſuſceptione Ordinum: 4. ex indebito exercitio Ordinum: 5. ex Hæreſi, & Infamia ob notoria crimina; 6. ex mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, de quibus omnibus conſulantur D. D.

3. Generales poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, etiam Novitiis ſuper omni irregularitate, excepta illa, quæ ex homicidio voluntario, vel bigamia, vel mutilatione membrorum provenit, ut conſtat ex multis privilegiis, præſertim Julii II. in ſuo Mari Magno, pro Minimis, relato a Peyrino, quo privilegio ceteri Regulares per communicationem fruuntur: idem privilegium habent Religioſi Societatis Jeſu *in comp. ſuorum privileg. v. diſpenſatio* §.2.relatum ex Bulla Pauli III.incip. *Licet debitum*: apud Cherub. *tom.* 1. eadem prorſus conceſſio habetur *in lib. Monument. Ord. conceſſione* 352. & in Mari Magno Minorum, quod incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*: apud Cherubin. *tom.* 1. & in Bulla S. Pii V. ſæpius relata, incip. *Romani Pontificis*: denique ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reformat. Cap. Liceat*; nam quod ibi Epiſcopis conceditur, ad Prælatos Regulares, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, extenditur. Unuſquiſque tamen conſulat ſuæ Religionis Statuta, ſeu Conſtitutiones, quæ in aliquibus facultatibus ſolent limitare, vel ampliare juxta Apoſtolicas Conceſſiones. Conſtitutiones Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ *cap.* 7. *num.* 12. ex conceſſione Apoſtolica concedunt Generalibus, Provincialibus, eorumque Vicariis, ac Cuſtodibus in ſuis Cuſtodiis juriſdictionem habentibus facultatem abſolvendi ab omnibus Cenſuris, aliquibus ibi exceptis, & diſpenſandi ſuper irregularitatibus, exceptis homicidio voluntario, & bigamia. Ad quid autem in ſpeciali ſe extendant prædictæ Summorum Pontificum facultates, ſeu conceſſiones ad diſpenſandum ſuper irregularitatibus, ex ſequentibus reſolutionibus patebit.

4. Poſſunt Generales diſpenſare cum ſuis Subditis illegitime natis, non ſolum quoad Ordines ſuſcipiendos, cum per ingreſſum, & profeſſionem in Religio-

ligione approbata irregularitas ex defectu natalium proveniens tollatur ; ſed etiam quoad honores, gradus, officia, & dignitates (Generalatu ſemper excepto, ex Conſtit. Innocentii XII. ſuper facultatibus Maioris Pœnitentiarii) dummodo eos dignos judicaverint ; ut conſtat ex Bulla Sixti IV. incip. *Regimini*, & Julii II. incip. *Virtute conſpicuos:* apud Cherub. *tom.* 1. ubi conceditur Generalibus, Provincialibus, eorumque Vicariis hujuſmodi facultas diſpenſandi cum patientibus natalium defectum, ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, aut quovis alio nefario, & illicito coitu provenientem; & quamvis hæc privilegia fuerunt revocata a Sixto V. per Bullam, quæ incipit: *Cum de omnibus Eccleſiaſticis*, poſtea tamen Gregorius XIV. ad terminos juris illam reduxit Conſt. incip. *Circumſpecta Romani Pontificis*, apud Cherub. *tom.* 2. ibique ordinavit, ut hujuſmodi diſpenſatio fieret in Capitulo Generali, vel Provinciali. Anno vero 1591. idem Pontifex Conſt. 15. incip. *Exponi nobis*, Religioſis Societatis Jeſu, & Conſt. 17. incip. *Illius, qui pro gregis*, Religioſis infirmis miniſtrantibus abſolute, & abſque ulla limitatione dictam facultatem conceſſit: qua omnes qui cum illis communicant, fruuntur. Hoc tamen privilegio nos Religioſi Sancti Franciſci Strictioris Obſervantiæ non utimur, ſed ſervamus dictam Conſtitutionem Sixti V. ut conſtat ex noſtris Statutis *cap.* 2. editis, & acceptatis a Patribus vocalibus *Reformatis* in Capitulo generali 1639. & in Congreg. generali 1642. Romæ celebratis.

5. A generali illa facultate diſpenſandi, quam habent dicti Prælati, intelliguntur excluſæ omnes, & ſingulæ irregularitates, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis, vel etiam animi vitio, & defectu, ex quo poſſet generari ſcandalum Fidelibus, videntibus celebrare eum, qui præfatis afficeretur; etenim cum ſint caſus ſpecialiſſimi, credendum eſt Pontificem talem illis facultatem concedere noluiſſe, cum ſuper ſimilibus vix ipſe Papa diſpenſet ; idcirco diſpenſare nequeunt cum ſubditis amentibus, furioſis, epilepticis, lunaticis, energumenis; enormiter leproſis, abſtemiis, deformiter gibboſis, notabiliter claudis, cum pede ligneo ambulantibus, digito pollice carentibus, morbo gallico, vel caduco laborantibus, manus tremulas habentibus, ita ut ſit effuſionis periculum, cum omnino illitteratis, & ſimilibus, quamdiu durant tales defectus; hujuſmodi enim non poſſunt nec decenter, nec congrue Altaris miniſterio deſervire; nec cum notorio Sodomita, nec cum damnato ad triremes, poſtquam revertitur; ſupponitur enim ſic damnatos eſſe infames infamia juris, adeoque irregulares, & id propter ſcandalum, quod ex eo poſſet oriri, & eſt ad formam vulgati axiomatis: *A triremibus ad Altare non datur regreſſus:* ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 32. Tambur. *de jure Abb. tom.* 3. *diſp.* 15. *p.* 4. *num.* 3. Candidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 61. *dub.* 7. Cum aliis corpore vitiatis, dummodo non ſit notabilis indecentia, vel corporis defectus non ſit eſſentialis, aut grave ſcandalum non oriatur, diſpenſare valent : ut conſtat ex privilegiis Sixti IV. in ſuo Mari Magno ſæpius relato; & Julii II. Bulla 26. incip. *Virtute conſpicuos*, quæ habetur in Bullario Emanuel. Roder. aliiſque pluribus: prout cum cit. D.D. docent Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 11. *num.* 10. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 73. & alii.

6. Generales nequeunt diſpenſare, ut ſubditi promoveantur ad Ordines ante legitimam ætatem a Tridentino præſcriptam, nam omnia privilegia, quæ ante Tridentinum a multis Summis Pontificibus fuerunt Ordinibus Regularibus conceſſa ad hoc, ut poſſent ante dictam ætatem ad Ordines promoveri, per idem Tridentinum revocata manent *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 12. neque pro foro conſcientiæ, ut nonnulli perperam docuerunt, poſſunt Regulares hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi privilegiis uti, nam ſententia affirmativa, utpote a parte rei falſa, ad praxim deduci nullatenus poteſt, cum ab Alexandro VII. tamquam ſcandaloſa damnata ſit *propoſ. 36.* ut diximus ſupra *tract. 1. cap. 4. num. 13.* Poterunt tamen dicti Prælati abſolvere a ſuſpenſione contracta ſuſcipiendo Ordines ante legitimam ætatem: ex privilegiis Pii II. Bulla incip. *Cum ex ſacrorum*: & S. Pii V. Bulla incip. *Romani Pontificis*: quæ quidem privilegia per Tridentinum non ſunt revocata, nam Concilium revocat dumtaxat privilegia, ne ordinentur Regulares ante ætatem ibi aſſignatam, non vero revocat facultates, quas ex privilegiis habent Prælati Regulares abſolvendi ſuos ſubditos a dicta, aliiſque ſuſpenſionibus: ita Portell. *v. Ord. ſuſpenſio num.* 14. Bordon. *tom. 1. reſol.* 11. *num.* 26. Roder. *tom. 1. q.* 20. *art.* 14.

7. Poſſunt Generales diſpenſare cum ſubdito bigamo in bigamia ſimilitudinaria, quando ſcilicet ſubditus poſt votum ſolemne caſtitatis contraxit Matrimonium, & conſummavit: ex conceſſione Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap. Liceat*; & ex privilegio S. Pii V. ſæpius relato: nec obſtat, quod in privilegiis, in quibus conceditur Prælatis facultas diſpenſandi, fere ſemper excipiatur bigamia; nam hujuſmodi exceptio refertur ad bigamiam veram, quando quis realiter duas habuit uxores ſucceſſive, & cum utraque conſummavit; & ad bigamiam interpretativam, quando quis contraxit cum vidua, aut virgine deflorata ab alio, vel cognovit uxorem poſt ejus adulterium. Super neutra igitur bigamia vera, & interpretativa nequeunt dicti Prælati cum ſubditis diſpenſare; & hæc eſt ſententia verior, & tutior, quam, contra nonnullos, tuentur fere omnes D. D.; & moventur primo, quia irregularitas, quæ ex utraque bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione membrorum contrahitur, ſemper, aut fere ſemper reperitur excepta, ut patet ex privilegiis conceſſis a Sixto IV. & Clemente IV. Prædicatoribus, Minoribus, aliiſque Regularibus; ſecundo, quia licet expreſſe non excipiatur, ſemper tamen debet haberi pro excepta, cum ſit ceteris gravior ad diſpenſandum; ideoque ſubdunt, quod debeant cavere Generales, & Provinciales ne concedant ſubditis ſuis licentiam, ut ſuſcipiant Ordines, vel ut ſuſceptis utantur, ſi inveniant, quod exiſtentes in ſæculo incurrerunt hujuſmodi irregularitatem; pro qua recurrendum eſt ad Summum Pontificem: & nota, quod loquuntur de uſu, & ſuſceptione Ordinum, non autem de ingreſſu ad Religionem; quia bigamus non prohibetur Religionem ingredi, nec eſt inhabilis ad profeſſionem, cum id in nullo jure reperiatur expreſſum: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 2. Miranda *tom.* 2. *q.* 8. *art.* 14. *concluſ.* 5. Suarez *tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 49. *ſect.* 6. *num.* 16. Barboſa *allegat.* 49. *num.* 30. Navarr. *in Summ. cap.* 27. *num.* 197. *comp. privileg. V. abſolutio extraordinaria quoad fratres §.* 5. *num.* 5. In caſu tamen occulto, ad vitandum ſcandalum, probabile eſt quod dicti Prælati ſuper præfata irregularitate cum ſuis ſubditis in foro conſcientiæ diſpenſare valeant: ex privilegio Martini V. Benedictinis conceſſo, quod refert Joan. de la Cruz *lib.* 1. *de ſtatu Relig. cap.* 6. *concluſ.* 3. *dub.* 19.

8. Nequeunt Generales cum ſubditis diſpenſare ſuper irregularitatibus ortis ex infamia juris ante, vel poſt ingreſſum Religionis, ut cum convictis crimine nefando, raptu, ſimonia, perjurio promiſſorio, hæreſi, apoſtaſia a fide, crimine læſæ Majeſtatis, hoſtili perſecutione S. R. E. Cardinalium, duello, matrimonio cum duabus ſimul, lenocinio, proſtitutione, matrimonio cum meretrice, vel repudiata, publici uſurarii crimine, maleficio, veneficio, ſortilegio, & aliis, quæ a D. D. referuntur; nam cum præfatis ſolus Papa diſpenſat; ut habetur *ex cap. Infames*, ubi Gloſſ. *de regul. juris in* 6.

Digitized by Google

Cum ſubditis tamen irregularibus ex infamia facti, quæ oritur ex crimine gravi notorio, poſtquam purgata eſt per pœnitentiam, & vitæ emendationem, poſſunt dicti Prælati diſpenſare: ut conſtat *ex cap. Domino, diſt.* 50. *& cap. Euphemium* 2. *q.* 3. ubi notat Gloſſa quod ſequitur: Nam quantum ad maculatos infamia juris, nullum illis privilegium valet ad diſpenſandum ob ſcandalum, quod generat hæc notoria enormitas, cujus diſpenſationem ob id ſemper credi debet velle Papam ſibi reſervari; ita Navarrus *cap.* 25. *num.* 75. *&* 76. Miranda *tom.* 2. *q.* 8. *art.* 5. Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 6. Portell. *V. diſpenſare num.* 6.; idcirco non ſunt audiendi aliqui, qui ſententiam affirmativam mordicus defendunt, referentes Bullas Eugenii IV. & S. Pii V. quas quidem nec in Bullario Romano, nec alibi invenire potui.

9. Regulares parum litterati poſſunt ab Epiſcopis diſpenſari, ut ad Sacros Ordines promoveantur, dummodo conſtet eiſdem Epiſcopis per litteras teſtimoniales ſuorum Generalium, vel Provincialium ipſos eſſe examinatos, & ſufficienter inſtructos; idque non adverſatur decretis Concilii Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 12. *de Reformat.* ubi habetur: *Regulares quoque ſine diligenti Epiſcopi examine non ordinentur, privilegiis quibuſcumque ad hoc penitus excluſis*; quia poſt Tridentinum dictum privilegium fuit Societati Jeſu conceſſum cum clauſula expreſſe revocatoria ejuſdem Tridentini: ut conſtat ex Bulla 77. Gregorii XIII. quæ incipit: *Pium, & utile*: apud Cherub. *tom.* 2. & licet hujuſmodi privilegii communicationem ceteris Regularibus ibi Pontifex prohibeat, poſt ipſum tamen alii poſteriores Pontifices Regularium privilegia confirmarunt, eorumque inter illos communicationem conceſſerunt: prout dictum eſt ſupra *tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 8.

10. Poſſunt Generales cum Neophytis, ſeu noviter ad fidem converſis diſpenſare, ut poſt tempus per ipſos aſſignandum ordinentur: ex cap. *Neophytus, diſt.* 61. qui vero ab infantia baptiſmum ſuſcepit, vel jam diu converſus eſt ad fidem, ut aliqui docent poſt decem, aut quindecim annos, poteſt non ſolum promoveri ad Ordines, ſed etiam ad officia, & Prælaturas diſpenſari; tunc enim dicti Prælati non diſpenſant in irregularitate, ſed ſolum declarant, poſt temporis dilationem irregularitatem ceſſaſſe; jura enim certum tempus non præſcribunt: ita Suarez *tom.* 5. *diſp.* 43. *ſect.* 3. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 7. *q.* 1. Toletus *lib.* 1. *cap.* 59. Reginal. *lib.* 30. *num.* 43. Secus dicendum de filiis hæreticorum pertinacium, qui uſque ad ſecundam generationem per viam maſculinam incluſive, & uſque ad primam per femineam cenſentur irregulares, & inhabiles ad Ordines, officia, beneficia, & Prælaturas: ex cap. *quicumque §. hæretici*; & cap. *ſtatutum de hæreticis in* 6. hoc tamen intelligitur concurrentibus ſimul duabus ſequentibus conditionibus: prima, quod filii nati ſint, poſtquam eorum parentes in hæreſim inciderunt; nam ſi antea nati ſunt, nec umquam parentum erroribus adhæſerunt, non cenſentur irregulares: ſecunda, quod eorum parentes mortui ſint in delicto hæreſis: conſtat ex cap. *Statutum* 2. *de hæreſi in* 6. ubi dicitur: *qui tales eſſe, vel deceſſiſſe probantur*: Navarrus *conſil.* 27. *de hæret.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 14. Ugolinus *de irregul. cap.* 36. *§.* 2. *num.* 6. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4. & alii.

11. Generales habent auctoritatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis ſuper irregularitate ex defectu lenitatis provenientе, nam privilegia Summorum Pontificum concedunt dictis Prælatis, ut diſpenſare valeant in omnibus irregularitatibus, præter homicidium voluntarium, bigamiam, & mutilationem membrorum: homicidium enim voluntarium in exceptione intelligitur illud, quod ex delicto, & culpabiliter contra juris ordinem procedit, prout expli-

caut

cant communiter D. D. homicidium autem de quo hic loquimur, licet ſit voluntarium (Judices enim, & miniſtri juſtitiæ voluntarie reum occidunt, vel mandant occidere) non tamen eſt culpabile, & ſic minime ad homicidium injuſtum cooperantur. Propterea Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſubditis, qui exiſtentes in ſæculo judicando, aut miniſterium juſtitiæ peragendo, hominem ad mortem, vel mutilationem membrorum condemnarunt, eorumque ſententia executioni mandata fuit, propter quod irregularitatem contraxerunt, ex defectu lenitatis ortam; idem dic de occiſione, vel mutilatione in bello juſto, & ſimilibus, de quibus conſule D. D. ita docent Cajetanus *in Sum. V. irregularitas*, Navarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 240. Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 8. Candidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 61. *dub.* 19. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 13. *n.* 14. & alii.

12. Cum ſubditis irregularibus ex homicidio caſuali indirecte volito, & ex homicidio facto cauſa defenſionis moderamen inculpatæ tutelæ excedente, poſſunt præfati Prælati diſpenſare, non ſolum in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro exteriori, ſive hujuſmodi homicidium ſit occultum, ſive ſit publicum; ut aperte conſtat ex privilegiis Eugenii IV. Bulla, quæ incipit: *Cum Monaſteriorum*; Sixti IV. Bulla incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*: & Julii II. Bulla, quæ incip. *Virtute conſpicuos*; quæ habentur *in Bullario Emanuel. Roder.* Homicidium autem caſuale, de quo loquimur, eſt illud, quod non eſt directe, & per ſe volitum, ſed indirecte, & per accidens, ut quando quis dans operam rei illicitæ non ex intentione hominem occidit, vel non adhibendo debitam diligentiam, dans operam rei licitæ; homicidium vero factum cauſa defenſionis, non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, irregularitatem non inducit.

13. Nequeunt Generales diſpenſare cum ſubdito, qui in ſæculo, vel in Religione commiſit homicidium voluntarium, quantumvis occultum, & quod nulla ratione poſſit in judicio probari, neque in notitiam hominis venire; nam irregularitas ex tali homicidio orta abſque ullo dubio eſt Summo Pontifici reſervata; & non Epiſcopis, prout aliqui D. D. improbabiliter docuerunt, referentes nonnulla privilegia a Summis Pontificibus ante Tridentinum Prælatis Regularibus ad id conceſſa; hujuſmodi enim privilegia, utpote adverſantia decretis S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap. Liceat*, ab eodem Tridentino manent revocata; & Pius IV. in Bulla, quæ incipit: *In Principis Apoſtolorum Sede*, in fine ejuſdem Concilii poſita, revocat omnia, & ſingula privilegia, quæ eidem Concilio ſunt contraria. Cum igitur *ſeſſ.* 24. *& cap. ſupra citatis*, concedatur Epiſcopis facultas diſpenſandi ſuper omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario oritur, proculdubio aſſerendum eſt, quod licet Prælati Regulares ſive ex Tridentino, ſive ex privilegio S. Pii V. Bulla incip. *Romani Pontificis*, apud Confectium *fol.* 226. eamdem, quam Epiſcopi, facultatem habeant, nihilominus ſicut pro Epiſcopis, ita ſimiliter pro dictis Prælatis Regularibus manet excepta ea, quæ ex homicidio voluntario, quomodocumque occulto, contracta eſt, etenim Concilium loco citato non diſtinguit omnino occultum ab occulto tantum in ordine ad judicium, ſeu ad forum contentioſum, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: ita fere *commun. D. D.* & praxis curiæ Romanæ; vide etiam quæ diximus *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 13.

14. Poſſunt Generales cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate ex voluntaria mutilatione membrorum proveniente, ita ut non ſolum ad Ordines, ſed etiam ad honores, gradus, & dignitates in Religione promoveri poſſint, dummodo hujuſmodi delictum

fuerit

fuerit occultum, & non deductum ad forum contentioſum; nam Generales habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut ſæpe in ſuperioribus dictum eſt, & poſſunt in ſuos quicquid valent Epiſcopi virtute Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *de Reform. cap. Liceat*; & ex privilegio S. Pii V. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*, ſupra citata; Epiſcopi enim in vim dicti capitis poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in quacumque irregularitate contracta ex cujuſvis membri mutilatione, etiam violenta, dummodo ſit occulta: nam Tridentinum ſolum prohibet facultatem diſpenſandi in irregularitate orta ex homicidio quomodocumque occulto, & cum mutilatio non ſit homicidium, conſequenter aſſerendum eſt, quod dicti Prælati valent cum ſubditis ſuper præfata irregularitate diſpenſare; etenim exceptio firmat regulam in contrarium, & in odioſis non ſit extenſio: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 10. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 71. Portell. *V. diſpenſare num.* 7. Barboſa *p.* 2. *alleg.* 39. *n.* 49. & alii communiter.

15. Nequeunt Generales diſpenſare cum ſubdito irregulari, qui procuravit abortum fœtus animati, effectu ſecuto, vel auxilium, aut conſilium dedit; nam Sixtus V. in Bulla, quæ incipit: *Effrænatam*, omnia privilegia ad diſpenſandum ſuper hujuſmodi irregularitate revocavit, & quamvis poſtea Gregorius XIV. Conſtitutionem prædictam Sixti moderavit in Bulla, quæ incipit: *Sedes Apoſtolica pia Mater*, apud Cherub. *tom.* 2. concedens Locorum Ordinariis, Prælatiſque Regularibus facultatem abſolvendi ſubditos ab excommunicatione propter abortum fœtus animati, effectu ſecuto, contracta; quoad diſpenſationem tamen irregularitatis incurſæ a procurantibus hujuſmodi abortum, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium dantibus eam non moderavit, ſed ad Sacrorum Canonum & Concilii Tridentini diſpoſitionem reduxit; idcirco ob eaſdem rationes, quas *num.* 13. præcedenti adduximus, tenendum eſt tamquam certum, Generales cum ſubdito irregulari ob patratum dictum ſcelus, quomodocumque occultum, diſpenſare non poſſe.

16. Poſſunt Generales diſpenſare cum ſubditis ſuper irregularitate ex delicto hæreſis orta, dummodo fuerit occulta, quia ex nullo Canone, vel Bulla Apoſtolica apparet hujuſmodi facultatem fuiſſe revocatam, ſicut proculdubio revocata eſt poteſtas diſpenſandi in irregularitate ex delicto hæreſis publice orta; Prælati enim præfati, juxta ſæpius in ſuperioribus dicta, eamdem, quam Epiſcopi, poteſtatem habent ad diſpenſandum in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario; ut conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap. Liceat*; & ex privilegio S. Pii V. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis*, ut ſupra: ergo ſicut Epiſcopi diſpenſare poſſunt in dicta irregularitate ex delicto hæreſis orta, ſi fuerit occulta; ita ſimiliter Generales cum ſuis ſubditis in eadem diſpenſare valent.

17. Poſſunt etiam dicti Prælati abſolvere, & diſpenſare cum ſubdito ſuper irregularitate ab eo contracta ex delicto indebitæ ſuſceptionis, vel executionis Ordinum, ſive ſit, quia ſuſpenſus, aut excommunicatus Ordines ſuſcepit, vel exercuit, vel quia duos Sacros Ordines in eodem die, aut furtive recepit, vel quia conjugatus, vel ante legitimam ætatem, aut ab Epiſcopo ſuſpenſo ordinatus fuit, in quibus caſibus incurruntur ſuſpenſio & irregularitas, ex Conſtitutione Pii II. incip. *Cum ex Sacrorum Ordinum*: apud Cherub. *tom.* 1. quam etiam Regulares comprehendere declaravit, & voluit Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra male promotos, quæ incipit: *Sanctum, & ſalutare*, apud eumdem Cherub. *tom.* 2. Advertendum tamen, quod id poſſunt facere in foro conſcientiæ dumtaxat, & quando ea delicta ſunt occulta; ut conſtat ex privilegiis relatis ſupra, præ-

ſertim

ſertim Tridentini, & S. Pii V. & quamvis Sixtus prædictus revocavit privilegia Regularium ad abſolvendos ſubditos ſic male promotos, poſt ipſum tamen anno 1597. Clemens VIII. Bulla 51. quæ incipit: *Ratio Paſtoralis Officii*, aliique Succeſſores dicta privilegia confirmarunt, & innovarunt cum illa clauſula: *Dummodo Decretis S. Concil. Trident. non adverſentur*; cum autem ea privilegia concedentia Prælatis Regularibus facultatem abſolvendi, & diſpenſandi cum ſubditis ſuper irregularitate in caſibus adductis contracta, minime dictis Decretis ſint contraria, ut conſtat ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 12. idcirco eiſdem competere hujuſmodi facultatem, certum eſt; ita Peyrinus *tom.* 1. *privil. in Conſt.* Julii II. *§.* 16. *num.* 31. Lezana *in ſumm. p.* 1. *cap.* 14. *num.* 21. Dian. *p.* 3. *tract.* 2. *de dub. Regular. reſol.* 85. Roder. *in comp. v. diſpenſatio*. *§.* 12. & alii: præterea ex eiſdem privilegiis conſtat, dictos Prælatos poſſe cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate, quæ ex iteratione baptiſmi contrahitur, quando quis ſcienter baptizatum rebaptizat, in quo caſu tam rebaptizans, quam rebaptizatus manent irregulares, dummodo hujuſmodi iteratio baptiſmi ſit occulta.

18. Dictum eſt in præcedentibus reſolutionibus, quod Generales quoad abſolutiones cenſurarum, & diſpenſationes irregularitatum eamdem poteſtatem, quam exercere valent in ſubditos profeſſos, exercere pariter poſſunt in Novitios, ut conſtat ex Mari Magno Sixti IV. quod incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, apud Cherub. *tom.* 2. cum duabus tamen conditionibus: prima, quod Novitii debent habere propoſitum profitendi; ſecunda, quod ſi ante profeſſionem exeant a Religione abſoluti, & diſpenſati, debeant ſe præſentare ei, qui alias de jure in ſæculo eos abſolvere, & diſpenſare poterat, non ut abſolvantur, & diſpenſentur, cum jam ſint abſoluti, & diſpenſati, ſed ne in eaſdem cenſuras, & irregularitates, ob inobedientiam ſe præſentandi, reincidant, ut conſtat ex cap. *Eos, qui de ſentent. excomm. in* 6. & docet Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 15. Sorbus, *v. Novitius*, Sylveſter, & alii. Idcirco Novitii ad ſæculum revertentes, ſi opus fuerit, monendi ſunt ut ſe præſentent, ne iterum innodentur.

19. Poſſunt Generales quotannis feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ diſpenſare in foro conſcientiæ ſuos ſubditos in omnibus irregularitatibus prædictis, etiam ex bigamia vera, & interpretativa, ac mutilatione membrorum procedentibus, numquam tamen ex homicidio voluntario, quantumvis occulto, neque in provenientibus ex defectibus, qui a Tridentino excipiuntur; nam omnia privilegia, quæ eidem Concilio adverſantur, ab eodem manent revocata, ut ſæpius in præcedentibus reſolutionibus dictum eſt, habent enim Generales dictam facultatem ex privilegio conceſſo a Paulo III. in Bulla 10. quæ incipit: *Exponi Nobis*, in favorem Monachorum S. Benedicti Valliſoleti edita, & habetur in Bullario Emman. Roderici ſub his verbis: *Nos igitur, qui ſingulorum ſaluti paterno zelamus affectu, vobis, quod ſtante immemorabili conſuetudine, etiam de cetero, perpetuis futuris temporibus, ſingulis annis, prima die lunæ Quadrageſimæ omnes, & ſingulas perſonas utriuſque ſexus, Ordinis, & Congregationis prædictorum religioſas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, ſeu donatas, necnon Eremitas ſub cura veſtra exiſtentes intra ſepta veſtrorum, ſeu ipſorum pro tempore abſolvendorum Monaſteriorum, ſeu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, ſententiis, cenſuris, & pœnis, per eos pro tempore quomodolibet incurſis, etiam in caſibus dictæ Sedi quomodolibet reſervatis, exceptis in Bulla Cœnæ contentis, abſolvere, & cum eis ſuper quibuſcumque irregularitatibus per eos*

pro

Digitized by Google

pro tempore, quavis occaſione, vel cauſa contractis, diſpenſare, prout hactenus, ut præfertur, conſueviſtis, dicta auctoritate valeatis, plenam, & liberam, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus facultatem: Non obſtantibus &c. Sic Pontifex. Advertendum tamen primo, quod licet in hac conceſſione Apoſtolica excipiantur caſus in Bulla Cœnæ contenti, non ideo omnes excepti intelliguntur, ſed dumtaxat illi quinque ſupra in *cap.* 5. *num.* 16. relati, ſcilicet, *hæreſis, ſchiſma, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, deportatio armorum ad infideles, & conſpiratio facta contra Papam*, a quibus Prælati Regulares abſolvere nequeunt; a reliquis vero poſſunt abſolvere. Advertendum ſecundo, quod quamvis in eadem conceſſione nulla excipiatur irregularitas, ſemper tamen excepta intelligitur ea, quæ ex homicidio voluntario, quovis modo occulto contrahitur, necnon ea, quæ ex aliquo defectu a Tridentino excepto provenit, cum omnia privilegia eidem Tridentino contraria, expreſſe per idem Tridentinum, & expreſſius per Bullam Pii IV. revocantur: prout dictum eſt ſupra *num.* 13. & 15. præſentis capitis. Qua conceſſione, ſeu privilegio ceteri Prælati Regulares per communicationem fruuntur: ita Peyrinus de Prælat. *tom.* 2. *q.* 2. *cap.* 5. *ſ.* 8. *n.* 99. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 13. *num.* 16. & 17. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 63. & alii.

20. Denique notandum eſt, quod in omnibus his caſibus, in quibus dicti Prælati poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare, ſive ſit in irregularitatibus, ſive in aliis pœnis, ſeu impedimentis Canonicis, vel in quibuſvis aliis, prout dictum eſt ſupra, & dicetur infra, poſſunt id facere extra Sacramentum pœnitentiæ, extra territorium, immo & cum ſubditis abſentibus, quia diſpenſare non pertinet ad juriſdictionem contentioſam: ut docent Portell. *V. diſpenſare, in addit. num.* 10. Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio diſp.* 19. *num.* 7. & *ſeqq.* Notandum eſt ſecundo, quod iidem Prælati habent in omnibus prædictis auctoritatem activam, paſſivam, & commiſſivam ad diſpenſandum, ita ut non ſolum poſſint diſpenſare per ſeipſos, verum etiam ipſi diſpenſari poſſunt per ſuos confeſſarios, & committere, ſeu delegare aliis hujuſmodi facultatem, qua jure ordinario, & ex privilegio fruuntur; hujuſmodi tamen commiſſo, ſeu delegatio exequi ſemper debet a delegato in actu Sacramentalis Confeſſionis: ita docent Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 46. Miranda *tom.* 2. *q.* 19. *art.* 7. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. Roder. & alii, referentes privilegium Julii II. conceſſum Minimis in eorum Mari magno. Notandum eſt ultimo, quod ipſimet Prælati poſſunt in omnibus prædictis ſecum diſpenſare; & ratio eſt, quia illi non debent eſſe deterioris conditionis, quam ſubditi; tum quia exercere hujuſmodi juriſdictionem erga ſeipſum nulli juri repugnat; hæc enim nec contentioſa, nec Sacramentalis eſt, ſed tantum poſtulat directionem ex prudenti judicio ad perpendendam diſpenſationis cauſæ juſtitiam; prout docent cit. Sanchez *ut ſupra*, Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 10. Candidus *tom.* 2. *diſp.* 24. *art.* 59. *dub.* 7. Belaſius *V. diſpenſare n.* 12. Roder. & alii.

CAP. VIII.

De facultate, quam habent Generales, irritandi, commutandi, & diſpenſand. Vota ſuorum Subditorum.

1. CUm in ſequentibus tractandum ſit de facultatibus Prælatorum Regularium ad irritandum, commutandum, & diſpenſandum in particularibus, & ſpecialibus Votis, & juramentis Subditorum, in præceptis Eccleſiaſticis, & aliis quibuſdam; idcirco præmittere in primis neceſſe eſt, quod

Digitized by Google

quod votum quinque modis tollitur, 1. per interpretationem; 2. per irritationem; 3. per commutationem; 4. per diſpenſationem; 5. per ceſſationem. Per interpretationem igitur Votum ceſſat, quando quis ob aliquam juſtam cauſam evidenter ſcit ſe non obligari; per irritationem, quando Prælatus habens poteſtatem dominativam ſupra voventem, illud irritat, tollitque obligationem; per diſpenſationem tollitur votum auctoritate Prælati, cauſa rationabili exiſtente, alioquin non valet diſpenſatio facta a Prælatis Papæ inferioribus; per commutationem, mutando ex rationabili cauſa votum in aliud opus bonum; & per ceſſationem, quando votum eſt ad aliquod determinatum tempus, quo completo, ſtatim votum ceſſat: ita *commun. D. D.*

2. Inter facultatem irritandi, commutandi, & diſpenſandi Subditorum vota diſcrimen non parvum reperitur, nam facultas irritandi hujuſmodi Vota exercetur per actum dominii, facultas vero commutandi, & diſpenſandi exercetur per actum juriſdictionis. Præterea facultas commutandi vota differt a facultate diſpenſandi in hoc, quod quando a jure conceſſa eſt ad commutandum, extenditur etiam ad diſpenſandum: quando vero per privilegium datur tantum facultas ad commutandum in aliquo voto, illa facultas non extenditur ad diſpenſandum; at e contrario, quando per privilegium datur facultas ad diſpenſandum in aliquo Voto, ea facultas extenditur ad commutandum in eodem: prout docent Roder. *in expoſ. Bullæ Cruciatæ §. 9. n.* 114. Leſſius *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 108. Suarez *de Relig. lib. 6. de Voto. cap.* 12. *num.* 10. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 49. *num.* 28. & alii.

3. Ad irritandum vota nulla requiritur cauſa, cum hoc jus proveniat ex jure poſitivo, quo datur Superiori legitima poteſtas dominativa in voluntatem ſubditi. Ad commutandum Vota in æquale requiritur cauſa, licet minor, quam ad diſpenſandum; ſi autem commutatio fiat in melius, nulla cauſa requiritur. Ad diſpenſandum vero requiritur juſta cauſa, alias diſpenſatio invalida eſt, cum hæc ſit abſoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Cauſæ juſtæ ad diſpenſandum ſunt v. g. imperfectio actus, vel levitas, ac facilitas ad vovendum, debilitas in vovente, vel difficultas notabilis in obſervatione Voti, neceſſitas ejuſdem, bonum Eccleſiæ, aut utilitas communis, vel privata: dictæ, & ſimiles cauſæ ſufficiunt ad diſpenſandum, etiamſi ſint dubiæ, ut tradunt Sylveſt. *v. diſpenſatio, q.* 14. *n.* 20. *in fine*, Sanchez *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 6.

4. Generales poſſunt ſine privilegio pro libito, & abſque ulla cauſa ſuorum ſubditorum vota ſimplicia irritare: hæc ſententia eſt communis omnium Doctorum; ut ajunt Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 15. & Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 33. *num.* 15. habet enim Prælatus poteſtatem dominativam in ſubditum, ſicut dominus in ſervum, & poteſt etiam vota interna irritare, ne ſcilicet ſiant cum obligatione peccati, & ſic ea vota irritata amplius non convaleſcunt; limita tamen, ut prædicti non poſſint irritare vota ſubditorum ad ſtrictiorem Religionem, ſecluſo privilegio, quæ limitatio eſt etiam ex communi D. D. ſententia, ex cap. *Non ſolum de Regul. in* 6. in quo datur libertas ad ſtrictiorem, petita prius, licet non obtenta, a Superioribus licentia: Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 40. *num.* 74. *dub.* 13.

5. Poſſunt Generales prohibere ſubditis, ne abſque eorum licentia votum aliquod faciant, quia id non eſt prohibere bonum perfectius, ſed velle tantum ut debite fiat: ſi vero non obſtante prohibitione ſubditi in materia ſibi licita voveant, tunc votum tenet, quia prohibitio Prælati votum non annullat, cum multa prohibita ſiant, quæ tamen facta valent; ſed

Præla-

Prælatus poteſt executionem hujuſmodi voti impedire, illud irritando, vel ſuſpendendo: ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 25. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 43. *num.* 10.

6. Nequeunt Generales irritare ſubditorum vota, quæ de ipſorum licentia ſunt emiſſa, vel ab eiſdem confirmata, nam ſi abſque cauſa legitima ea irritent, peccant mortaliter, irritatio tamen valebit, ita ut vota illa amplius non convaleſcant; ut docet. Roder. *tom.* 4. *Summ. cap.* 136. *num.* 14. Prælati tamen ſucceſſores irritare poſſunt vota a ſubditis emiſſa de prædeceſſorum licentia, nam hæc non tollit poteſtatem ſucceſſorum dominativam ad irritandum, idque poſſunt facere ſine cauſa, ſi abſque ipſorum licentia vota emiſſa ſunt, vel non confirmata. Subditi pariter abſque cauſa poſſunt voti irritationem petere, cum in hoc utantur jure ſuo, habent enim dependentiam a Prælatis ſuis; & ſicut Prælati non peccant irritando, ita nec ſubditi petendo; ita *commun. D. D.* Prælati Superiores poſſunt irritare vota a Prælatis inferioribus confirmata, quia poteſtas major nec reſtringi, nec impediri poteſt ab inferiori, immo illa poteſt iſtam impedire: eſt etiam *comm. D. D. ſent.*

7. Quamvis Prælati Generales nequeant irritare vota ſubditi ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum aſſumpti, quia a poteſtate ejus dominativa jam eſt exemptus; poſſunt tamen irritare vota ſubditi emiſſa tempore ſubiectionis, ſed implenda tempore libertatis, ſcilicet quando fuerit extra Conventum; quia quando hujuſmodi votum emiſſum eſt, voluntas erat ſubjecta; unde ſi ſine licentia vovit, neque ad executionem futuram tempore libertatis potuit ſe obligare, cum Prælati ſemper habeant plenum dominium ad irritandum ſubditorum vota: ita Ledeſma *tom.* 2. *tract.* 19. *cap.* 7. *dub. ult.* Sanchez apud Dian. *p.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 15. & alii commun. Idem dicendum, quando ſubditus eſt in dubio, an votum emiſerit tempore ſubjectionis, vel libertatis.

8. Nequeunt Generales irritare vota ſubditorum, qui vel ad Epiſcopatum ſunt aſſumpti, vel a Religione in perpetuum juſte ſunt ejecti, cum hi extra eorum juriſdictionem jam ſint poſiti; ſi vero ejecti a Religione ad illam redeant, tunc poterunt irritari ipſorum vota, cum iterum poteſtati dominativæ ſubdantur: at ſi Epiſcopus dignitati renuntiet, & ad Ordinem redeat, numquam ſubditur poteſtati dominativæ Ordinis, ac proinde illius vota nec irritari, nec diſpenſari a Prælatis Regularibus poterunt: ita *comm. D. D.*

9. Non poſſunt a Prælatis irritari vota, quæ in aliquibus Religionibus ſimul cum tribus ſolemnibus emittuntur, & dicitur quartum votum, quale eſt votum Minimorum de non comedendis carnibus, votum Trinitariorum de redimendis captivis, & ſimilia; nam hujuſmodi vota per conſtitutiones generales, a Summo Pontifice approbatas, ſunt emiſſa, unde dici poſſunt vota ſolemnia, cum eadem ſolemnitate ſicut alia tria emittantur, & acceptentur. Bene tamen poſſunt irritari vota a ſubditis emiſſa de exequendo aliquo conſilio evangelico, de non violando aliquo præcepto Decalogi, vel Eccleſiæ, vel Regulæ, quia in his, & ſimilibus Prælati irritantes ſolum tollunt majorem obligationem, quam ſubditi de illis ſervandis ſibi impoſuerunt; habent enim plenum dominium ſupra ſubditorum voluntatem: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 54. Sylveſtr. *V. votum* 3. *num.* 3. Miranda & alii.

10. Novitiorum vota, ſive in ſæculo, ſive in anno probationis emiſſa, non poſſunt a dictis Prælatis irritari, quia illorum voluntas nondum eſt Prælatorum dominationi ſubjecta; ſi vero ea vota ſint perſonalia, & impediant Religionis obſequia, poterunt a Prælatis ſuſpendi, & ſic ſuſpenſa non obligabunt, donec in profeſſione commu-

ten-

Digitized by Google

tentur, vel extinguantur; dixi, ſi impediant, quia ſi non impediunt, ſuſpendi non poſſunt; neque realia, ut v. g. de danda eleemoſyna propriæ ſubſtantiæ, nam ſuper his poteſtate dominativa carent. Quod ſi Novitius vovendo dixerit: Si Prælatus, vel Magiſter conſenſerit, ſeu approbaverit, tunc uterque irritare poterit. In profeſſione tamen omnia vota Novitiorum expirant: prout docent comm. D.D. S.Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 1. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto*, *cap.* 7. *num.* 11. Navarr. *in manual. cap.* 12. *num.* 65. & alii.

11. Poſſunt Generales uti facultate irritandi, commutandi, ac diſpenſandi vota ſuorum ſubditorum extra Sacramentum pœnitentiæ, quia privilegia Summorum Pontificum non requirunt, ut audita Confeſſione, irritatio, vel commutatio, aut diſpenſatio fiat, ſi enim privilegia non reſtringunt, nec nos reſtringere debemus; niſi in caſibus particularibus facultatum, ſeu litterarum S. Pœnitentiariæ, vel in aliis requirentibus expreſſe executionem in foro pœnitentiali, quia tunc opus eſt uti tali facultate in actu Sacramentalis Confeſſionis: ut docent Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 43. *a num.* 16. *& lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 34. *num.* 29. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto*. Immo poſſunt aliis dictam facultatem delegare, ut cum ipſis, & cum ceteris eadem utantur, ſicut poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis: ita *D. D. cit.* Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 12. Suarez & alii, ſed in actu Sacramentalis Confeſſionis, ut dictum eſt in cap. præced. num. 20.

12. Poſſunt præterea Prælati Generales commutare, & diſpenſare omnia vota ſimplicia ſubditorum, etiam juramento firmata; habent enim poteſtatem quaſi Epiſcopalem, & ſicut poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis diſpenſare, ita poſſunt dicti Prælati cum ſuis: prout docet Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 10. *cum comm. ſent.* immo etiam ex juſta cauſa poſſunt diſpenſare in voto tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, quia non eſt ſimpliciter votum Religionis, ſed ſtrictioris: ut docent Navar. Sotus, Henriq. quos ſequitur Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 42. *nu.* 2. Quæ concluſio ad omnia prorſus vota, tribus eſſentialibus Religionis cum quarto, quod a Minimis, Trinitariis &c. emittitur, exceptis, extenditur; ut docet Cajetan. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. immo abſque privilegio abſolutos eſſe ab hujuſmodi votis ſimplicibus Regulares, niſi illa tacite, vel expreſſe approbaverit Superior, tenent S. Bonav. *in* 4. *diſtinct.* 38. *art.* 1. *quæſt.* 3. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 7. S. Antonin. *p.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. *§.* 6. & alii. Vota vero peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ nequeunt a prædictis Prælatis commutari, aut diſpenſari, niſi in caſibus, in quibus poſſunt Epiſcopi id facere cum ſuis ſubditis, poſſunt nihilominus ea irritare, vel ex cauſa ſuſpendere, negando licentiam ſubditis peregrinandi; poteſtas enim irritandi, & diſpenſandi eſt inter ſe diſtincta, & una non impedit aliam: ita Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 32. *art.* 1. *concluſ.* 3. Portell. *V. voti diſpenſatio num.* 42. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 10. *num.* 17. & alii.

13. In votorum commutatione non oportet ſcrupulis agitari, an opus in quod vota commutantur, ſit omnino æquale; hæc enim æqualitas non debet eſſe mathematica, ſed ſufficit æqualitas judicio viri prudentis, ſecluſa tamen fraude, & ignorantia culpabili, præcipue, ſi virtute privilegii commutatio fiat: ita Sylveſt. *V. votum* 4. *q.* 8. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 12. *num.* 6. Roder. *de voto cap.* 100. *num.* 4. *in ſumma*.

14. Prælati habentes poteſtatem ad diſpenſandum in votis, ſi dubitent de cauſa juſta, poſſunt ad ſecuritatem aliquod leve onus injungere, non enim coguntur abſque ullo onere diſpenſare, quandoquidem in multis diſpenſationibus Pontificiis aliqua onera etiam injungun-

Digitized by Google

junguntur; propterea tutius eſt partim uti poteſtate diſpenſandi, & partim commutandi, cum difficilius ſit cognoſcere, an ſubſit juſta cauſa ad diſpenſandum, quam ad commutandum, nam ad diſpenſandum ſemper requiritur major cauſa quam ad commutandum, ut dictum eſt *num. 3.* in utroque enim prudentia requiritur: prout docent Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 11. q. 4.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 7.* & alii.

15. Poſſunt dicti Prælati diſpenſare, vel commutare omnia vota Novitiorum, ſicut poſſunt Epiſcopi erga ſuos ſubditos; conſtat ex poteſtate ſpirituali, quam in illos habent, & ex conceſſione Eugenii IV. Ciſtercienſibus facta, per Bullam, quæ incip. *Etſi quaslibet*; quam refert Caſarub. *in comp. privil. V. diſpenſatio num. 27.* & ibi loquitur non ſolum de Novitiis, ſed etiam de Donatis, Oblatis, ſeu Tertiariis; & de omnibus votis, etiam peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ, voto Religionis dumtaxat excepto; ita Navar. *cap. 12. num. 65.* Sanchez *in Summ. lib. 4. cap. 43.* Joan. de la Cruz *in Epiſt. lib. 1. dub. 20. concluſ. 3.* Roder. *tom. 1. q. 25. art. 8.*

16. Vota ſubditorum juramento firmata, & juramenta promiſſoria facta in honorem Dei, quæ quidem ſunt quaſi quædam vota, a dictis Prælatis irritari, commutari, ac diſpenſari poſſunt, ut cum multis docent Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 53.* Suarez *lib. 6. de Voto, cap. 14. a num. 14.* nam votum juramento firmatum non eſt diſtinctæ ſpeciei, votum enim eſt principale, juramentum vero acceſſorium; cum igitur Prælati per privilegia poſſint tollere votum, quod eſt principale, a fortiori poterunt tollere juramentum, quod eſt acceſſorium. Idem dicendum eſt de juramentis factis in favorem tertii in iis rebus, in quibus Religioſi ſunt ſubjecti Prælatis, de quibus ſubditi diſponere nequeunt; in rebus autem de quibus valide, & licite diſponere poſſunt, communis ſententia affirmat, non cadere ſuper illis irritationem, nec commutationem, nec diſpenſationem in præjudicium alterius.

17. Diſpenſatio, & commutatio voti non valent, quando Prælatus dicit ſubdito: *Diſpenſo tecum in omnibus Votis ſimplicibus, quæ emiſiſti*, vel *Commuto omnia tua Vota in alia pietatis opera; non præcognoſcendo, quænam ſint illa Vota*; nam diſpenſatio, & commutatio requirunt ambæ cognitionem voti, ad hoc, ut utraque & præcipue diſpenſatio cum cauſa fiat, ſine qua erit invalida; ſi enim voti cognitio deficit, neceſſario cauſæ cognitio deficiet. Secus vero dicendum ſi Prælatus dicat: *Irrito omnia Vota tua, quæ irritare poſſum*: tunc valida eſt hujuſmodi irritatio abſque cognitione votorum, quia ad irritandum vota, non requiritur cauſa, ac proinde voti cognitio non requiritur; excepto voto, quod ipſe Prælatus confirmavit, vel de ipſius licentia emiſſum eſt, juxta ſupradicta *num. 6.* ita cum communi Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto cap. 16. num. 14.*

18. Quamvis Subditus poſſit ſuum votum ſimplex in evidenter melius commutare abſque auctoritate Prælati, & ſine cauſa, niſi a jure prohibeatur; id tamen non poteſt facere commutando votum in æquale, quia mutatio hujuſmodi abſque licentia, & cauſa non habet rationem virtutis, & honeſtatis; & multo magis requiritur cauſa, & auctoritas Prælati, immo & privilegium ad commutandum votum in minus æquale: conſtat ex cap. *Pervenit. 2. de jurejur.* & docent Corduba *in Summ. q. 49.* Suarez *de Voto cap. 19. num. 3.* & alii.

19. Quando votum a Prælato, vel a vovente ſubdito commutatum eſt in melius, poſt commutationem factam non poteſt vovens ſua ſponte ad votum antiquum redire; quia illa commutatio habet vim novi voti, poterit tamen, ſi commutatio facta fuit in æquale, & a fortiori, ſi in minus æquale,

Digitized by Google

quale ; ita ut manente primo voto poſſit ad illud redire ; niſi commutationi deliberate renuntiaverit , quia in tali caſu illa uti non poterit : ita Suarez cit. *cap.* 20. *num.* 1. *&* 4. & alii.

20. Prælatus dubitans de poteſtate diſpenſandi, poteſt adhibitis diligentia, & conſilio , cum ſubdito diſpenſare , nam poteſtas diſpenſandi eſt ample interpretanda ,ut late probat Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 2. Si vero dubitet de vera , & juſta cauſa diſpenſandi , & tamen abſque examine ejuſdem temere diſpenſet , mortaliter peccat , cum ſit negligens in materia gravi, diſpenſatus autem manet tutus in conſcientia ; quod ſi moralem diligentiam adhibeat , & adhuc maneat dubius, poterit ſine peccato diſpenſare, deponendo dubium , in quo credendum eſt , Eccleſiam piam Matrem id concedere : prout docent Sylveſt. *v. diſpenſatio q.* 14. *num.* 20. *in fine* . Clavis Reg. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 25. Sa *v. Votum num.* 20.

21. Diſpenſatio , & commutatio votorum debent fieri a Prælato verbis claris, & vere ſignificantibus quod facere intendit, nulla tamen in hoc eſt forma præſcripta , ſed arbitrio prudentis relinquitur, & verbis in ſignificatione propria , & communi acceptis . Verba autem clariora ſunt hæc*: Si cauſa expoſita eſt vera , diſpenſo tecum in hoc voto &c. vel commuto hoc votum in hæc, vel illa opera pietatis &c.*

22. Poſſunt præterea Generales , cauſa juſta interveniente , diſpenſare ſuos ſubditos in Eccleſiæ præceptis, in quibus poſſunt Epiſcopi ſuos ; videlicet in jejunio Eccleſiaſtico , vel Regulæ ; in divino Officio ; in ſervitio Chori ; ut in die feſto laborent , & ſimilibus ; prout conſtat ex multis Summorum Pontificum privilegiis, & præcipue Eugenii IV. Sixti IV. Julii II. & S. Pii V. Bulla , quæ incipit : *Romani Pontificis circumſpecta* , apud Confectium fol. 226. in qua extendit conceſſionem factam Epiſcopis a Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 6. ad Prælatos Ordinis Prædicatorum , & conſequenter ad Prælatos aliorum Ordinum , qui in privilegiis communicant ; Epiſcopi enim ex vi dictæ conceſſionis poſſunt diſpenſare ſuos ſubditos in præceptis Eccleſiæ , inſtante neceſſitate , niſi a Papa prohibeantur : ergo ſimiliter poſſunt Prælati Regulares in illis caſibus , qui frequenter accidunt, ut cum D. Thom. S. Anton. Bonac. & aliis docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 14. *&* 17.

23. Dicti Prælati diſpenſare poſſunt in obſervantiis, & obligationibus ipſius Religionis, quæ non ſunt ſubſtantialia Religioni , v. g. in præceptis non ſub mortali obligatoriis , & in aliis , quæ in Regula ſeu Statutis continentur : ratio eſt, quia ſicut Epiſcopus diſpenſare poteſt cum Clerico ſæculari in obligationibus ad ſtatum Clerici pertinentibus , ita cum proportione Prælati Regulares poſſunt cum ſubditis in propria eorum Regula diſpenſare, alioquin non eſſet ſufficienter proviſum Regularibus in iis quæ frequenter accidunt , pejoriſque eſſent conditionis Clericis ſæcularibus, qui ab Epiſcopis eas diſpenſationes , quæ ad ſuum ſtatum pertinent , conſequuntur : ita D. Thom. 2. 2. *q.* 47. *art.* 3. Roder. *tom.* 1. *q.* 26. *art.* 1. Sylveſt. *v. diſpenſatio q.* 14. & alii . Ad diſpenſandum tamen in omnibus ſupradictis requiritur ſemper cauſa vera , & juſta , de qua vide ſupra *num.* 3. & conſule D. D.

24. Denique Generales habent poteſtatem deputandi Subditos Confeſſarios ab Ordinario approbatos, ut ad petendum debitum conjugale poſſint diſpenſare cum Conjugibus , qui poſt contractum Matrimonium inceſtum commiſerunt uſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis , vel affinitatis incluſive , tam ex cognatione ſpirituali , quam carnali provenientem , & cum illis , qui poſt emiſſum caſtitatis votum , Matrimonium abſque diſpenſatione contraxerunt , vel poſt contractum Matrimonium caſtitatem voverunt , hujuſmodi autem facultas , mortuo , vel amoto ab officio concedente , non expirat,

pirat, idque conſtat ex privilegiis Martini V. Julii II. S. Pii V. ut referunt Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 6. *num.* 23. Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 2. & alii communiter. Nec obſtat dicere, quod dictæ conceſſiones ſunt vivæ vocis oracula a Summis Pontificibus revocata, nam per Bullam Gregorii XV. incip. *Romanus Pontifex in ſpecula*, oraculorum revocatoria, minime revocantur conceſſiones vivæ vocis oraculo factæ, quæ ante eam ſuum effectum ſortita fuerunt, prout in eadem Bulla in calce §. 1. dicitur: *in his, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium revocamus*: ergo per argumentum a contrario ſenſu, ea quæ effectum ſunt ſortita, non ſunt revocata, exceptio enim firmat regulam in contrarium, & cum præfatæ conceſſiones ante dictam revocationem jam ſuum effectum eſſent ſortitæ, ut docent cit. D. D. & praxis quotidiana, proculdubio poſſunt Generales, nec non Provinciales dictam facultatem Subditis Confeſſariis concedere.

TRACTATUS III.

De Privilegiis in particulari.

CAPUT I.

De munere, & poteſtate in genere Prælatorum Provincialium.

1. PRælati Provinciales cum ſint præfecti ſuarum Provinciarum, habentes in illis ſupremam juriſdictionem, & poteſtatem juxta Regulas, & Conſtitutiones uniuſcujuſque Ordinis; idcirco eorum auctoritas ad exequendum munus, & officium ſuum pleniſſima eſt, & omnino eadem in ſuis Provinciis, ſicut illa Generalis in toto Ordine, cum aliqua tamen limitatione, & reſtrictione in quibuſdam, quæ ipſis a jure, vel ex vi Conſtitutionum interdicta ſunt; hæc ſententia eſt communis omnium Doctorum, aſſerentium poſſe Prælatos Provinciales in ſuis Provinciis quidquid poſſunt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus: ita Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 1. *cap.* 3. Belaſius *v. Provincialis n.* 1. Miranda *tom.* 2. *q.* 16. *art.* 5. & alii communiter.

2. Sicut caput Religionis eſt Generalis, ita caput Provinciæ eſt Provincialis, ſine quo nullum poteſt congregari Capitulum provinciale, nihilque ſine eo determinari poteſt; ut tradunt Miranda *tom.* 2. *q.* 29. *art.* 1. & Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 88. *num.* 14. In quocumque ſuæ Provinciæ Conventu reſidentiam ſuam conſtituere poteſt, & cum Superioribus localibus concurrere ad negotia, non ſolum totius Provinciæ in genere, ſed etiam in ſpecie ſingulorum Conventuum; unde poteſt in ſua Provincia, in qualibet electione, & in quolibet actu legitimo, etiam profeſſionis, ſuffragium præbere, quia Provincialis eſt pars, immo caput cujuslibet Conventus, ideoque a jure hujuſmodi auctoritas, ac juriſdictio eidem com-

Digitized by Google

competit: ita cum Peyrino, & Portello docet Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 26. *num.* 65. *&* 79. *&* *tom.* 2. *reſol.* 88. *n.* 14. niſi aliud obſtet.

3. Provincialibus incumbit regulariter convocare de triennio in triennium Capitulum provinciale, eo tempore, quo in ſtatutis cujuslibet Religionis ſancitum eſt, niſi propter rerum, & temporum circumſtantias aliter diſponere oporteat; ut docet Pellizar. *tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 93. Advertendum tamen, quod in aliquibus Religionibus Provinciales nequeunt abſque Generalis licentia Capitulum provinciale convocare, idque in Ordine Minorum tam Obſervantium, quam Reformatorum per Conſtitutiones generales ita cautum eſt.

4. Quemadmodum Generales in toto Ordine habent poteſtatem tam dominativam, quam juriſdictionis, ita ſimiliter Provinciales, ſive per electionem, ſive per nominationem fiant, habent poteſtatem tam dominativam, quam juriſdictionis, ſive directivæ, ſive coercitivæ, ſive voluntariæ, ſive contentioſæ, ſive abſolutivæ, ſive diſpenſativæ (de quibus infra tractabitur) ſuper omnes Provinciarum reſpective ſuarum ſubditos; hujuſmodi tamen poteſtas, etſi ſit ſuprema, & ordinaria, a Generalibus regulariter dependet, ut docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 13.

5. Præfata Provincialium juriſdictio, ſeu poteſtas eſt ordinaria, non delegata, quia ipſi ſunt Ordinarii Paſtores Provinciarum, & Religioſorum in eis exiſtentium; & licet non ſit tam ampla, ſicut illa quæ in Generalibus reperitur, cum iſta ab illa in multis ſit limitabilis, & Generalium poteſtas ad plura, & graviora extendatur; ad omnia tamen extenditur, quæ illis ad gubernandas Provincias neceſſaria ſunt, & quæ eiſdem jure communi, vel ſpeciali non ſunt prohibita, vel Generalibus reſervata; ita ut quod illis non eſt prohibitum, vel alteris reſervatum, cenſeatur conceſſum: prout docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 14. *&* 15. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 66. *num.* 6.

6. Prælati Provinciales, præſertim in Ordine Minorum tam Obſervantium, quam Reformatorum, durante Syndicatione, poſſunt facere illa omnia, quæ ſtatuta Ordinis prohibent Provinciarum Viſitatoribus, ut ſunt recipere Novitios, Confeſſarios inſtituere, dare licentiam ad Ordines ſuſcipiendos, & reliqua, quæ prædictis interdicuntur; quia cum hæc ſint Provinciis neceſſaria, eo ipſo quod Viſitatoribus interdicta manent, videntur proinde Provincialibus conceſſa, alias non eſſet ſufficienter bono communi Provinciarum proviſum: ut notat Portell. *v. Provincialis num.* 3.

7. Durante Syndicatione poſſunt Provinciales exercere ut plurimum juriſdictionem voluntariam cum ſubditis, præcipue in ſpiritualibus; v. g. abſolvere eos a peccatis, & cenſuris reſervatis in foro conſcientiæ, diſpenſare in votis, irregularitatibus, & ſimilibus; quia per exercitium hujuſmodi juriſdictionis voluntariæ non fit injuria Viſitatoribus, neque officium viſitandi impeditur. Dixi, *ut plurimum*, quia ſi aliqua ad juriſdictionem voluntariam ſpectantia, officium Viſitatorum impediant, aut perturbent, ut eſt v. g. transferre ſubditum de uno ad alium Conventum, ita ut non poſſit viſitationi intereſſe, hæc proculdubio, & ſimilia facere non poſſunt, cum per ea officium Viſitatorum impediatur. Neque poſſunt in ulla cauſa tempore viſitationis juriſdictionem contentioſam exercere, quia tunc omnes cauſæ Viſitatoribus ſunt commiſſæ; poſſunt tamen in Capitulo, vel in alio loco publico apoſtatas abſolvere, id enim fit ſine proceſſu, & ſine Viſitatorum injuria: de cetero unuſquiſque ſuas Conſtitutiones, vel conſuetudines conſulat: vide Sanchez *lib.* 3. *de re Matrim. diſp.* 8. *&* 19.

CAP. II.

De poteſtate directiva Prælatorum Provincialium.

1. PRælati Provinciales nequeunt abſque Capitulo provinciali pro ſuis reſpective Provinciis ſtatuta perpetua facere; ratio eſt, quia cum impoſitio legis ſit res graviſſima, idcirco requiritur conſenſus communitatis, cui imponitur: unde hujuſmodi poteſtas de jure communi Capitulo provinciali dumtaxat convenit; ut tenent Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. Pellizar. *tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 96. De jure autem ſpeciali videnda ſunt uniuſcujuſque Religionis ſtatuta; in noſtra Seraphica ſolum Capitulum generale pro toto Ordine, & provinciale pro tota Provincia poſſunt Leges, & Statuta condere; loquendo de Statutis, quæ omnes ſemper obligant, non de præceptis, quæ poſſunt Superiores pro tempore imponere, & quæ, ipſis amotis, & decedentibus, ceſſant: ita Sanctor. *Conſt. cap.* 12. *ſtat.* 12. *q.* 2. Sylveſt. *v. Religio* 6. *q.* 6. Sanchez, Roder. *tom.* 1. *q.* 68. *art.* 1.

2. Nequit Provincialis de jure communi, niſi detur ſpeciale Statutum in contrarium, ſuos Definitores convocare, eorumque conſilio, & conſenſu leges aliquas, & Conſtitutiones condere, bonum commune concernentes, quidquid nonnulli improbabiliter afferant; nam ut dictum eſt, id ſolum competit Provinciali in Capitulo, & non extra: neque poteſt etiam cum ſuo Capitulo Statutum condere adjecta pœna infamiæ contra tranſgreſſores, cum id neque Generalis, neque Capitulum generale facere poſſint: prout docet Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 58. *num.* 8. & alii.

3. Quoad vim directivam, quatenus neceſſe eſt ut caput corpori conformetur, tenetur Provincialis leges, & præcepta a ſeipſo lata obſervare, ut docent communiter D. D. ratio eſt, quia ſicut jus naturæ dictat ut inferior Superiori obediat, ita etiam dictat ut Superior inferiori conformetur, turpis enim eſt pars, præſertim caput, ſi diſcordet ab aliis partibus: ſecus autem dicendum quoad vim coactivam, id eſt quoad pœnam, niſi quatenus a Generali puniri poteſt, ſi eas non obſervare deprehendatur: ita cum Roder. & Suario docent Peyrinus *de Prælat. q.* 1. *cap.* 8. Pellizar. *tract.* 9. *cap.* 3. & alii communiter.

4. Poteſt Provincialis ſuos ſubditos de uno ad alium Conventum transferre, prout melius judicaverit: advertendum tamen, non debere hujuſmodi mutationes ſine cauſa fieri, nam id videtur eſſe contra caritatem, & contra bonum regimen Religionis: ut ait Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 91. Immo ſi Provincialis inveniat aliquem ſubditum indiciatum de aliquo delicto in Conventu, vel extra commiſſo, quod tamen manifeſtum non eſt, nequit tuta conſcientia illum a prædicto Conventu in alium transferre, ſeu alias quomodolibet punire, quando ob hujuſmodi tranſlationem, vel punitionem ejus fama periclitatur: ut docet Roder. *tom.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. ratio eſt, quia unuſquiſque ſub mortali tenetur proximi bonam famam non lædere; quando autem Prælatus ſubditum de delicto indiciatum ſtatim a Conventu removet, vel punit, proculdubio famam ipſius lædit, ac per conſequens mortaliter peccat: debet propterea prius eum monere, & corrigere, & ſi opus fuerit, etiam punire, ſi ſine famæ læſione id poſſit fieri: prout docent Peyrinus *in formular. litt. M. cap.* 8. *num.* 2. Girag. *p.* 3. *dub.* 6. *n.* 66. & alii.

5. Prælatus Provincialis non poteſt abſque Papæ, vel Ordinarii licentia Monialem ſubditam de uno ad aliud Monaſterium transferre cauſa inevitabilis neceſſitatis, fundandi, regendi, reformandi Monaſterium, inſtruendi Novitias, cauſa correctionis, vel evitandi alicujus valde evidentis, & gravis diſpendii; quia obſtat Bulla

S. Pii

S. Pii V. quæ incip. *Decori, & honeſtati...* apud Cherub. *tom.* 2. declarans cauſas, ob quas licitum eſt Monialibus a Clauſura egredi abſque licentia Papæ, & tres tantum exprimit; ſcilicet, ſi in Monaſterio excitetur incendium, ſi aliqua Monialis ſit lepra infecta, vel ſi adſit epidemiæ morbus.

6. Poſſunt Provinciales juridice dubia privilegiorum declarare, non ſervatis omnibus juris apicibus, qua declaratione facta, ſubditi ipſorum ſententiæ ſtare tenentur; nam id pertinet ad eorum officium, quod eſt, ſuorum ſubditorum Paſtores, ac Doctores eſſe: ita Leo X. Prælatis Ordinis Minorum conceſſit, qua conceſſione aliorum Ordinum Prælati per communicationem fruuntur; quapropter ſi privilegia, vel etiam conſtitutiones ſint ambigua, non ſolum doctrinaliter, ſed etiam judicialiter poſſunt a dictis Prælatis interpretari; ſecus autem ſi ſint clara, & Prælati velint illa perperam declarare; tunc enim ſubditi tali declarationi ſtare non tenentur: prout docent Peyrinus *ad Conſt.* 3. Julii II. *num.* 2. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 6. *num.* 8. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 56.

7. Quamvis certum non ſit, an de jure communi pertineat ad ſolos Generales, vel Provinciales Novitios ad habitum recipere; certum tamen eſt, quod id de jure ſpeciali fere in omnibus Religionibus præcipue mendicantibus ad eoſdem ſpectat, ut docet Peyrinus *de Prælato, quæſt.* 3. *cap.* 1. *n.* 16. Præterea dicti Prælati tranſeuntes per Conventum Novitiatus poterunt pro Novitiis ſuffragium ferre, dum id non ex collocatione, vel mora tracta in Conventu Novitiatus, vel ex notitia practica, quam de Novitiis habeant, ſed ex ratione officiorum eiſdem competit. Poſſunt tamen peccare Generales, & Provinciales, ſi collato ſuffragio acceptent ad profeſſionem Novitium, cujus converſationem experti non ſunt, vel ex aliorum relatu non didicerunt; & ideo a Sacris Canonibus, & Ordinis ſtatutis conſultum eſt, ut id ex Religioſorum conſilio, & aſſenſu faciant: ita Peyrin. *tom.* 2. *q.* 3. *art.* 1. *§.* 3. *num.* 116. Portell. *tom.* 1. *caſuum*; *p.* 1. *caſ.* 11. *num.* 2. Sanctor. *Conſt. cap.* 2. *ſtat.* 18. *fol.* 118.

8. Poteſt Provincialis in ſua Provincia Confeſſarios perpetuos inſtituere, illiſque licentiam concedere activam, & paſſivam abſolvendi a reſervatis, nec non diſpenſandi ad petendum debitum cum conjugibus, qui poſt contractum Matrimonium inceſtum commiſerunt uſque ad 2. gradum conſanguinitatis, vel affinitatis incluſive, tam ex cognatione ſpirituali, quam ex carnali provenientem: & cum illis, qui poſt emiſſum Caſtitatis votum, Matrimonium abſque diſpenſatione contraxerunt, vel poſt contractum Matrimonium Caſtitatem voverunt; quæ quidem facultates durant, donec a ſucceſſore revocentur; cum gratiæ morte, vel amotione concedentis non expirent; & favores ſint ampliandi, odia vero reſtringenda: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Bordonus *tom.* 1. *reſol.* 6. *num.* 23. Candidus *tom.* 2. *diſq.* 27. *art. unic. dub.* 9. Palaus *tom.* 5. *diſp.* 4. & alii communiter.

9. Provinciales in ſuis Provinciis poſſunt conſtituere unum, aut plures Religioſos ſubditos, probatos tamen, ac doctrina idoneos, nec non juramento fidelitatis adſtrictos, in Notarios publicos pro intimandis mandatis, indultis, privilegiis, & conceſſionibus Apoſtolicis Ordinibus Regularibus elargitis, quibuſcumque perſonis, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, etiam ſpeciali nota dignis; pro cauſis quoque criminalibus ſuorum ſubditorum; ita ut illis tanta fides adhibeatur, quanta Notariis Sæcularibus adhiberi debet; cauſæ enim Religioſorum non poſſunt coram Judice Sæculari tractari, neque ſine Notariis proceſſari; idcirco in hoc poſſunt facere cum ſuis ſubditis, quod poſſunt Epiſcopi cum ſuis: conſtat ex privilegiis Julii II. & præcipue S. Pii V. in Bulla, quam per extenſum refert

Digitized by Google

Rodericus *tom. 3. q. 8. art.* 1. & docent Lezana *tom. 1. cap.* 18. *num.* 95. Peyrinus *de ſubdito*, *quæſt.* 1. *cap.* 3. §. 8. Portell. *V. Notarius num.* 1. *& ſeqq.*

10. Quamvis de jure communi poſſint Provinciales concedere ſuis ſubditis licentiam libros imprimendi, in Religionibus tamen, in quibus datur lex, ſeu ſtatutum in contrarium, prout datur in Religione Minorum Obſervantium, & Reformatorum, præſertim in his Provinciis ciſmontanis, nequeunt præfatam licentiam concedere, ſed id ad ſolos Generales, vel Commiſſarios Generales dumtaxat ſpectat, in Provinciis vero ultramontanis etiam ad Provinciales extenditur hujuſmodi facultas: ut docet Sanctor. *in Conſt. cap.* 11. *ſtat.* 5. & Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 58. *num.* 21. ex Decret. Trident. *ſeſſ.* 4. *de impreſſ. libror.*

11. Licet de jure communi non ſolum Prælatis Provincialibus, ſed etiam localibus competat licentiam concedere ſuis ſubditis ad prædicandum Verbum Dei, ut patet ex Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de Reformat.* ubi hujuſmodi facultas conceditur Regularium Superioribus, quorum nomine veniunt etiam Guardianus, & Prior, ut cum aliis notat Pelizarius *tract.* 8. *cap.* 4. *n.* 2. de jure tamen ſpeciali dare prædictam licentiam fere in omnibus Religionibus competit Provincialibus; & in noſtra Seraphica patet ex Regula, & conſtitutionibus *cap.* 9. Advertit tamen Lezana *tom.* 1. *cap.* 20. *num.* 1. peccare mortaliter Prælatos, qui ſubditos non idoneos prædicare permittunt; ſubditi quoque peccant, qui ſine ſcientia ad tantum munus requiſita prædicare præſumunt. Præterea ſine benedictione ab Epiſcopo Diœceſano petita, & obtenta, in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare non poſſunt; in Eccleſiis vero ſui Ordinis, petita, licet non obtenta, ab Epiſcopo benedictione, prædicare valent; quod ſi Epiſcopus benedictionem, nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem ſui Ordinis Eccleſiis licebit Regularibus prædicare: prout conſtat ex Concil. Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 2. *de Reformat. & Seſſ.* 24. *cap.* 4. & ex Conſt. Gregorii XV. incip. *Inſcrutabili*, apud Cherub. *tom.* 3. & Clementis X. 10. Kal. Julii 1670. Conſt. incip. *Superna Magni Patris familias*.

12. Poteſt Provincialis revocare omnes licentias, & facultates a ſuo anteceſſore conceſſas, nam Provincialis actualis non habet minorem auctoritatem quam præteritus, cum autem hic revocare poterat, proculdubio ille id efficere poteſt; immo revocare poteſt facultates a Generali præterito conceſſas, ſi ſuo officio præjudicent, quia per abdicationem, vel amotionem ab officio Generalatus, videtur tales facultates a Prælato Provinciali dependentiam habere, quando illæ Provincialatus officio, vel ſubditis præjudiciales ſunt: prout cum aliis docet Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 88. *num.* 2.

13. Nequeunt Provinciales ad inſtantiam quarumcumque perſonarum extra Ordinem exiſtentium Religioſis ſubditis ullum officium, ſeu dignitatem conferre, vel pœnas remittere; prout Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. in ſuis Conſtitutionibus apud Cherub. *tom.* 2. *&* 3. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuerunt Superioribus Ordinum Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Eremitarum S. Auguſtini, Minimorum, ceteriſque Superioribus Regularibus. Quinimmo quoſcumque Religioſos ſubditos, qui contra decreta dictarum Conſtitutionum per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia, & ſimilia, & etiam majora conſequenda perpetuo inhabiles declararunt; ſed de his vide quæ diximus ſupra, *cap.* 2. *de Privilegiis Prælatorum Generalium nu.* 10.

14. Poſſunt Provinciales in Capitulo provinciali tollere, limitare, ſeu reſtringere ſuis ſubditis uſum quorumcumque privilegiorum Apoſtolicorum, nam

nam ad id omnes fere Religiones ſpeciale habent privilegium : ita Leo X. conceſſit Generalibus Ordinis Minorum in Capitulo Generali,& Provincialibus in Capitulo Provinciali ; ut habetur in ſupplemento, & refertur *in comp. privileg. V. Privilegia Fratrum §. 26.* ſimilem conceſſionem habent Auguſtinenſes per eumdem Leonem X. & Ciſtercienſes per Eugenium III. & Clementem IV. prout refertur *in comp. privil. Ordinis Ciſtercienſis V. privilegium §. 6.* quo privilegio omnes aliæ Religiones, quæ in privilegiis communicant, fruuntur. Nequeunt tamen virtute dictarum conceſſionum tollere aliquid quod ſit contra jus commune, vel uſum Sacrorum Canonum ; nam quæ de jure ſtatuta ſunt, habent vim obligandi ad culpam, vel pœnam, juxta ipſius juris diſpoſitionem, quæ obligatio a Prælatis Regularibus tolli minime poteſt : ita *commun. D. D.* Miranda *tom. 2. q. 43. art. 4.*

15. Non poſſunt Provinciales dare licentiam ſubditis tranſeundi ad laxiorem Ordinem ; ut conſtat ex Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 19.* quia in hoc ſolus Papa diſpenſat ; probabile tamen eſt, quod poſſint ex juſta, & legitima cauſa concedere tranſitum ad parem Religionem ; ut docent Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 14. q. 9.* Roder. *tom. 1. q. 52. art. 9.* Sanchez *in Decal. lib. 6. cap. 7. num. 65.* qui inter alias cauſas aſſignant ſubventionem parentum in gravi neceſſitate, & perſecutionem gravem in Religione: aliæque ſimiles dari poſſunt judicio viri prudentis. Prælati autem Ordinis Minorum nequeunt dare hujuſmodi licentiam tranſeundi ad parem: quod ſi ad ſtrictiorem tranſitus permittatur, id ſit, quia jus commune ita diſpoſuit, *in cap. Liceat de Regular.* quod eſt ſupra Regul. F. F. Minor. vide dicta *cap. 6. n. 12. tract. 2.*

CAP. III.

De poteſtate coercitiva Prælatorum Provincialium.

1. HAbent Provinciales in ſuis Provinciis poteſtatem ad coercendos ſubditos per quaſcumque eccleſiaſticas cenſuras, quæ alias poſſint juſte perſonis imponi; ſicut enim omnis hæc poteſtas competit Epiſcopis, ita pariter competit Provincialibus, qui revera habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem, niſi alias aliquo jure ſpeciali illis limitetur. Dixi, *quæ poſſint perſonis imponi*, ut excluderem interdictum locale, quod non poteſt a Provincialibus, immo neque a Generalibus imponi, quia ipſorum juriſdictio potius in perſonas, quam in locum cadit ; interdictum vero locale, cum comprehendat totum locum, redundat quodammodo in perſonas ipſis Prælatis Regularibus non ſubditas: ita Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 9. num. 4. & de Cenſuris diſp. 36. ſect. 1.* Navarrus *cap. 2. num. 168.* Baſſæus *V. interdictum 4. num. 1.* & alii.

2. Poteſt Provincialis in aliena Provincia exiſtens ſubditum ſuum delinquentem punire, & contra eumdem contentioſam juriſdictionem exercere, ut contra nonnullos tenent Roder. & Diana, quos refert, & ſequitur Bordonus *tom. 2. reſol. 78. num. 53.* ratio eſt, quia Provincialis eſt judex ſuorum ſubditorum ſimpliciter, & independenter a loco, ergo ubique poterit ſuam juriſdictionem exercere : poterit etiam Provincialis in ſua Provincia exiſtens punire ſubditum ſuum, qui in aliena Provincia deliquit, ſi ei ab alterius Provinciæ Prælato remittatur, ut illum puniat: ut docet Portell. *tom. 1. Caſuum, caſu 19. n. 1.*

3. Si Epiſcopus deprehendens Religioſum in aliquo delicto ſcandaloſo, de eo formet proceſſum cum teſtibus, & utrumque ad Provincialem remittat,

ut delinquentem puniat juxta diſpoſitionem Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Regular.* non tenetur Provincialis novum proceſſum formare, ſed inſpecto ſolo proceſſu facto, & miſſo ab Epiſcopo, poteſt talem Religioſum punire: ratio eſt, quia ex declaratione S. Congreg. Concil. quam refert Marſilius *ad dictum cap.* 14. ſufficit, quod Epiſcopus, prout tenetur, remittat Religioſum extra Clauſtra delinquentem ſuo Prælato, & proceſſum ſimul cum teſtibus: hujuſmodi enim proceſſus fuit factus a Judice competente, nam licet Epiſcopus non ſit abſolute Judex Regularium, eſt tamen Judex ſecundum quid, ſi ipſi extra Clauſtra delinquant: ut patet ex dicta declaratione S. Congr. & docent Portellus *tom.* 1. *Caſuum*, *caſu* 19. *num.* 2. Pellizar. *tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 11. Advertendum tamen, numquam Provincialem teneri ſuum ſubditum punire cum ſolo proceſſu ab Epiſcopo formato, prout cum Peyrino notavit Pellizar. *ſupra*.

4. Poteſt Provincialis prævenire negotia Superioris localis; ratio eſt, quia Provincialis in quolibet ſuæ Provinciæ Conventu habet eminenter totam Superioris localis poteſtatem; ut tenent Peyrinus *de Prælato quæſt.* 3. *cap.* 1. *§.* 3. *num.* 116. Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 67. *num.* 16. attamen non eſt conveniens, niſi urgens cauſa interveniat, ut Prælatus ſuperior in negotiis Prælatorum inferiorum ſe immiſceat.

5. Nequit Provincialis ſine juſta cauſa Superiorem localem ab officio privare, *ex cap. Monachi, de ſtat. Monach.* ubi habetur: *Superiores locales, cum in Eccleſiis Conventualibus per electionem Capitulorum ſuorum canonice fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa non mutentur, ut videlicet, ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale quid egerint, pro quo amovendi merito videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officii de conſilio Fratrum fuerint transferendi*. Ratio autem eſt; quia nemo ſine culpa privandus eſt jure ſuo, niſi adſit juſta cauſa; Superiores enim ſic electi, & confirmati jus habent acquiſitum in ſuo officio, ergo eo jure privandi non ſunt ad Provincialis libitum, talis enim privatio, ſeu amotio ab officio eſt graviter illicita, non ſolum contra caritatem, ſed etiam contra juſtitiam: ita cum communi tenent Lezana *tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 56. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 58. *num.* 53.

6. Non poteſt Provincialis Religioſum ſubditum ab obedientia ſui Superioris localis abſolute eximere, id enim ſolum Sedi Apoſtolicæ, *ex cap. Frater noſter* 16. *q.* 1. & Ordinum Generalibus reſervatum eſt, juxta ſententiam Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 2. & Sanctorii *Comment. in Conſt. cap.* 12. *ſtat.* 12. in aliquo tamen caſu particulari, juſta interveniente cauſa, poteſt id facere, non diſpenſando in ſubſtantia voti Obedientiæ, ſed dumtaxat in accidentariis, cum in hoc non ſequatur Religionis confuſio, nec injuria Superioris localis: prout docet Peyrinus *in formul. litt. E. cap.* 31. *num.* 3.

7. Poteſt Provincialis juſta interveniente cauſa ad ſe advocare cauſas pendentes coram Superioribus localibus ſuorum ſubditorum, nam omne jus inferioris juri ſuperioris ſubjicitur, hic enim poteſt de illo diſponere, immo præcipere, ne illo utatur; id tamen debet intelligi, niſi in aliqua Religione ſit aliqua Conſtitutio in contrarium, quia ſi detur lex, quod Prælatus ſuperior non ſe immiſceat in juriſdictione Prælatorum inferiorum, vel non adſit cauſa juſta, tunc nullo modo poterit cauſas pendentes ad ſe advocare, & ſi advocet, mortaliter peccat, & talis advocatio eſt nulla; ratio eſt, quia licet Prælatus Superior habeat Prælatos inferiores ſibi ſubordinatos, hoc non eſt ita intelligendum, ut poſſint de eorum juriſdictione ad libitum diſponere, ſed tantum ſecundum exigentiam rationis, & in ordine ad bonum commune: ergo ſi ſine cauſa id faciant, privando Prælatos inferiores jure ſuo, peccant

gravi-

graviter contra juſtitiam, limites ſuæ poteſtatis excedendo; prout cum Suarez, Lezana, & aliis docent Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 66. *num.* 36. *&* *reſol.* 88. *num.* 4. 8. *&* 9. Paſqualig. *deciſ.* 61. 62. *&* 63.

8. Niſi a Regula, vel Conſtitutionibus prohibeatur, poteſt Provincialis delegare aliquam cauſam civilem extra Religionem alicui perſonæ Eccleſiaſticæ Sæculari, vel Regulari; ratio eſt, quia de jure communi juriſdictio ordinaria, qualis eſt illa Provincialis, etiam perſonæ non ſubditæ delegabilis eſt, *ex cap. Sæpe* 28. *&* *ex cap. in Archiepiſcopatu*, 4. *Raptor.* ergo nihil prohibet, quod poſſit delegari. Cauſam autem criminalem delegare extra Religionem non poteſt, quia id ſolum Generali reſervatur, ut docet Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 58. *num.* 61. Advertendum tamen, quod ſi pars reſiſtat, habens rationabilem cauſam recuſandi judicium extranei, delegatio hujuſmodi evaneſcit; niſi alias ex ea delegatione ſpeciale bonum commune toti Religioni reſultet.

9. Ex quacumque cauſa legitima, materiam Confeſſionum concernente, poteſt Provincialis ſuſpendere Confeſſarios ſubditos, qui de ejuſdem licentia facultatem audiendi Sæcularium Confeſſiones ab Epiſcopo obtinuerunt; nam præfati Confeſſarii per approbationem Epiſcopi a ſubjectione, & correctione ſuorum Superiorum exempti non ſunt, prout cum Roderico, Miranda, & aliis, quos refert, & ſequitur Peyrinus *de ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 21. *§.* 1. *dicto* 3. immo poteſt præcipere ſub mortali, ne ſubditi fidelium Confeſſiones excipiant, excepto tamen tempore Jubilæi, in quo, & occaſione cujus Regulares a fidelibus in Confeſſarios eliguntur, tunc enim nequit Provincialis gratiam Summi Pontificis limitare, ſeu coarctare: ita cum aliis Vidal *tit. de pœnit. inquiſ.* 6. *num.* 86.

10. Poteſt Provincialis cum cauſa, vel ſine illa valide, & licite revocare omnes licentias audiendi Confeſſiones Fratrum, & Monialium ſubditarum a ſuo Anteceſſore Religioſis conceſſas, idque pro majori ſuæ conſcientiæ quiete efficere valet; ut cum comm. D. D. tenent Sanctius *in ſelect. diſp.* 48. *n.* 26. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 200. Franceſ. *in Paſtoral. Regul. p.* 2. *qu.* 20. *num.* 19. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 4. *num.* 13. ſi vero loquamur de approbatione abſoluta facta ab ipſomet Provinciali, majus eſt dubium, affirmant aliqui: ratio eorum eſt, quia approbatio ex natura ſua, præcipue inter Regulares propter votum Obedientiæ, non eſt immutabilis, ſeu irrevocabilis, idque Superiorum judicio debet relinqui, quod eſt probabilius; ut docent Hurtado *de pœnit. diſp.* 10. *difficul.* 19. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 36. *num.* 1. & alii. Probabile tamen eſt, quod non poſſit Provincialis hujuſmodi facultatem revocare; ratio eſt, tum quia per approbationem fuit ab approbato jus acquiſitum, quod ſine juſta cauſa revocari non debet; tum quia, quod ſemel placuit, non poteſt amplius ſine cauſa diſplicere, *ex Regul. jur. in* 6. ut late probant Fragoſus *tom.* 1. *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 42. Portellus *in dub. Regular. v. Confeſſ. approbatio num.* 1. Franceſ. *cit. p.* 2. *q.* 20. *num.* 42. & alii.

11. Nequit Provincialis, immo neque Generalis procedere contra ſuos ſubditos de hæreſi ſuſpectos, nec in aliis caſibus ad Tribunal S. Inquiſitionis pertinentibus, ut patet ex Conſtit. Pauli V. aliorumque Summorum Pontificum, in quibus revocantur omnia privilegia quoad hoc Regularibus conceſſa, immo ſub pœnis gravibus præcipitur, ut Prælati, & Subditi Religioſos de hæreſi ſuſpectos ad præfatum S. Inquiſitionis Tribunal ſtatim deferant: legantur Decreta Apoſtolica.

12. Neque poteſt Generalis, vel Provincialis gravare Religioſos ſubditos recurrentes ad dictum S. Inquiſitionis officium pro quocumque negotio, vel pro quocumque exceſſu per ipſos commiſſo intra quinquennium a die recur-

recurſus, niſi dependenter a Congregatione generali S. Officii, ut patet ex Decreto S. Pii V. quod refert Diana *p. 4. inter Decreta, & Conſtitutiones Pontificum*. Per hoc tamen non tollitur, quod Prælati Regulares poſſint ipſos Religioſos ob alia delicta punire: ut bene advertit Pellizarius *tract. 9. cap. 6. num. 23.*

C A P. IV.

De poteſtate, quam habent Superiores Provinciales, reſervandi peccata ſuorum Subditorum.

1. CUm Prælati Provinciales, ut pluries dictum eſt, & habetur expreſſum in jure, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, definiatque Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 11. hæreticum eſſe negare, Epiſcopos poſſe tam in foro interiori, quam in exteriori caſus ſibi reſervare, idcirco idem, ſaltem a paritate rationis, de Prælatis ſupradictis dicendum eſt; propterea in Generalibus noſtri Ordinis Conſtitutionibus *cap.* 7. *§.* 2. *de caſibus reſervatis num.* 2. jubetur, ut ſi quis contrarium temere auſus fuerit affirmare, tamquam errorum ſeminator ab audiendis Confeſſionibus perpetuo ſuſpenſus ſit, & graviſſime puniatur, conſulto tamen prius S. Inquiſitionis tribunali, & ejus expectato mandato. Præfati igitur Prælati Regulares, non ſolum jure communi ſupradicta poteſtate reſervandi caſus utuntur, & gaudent, verum etiam ex peculiaribus privilegiis, quæ in id ipſum omnes fere Religiones habent, aut directe ſibi conceſſis, vel quibus per generale communicationis privilegium perfruuntur. Prælati Ordinis Minorum habent ſpeciale privilegium Alexandri VI. quod habetur *in Monum. Ord.* 2. *impreſſ. fol.* 56. *& in ſupplem. fol.* 3. *conceſſ.* 2. circa quod privilegium comprehendens etiam Guardianos, advertendum eſt, in Capitulo Generali Aſſiſii anno 1526. celebrato, ſtatutum auctoritate Apoſtolica fuiſſe factum, in quo ordinatur, ut nullus Guardianus poſſit ſibi aliquem caſum reſervare, ſed ſolus Miniſter Provincialis id poterit; idque etiam manifeſte patet ex conſtitutionibus Generalibus Ordinis, & ex ſtatutis reformatis *cap.* 7.

2. Poſſunt Provinciales ſibi reſervare caſus ſuorum ſubditorum: non tamen Novitiorum, qui revera in caſus Religioni reſervatos non incidunt, atque adeo ab eiſdem, ſine ſuorum Prælatorum licentia, a ſuo ordinario Confeſſario abſolvi poſſunt; hæc doctrina eſt multum conſona juri: nam antequam prædicti Novitii profeſſionem emitrant, nullo modo dici poteſt, quod ſint vere, & proprie Religioſi, niſi in favorabilibus; ergo non poſſunt, ut ceteri Religioſi profeſſi, cenſuris ligari, & caſibus reſervatis conſtringi, cum ſint odioſa, pro quo facit *cap. Religioſos, de ſent. excommun. in 6.* & id quod dicunt communiter D. D. & præſertim Joann. Andr. & Gloſſ. *in cap. beneſ. de Regular. in 6.* Neque caſibus Epiſcopo reſervatis ligantur, cum non ſint ſubditi ipſius, ſolum enim caſibus Papalibus eſſe poſſunt obnoxii: a quibus tamen, ſicut ceteri ſæculares, ab habentibus facultatem poſſunt abſolvi.

3. Ad hoc, ut præfati Provinciales poſſint ſibi caſus reſervare, nonnullæ conditiones requiruntur. 1. ut peccata ſint mortalia, nam Eccleſia numquam interiores actus, nec peccata venialia reſervare conſuevit; 2. ut ſint actus externi, & completi; 3. ut obſervetur decretum Clementis VIII. anno 1593. editum, in quo decernitur, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ in præfato decreto continentur; videlicet, *Veneficia, incantationes, ſortilegia, apoſtaſia a Religione, nocturna, & furtiva e Monaſterio egreſſio &c.* prout habetur in Bullario Romano Laertii Cherubini *tom. 4. poſt conſt.* 26. Urbani VIII. *pag.* 273. de quibus infra in facultatibus Confeſſariorum Regularium redibit ſermo. Adjungit præterea

terea idem Pontifex; quod ſi aliquod peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, & Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & conſenſu. Notandum tamen, Pontificem non annullare, nec revocare per præfatum decretum caſus antiquos reſervatos in Religionibus per ſtatuta generalia in Capitulis Generalibus facta: Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 34.

4. Caſibus reſervatis ad præſcriptum Clementis VIII. poſſunt Provinciales etiam excommunicationem latæ ſententiæ adnectere, illamque ſibi reſervare, quia qui poteſt in principale, poteſt pariter in acceſſorium, cum de jure communi valeant Provinciales ſibi abſolutionem excommunicationis ab ipſis latæ reſervare; immo juxta ſententiam probabiliorem poſſunt cenſuras aliorum peccatorum ſibi reſervare; nam decretum Clementinum non loquitur de reſervatione cenſurarum, ſed dumtaxat, & expreſſe loquitur de reſervatione culparum, ut patet ibi: *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutionem ſibi reſervet, exceptis iis &c.* ergo per præfatum decretum non fuit limitata poteſtas Provincialium ferendi cenſuras, illaſque ſibi reſervandi: prout docent Suarez *tom.* 4. *in p.* 3. *diſp.* 29. *ſect.* 3. *num.* 13. Tambur. *de jure Abb. tom.* 2. *diſp.* 13. Coriol. *de caſib. reſerv. p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 6. & alii, & pro noſtro Ordine Minorum conſtat ex ſtatutis Generalibus Barchinonenſibus a S. Sede approbatis *cap.* 6. *§. de caſib. reſerv. in Orbe Seraph. tom.* 3. *pag.* 663. *col.* 2. *in fine*; ubi habetur: *Declaramus etiam, Generalem, & Provinciales per ſe ſolos abſque conſenſu Capituli poſſe ſibi reſervare quaslibet cenſuras, & ejuſmodi reſervationem eſſe validam, & tenere; cum decretum Clementis VIII. tantum loquatur de peccatis, quæ longe diſtant a Cenſuris.*

5. Quamvis nonnulli affirment, quod in reſervatione caſuum a Clemente VIII. expreſſorum tenentur Provinciales diſcuſſionem, & conſenſum Capituli Provincialis expectare, ſicut in aliis non expreſſis tenentur; verius tamen, & probabilius eſt, non teneri; quia cum talis diſpoſitio Clementina maxime exorbitet a jure communi, hanc poteſtatem Prælatis Regularibus concedente, idcirco non amplianda, ſed reſtringenda eſt; ſententia enim affirmativa non eſt conſona tenori Bullæ, nec motivo Pontificis, qui formam illam diſertis verbis ad caſus non enumeratos reſtringit; & jure merito, quia hi ſoli ſunt determinandi, ac propterea diſcuſſione opus habent, quam Pontifex exigit a Capitulo, quia in eo præſumitur major prudentia: caſus autem in dicta Bulla expreſſi jam ſunt a Pontifice determinati, nec poteſt Prælatus Regularis eos ampliare; nam id eſſet reſervationem facere ultra terminos præſcriptos; ut bene notant Cardinalis de Lugo *diſp.* 20. *de pœnit. num.* 42. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 19. Portellus *V. Caſus reſervati num.* 12. Poſſunt etiam Provinciales extendere reſervationem ad Moniales ſibi ſubjectas, non ſervata forma Clementis VIII. prout docet Pellizarius *cap.* 10. *de Monial. num.* 46.

6. Non licet Provincialibus confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, vel proprio motu id ab ipſis petierint; ideoque debent in ſingulis domibus duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori deputare, qui ſint docti, prudentes, & caritate præditi, & quibus reſervatorum abſolutio committatur; poſſunt præterea iidem Provinciales quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis, graves determinare pœnitentias, a Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint: *ex eod. Decret.*

7. Non poſſunt Provinciales negare facul-

facultatem in reſervata Confeſſario petenti, immo debent ſe oſtendere faciles, & benignos in concedenda hujuſmodi facultate, ob multa pericula, atque inconvenientia, quæ ex contrario facto poſſunt exoriri; unde peccant mortaliter dicti Prælati ſe exhibentes difficiles, & ſine cauſa prædictam auctoritatem negantes, præſertim ſi intelligant, quod ex negatione ejuſdem ſuorum ſubditorum animæ grave aliquod diſpendium patiantur, & multo magis ſi Confeſſarius teſtaretur, pœnitentem eſſe in periculo omittendi Confeſſionem. Quando autem timeri rationabiliter poteſt damnum ipſius pœnitentis, qui ob facilitatem abſolutionis non emendabitur, vel timetur damnum boni publici, vel tertii, ut eſſet gravis infamia Communitatis, aut facilitas peccandi in aliis, qui caſuum reſervatorum legem non curarent; tunc Provinciales non debent eſſe faciles, & remiſſi præfatam auctoritatem cuilibet abſque delectu, & diſcrimine de facili committendo, nam id eſſet auctoritatem, quam acceperunt in ædificationem, convertere in excidium, & deſtructionem, ut docent Miranda *tom.* 2. *q.* 34. *art.* 9. Sotus *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *& conſtat ex cit. Bull. Clement.* Si vero præfati Superiores Confeſſario petenti facultatem denegaverint, poterit nihilominus Confeſſarius pro illa vice pœnitentem abſolvere; ut conſtat *ex decret. Clement. ſupra cit.* & refert Naldus *V. Religioſus num.* 44. immo toties abſolvere poterit, quoties Superiores irrationabiliter facultatem negaverint; hæc tamen doctrina ſolum procedit, ubi non adſunt pœnitentiarii, nam ſi adſint, ceſſat ratio iſtius diſpoſitionis: ita cum multis Dicaſtillo *diſp.* 11. *dub.* 20. *n.* 339. Gobat. *in Theol. exper. tract.* 7. *caſ.* 20. *pag.* 478. *num.* 705. Præpoſ. apud Dian. *p.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 15.

8. Non poſſunt Provinciales ex quovis impedimento, vel cauſa audire ſola peccata reſervata, & ab iis ſacramentaliter abſolvere, & pro aliis non reſervatis pœnitentem ad inferiorem remittere, nam vel debent integre omnia peccata audire, & ab eiſdem pœnitentem abſolvere, aut tollere reſervationem, vel ſuam auctoritatem alteri Confeſſario committere, qui ſimul a reſervatis, & non reſervatis eumdem abſolvat; opinio enim contraria eſt omnino improbabilis; ratio eſt, quia integritas Confeſſionis eſt de jure divino, in quo dicti Prælati minime diſpenſare poſſunt, quæ quidem extra caſum urgentis neceſſitatis celebrandi, vel communicandi ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, vel in periculo mortis &c. obligat ſub mortali tam pœnitentem, ut utraque confiteatur, quam Superiorem, ut utraque audiat: ita De Lugo *diſp.* 20. *de pœnit. num.* 77. Coton. *lib.* 2. *controv.* 7. *cap.* 5. *q.* 9. *num.* 162. Miranda *tom.* 2. *q.* 34. *art.* 12. & alii commun.

9. Poterant Generales ante præfatum decretum Clementis VIII. facultatem reſervandi caſus a Provincialibus ex juſta cauſa auferre, ſeu limitare; modo autem cum modus reſervandi, & caſus reſervabiles in eo decreto limitati ſint, atque adeo non poſſit abuſus intervenire, idcirco non apparet amplius juſta cauſa hanc facultatem vel de novo limitandi, vel auferendi, quia illa nunc jure ordinario Provincialibus competit; prout docent Miranda *tom.* 2. *q.* 16. *art.* 6. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 37. *num.* 36. *&* 37. Solum igitur poterunt Generales auferre, vel limitare facultatem, præveniendo, nempe reſervando aliquos caſus ſibi, alios vero Provincialibus; id enim permittit ſubordinatio: ut docet Cotonius *lib.* 4. *controv.* 10. *num.* 8.

10. Nequeunt Provinciales ejectos a Religione in perpetuum abſolvere, niſi eo modo, & in caſibus, a quibus poſſunt alios ſæculares abſolvere; cum nullam ſuper eos juriſdictionem habeant, quæ quidem per ejectionem ad Ordinarios locorum translata eſt; & ob eamdem rationem non poſſunt abſolvere Moniales ejuſdem Ordinis, ſubjectas

jectas tamen Ordinario. Poſſunt tamen abſolvere Religioſos factos Epiſcopos virtute privilegiorum Ordinis, ſi illi quoad hoc eis ſubiiciantur, quia, etſi ſint Epiſcopi, gaudent privilegiis favorabilibus Religionis, quæ ipſorum Religioſorum aſſumptorum commodum concernunt abſque Religionis gravamine, idque convenit, ut cum eis permaneant favores, & gratiæ, prout ſunt indulgentiæ, abſolutiones, ac diſpenſationes paſſivæ &c. ita docent Portellus *V. eiicere ab Ordine*, & cum aliis Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 218.

11. Poſſunt Provinciales eligere etiam extra Ordinem in Confeſſarium quemcumque Sacerdotem idoneum, quamvis non approbatum, ſive Sæcularem, ſive Regularem, propriæ, vel alterius Religionis, a quo poſſunt abſolvi, & reſpective diſpenſari a reſervatis, cenſuris, pœnis, inhabilitationibus, privationibus, irregularitatibus, voti &c. a quibus ipſimet Prælati poſſunt ſuos ſubditos abſolvere, & diſpenſare; prout conſtat *ex cap. Final. de pœnit. & remiſſ. peccat. & ex Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* ubi in hoc quoad Prælatos Regulares nihil innovatur; cum approbatio Ordinarii, de qua loquitur, requiratur tantum ad audiendas Sæcularium Confeſſiones, non vero Regularium; ut docent communiter D. D. Suarez *tom.* 4. *de Relig. & in* 3. *p. diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 9. Peyrinus, & Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 81. & alii, habent enim in prædicta auctoritatem activam, paſſivam, & commiſſivam in ordine ad ſubditos, immo poſſunt illam delegare ſubdito cum facultate, ut is poſſit etiam eamdem ſubdelegare, dummodo delegatus non ſubdeleget nomine proprio, ſed nomine Prælati delegantis; ut docet Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 31. *n.* 6.

C A P. V.

De poteſtate quam habent Provinciales, abſolvendi ſuos Subditos a Cenſuris etiam reſervatis.

1. PRælati Provinciales de jure communi, & ex privilegiis independenter a voluntate aliorum quorumcumque Prælatorum poſſunt abſolvere omnes ſuos ſubditos utriuſque Sexus, necnon Novitios, non ſolum ab omnibus cenſuris, a quibus poſſunt Epiſcopi ſubditos ſuos vigore Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap. Liceat*; ſed etiam ab aliis gravioribus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, aliquibus exceptis, prout infra ſuis in locis explicabitur; idque conſtat ex pluribus Summorum Pontificum privilegiis, quæ late in ſuperioribus relata ſunt, & in inferioribus referentur: habent enim dicti Prælati Provinciales jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuis Provinciis, ut ſæpius dictum eſt; illamque non tantum ex privilegio, verum etiam jure communi aliis delegare poſſunt; *ut docent commun. D. D.* immo exercere eamdem valent in Territorio alieno, in eo ſubditos ſuos excommunicando; ex quo enim juriſdictio in alterius Territorio conceditur, uſum etiam juriſdictionis eiſdem conceſſum dicendum eſt: honeſtas tamen requirit, ut hujuſmodi juriſdictione in ſuis dumtaxat locis utantur, prout advertit Roder. *tom.* 2. *q.* 59. *art.* 1.

2. Licet de jure ſine cauſæ cognitione cenſuræ Eccleſiaſticæ non ferantur, feſtiſque diebus cauſæ cognoſci non poſſint, ac propterea in eiſdem excommunicari nequeat, ut conſtat *ex Cap. Sacr. de Sentent. excom. lib.* 6. attamen Prælati Provinciales poſſunt etiam die feriato ſubditum rebellem excommunicare, & proponere excommunicationem generalem contra aliquid pro-

prohibitum facientes : nam in his, & ſimilibus caſibus, in quibus nulla cauſæ cognitio requiritur, nec Divinus cultus impeditur, poſſunt hujuſmodi excommunicationes a Provincialibus ipſo facto fulminari : ita docent Ugol. *de Cenſur. Eccleſ. tabul.* 1. *cap.* 27. *§.* 2. Roder. *tom.* 2. *q.* 59. *art.* 2.

3. Cum aliquem Religioſum propter apoſtaſiam vel aliud delictum in Capitulo, vel in Communitate Provinciales excommunicant, non tenentur ſententiam in ſcriptis proferre, prout in jure ſub pœna ſuſpenſionis proferentibus præcipitur ; quod quidem privilegium noſtro Ordini Minorum a Leone X. fuit conceſſum ; ut habetur *in ſupplem. fol.* 93. *conceſſ.* 291. nec obſtat quædam Conſtitutio Toletana *cap.6. de correct. delinq. tit. de pœn. excomm.* in qua ordinatur omnibus Ordinis Prælatis ne per modum ordinationis, vel ſtatuti ad præcavenda delicta ſententiam excommunicationis, niſi in ſcriptis, inſerant, alias excommunicatio ſic lata declaratur nulla; nam talis ordinatio non comprehendit excommunicationem a Prælatis latam per modum præcepti, ut quando aliquibus Fratribus particularibus præcipiunt, ne certas domos ſæcularium, vel Cellas Religioſorum ingrediantur, non enim Pontifex conceſſit univerſaliter, ut nullam ſententiam excommunicationis poſſint Prælati ſine ſcriptis proferre, ſed tantum illam, quæ per modum præcepti contra aliquem particularem delinquentem profertur, ut patet ex verbis ipſius : ita Roder. *tom.2.q.59. art.3.*

4. Prælati Provinciales poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab excommunicatione Canonis: *Si quis ſuadente*, ut conſtat ex diſpoſitione juris communis: *cap. Monachi*, *cap. illorum §. Qui ſi clauſtrales*, *cap. Canonica eod. tit. de ſentent. excommun. junct. Gloſſ. in cap. Relig. de ſentent. excommun. in 6. v. habemus* : nec obſtat, quod textus loquatur cum reſtrictione de enormi percuſſione, nam per privilegia Apoſtolica Religionibus conceſſa, nullatenus quoad hoc Provincialium juriſdictio reſtricta manet ; quocumque enim modo Regulares ſe ſe, etiam enormiter, percutientes, a præfatis Prælatis poſſunt abſolvi ; prout Clemens IV. Bulla incip. *Virtute conſpicuos*, Sixtus IV. Bulla incip. *Regimini*, *Mare magnum nuncupata* ; apud Cherub. *tom.* 1. *Bull. Rom.* aliique Summi Pontifices Ordinibus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum conceſſerunt, ideoque juxta diſpoſitiones prædictorum Pontificum Provinciales Prælati, qui proculdubio juriſdictione quaſi Epiſcopali fruuntur, poſſunt a percuſſione, quantumvis enormi, ſubditos percuſſores abſolvere ; privilegia enim recenſita a Sede Apoſtolica non ſunt revocata : ita tenent Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *diſp.* 14. *q.* 10. *n.* 6. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 30. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *n.* 10. & alii.

5. Provinciales habent poteſtatem abſolvendi ſuos ſubditos Clericum ſæcularem percutientes, qui quidem cum ſint ab Epiſcopi juriſdictione exempti, ipſorum Prælatis ſubiiciuntur, etenim fere omnes Religioſorum Prælati habent privilegium abſolvendi ſuos ſubditos etiam ob enormem percuſſionem, ut ex præcedenti reſolutione conſtat ; nec ſunt audiendi qui aſſerunt, hujuſmodi delinquentes debere, vel ſaltem poſſe ab Epiſcopo abſolvi, quando injuria, vel percuſſio enormis non eſt, nam id intelligendum eſt dumtaxat de non exemptis, non vero de exemptis, qui proculdubio ſive intra, ſive extra Clauſtra percuſſerint, a proprio Prælato, privilegium habente, abſolvendi ſunt : prout habetur *in comp. privileg. V. abſolutio ordin. quoad Fratres §.* 7. *& ſeqq.* & expreſſe hoc tradit Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 12. ubi præter conceſſionem Innocentii IV. adducit privilegium a Clemente IV. conceſſum, non tantum Generalibus, & Provincialibus, ſed etiam Superioribus localibus. Poſſunt nihilominus ab Epiſcopo abſolvi de licentia Prælati Regularis, vel eo abſente, aut injuſte abſolutionem negante ; ut docet Sanchez *in ſum. tom.* 1.

lib.

Digitized by Google

lib. 4. *cap.* 39. Coton. *lib.* 2. *contr.*7. *cap.* 6. *num.* 192.

6. Regularis percutiens alterius Ordinis Regularem poteſt a proprio Provinciali abſolvi, præſente tamen Prælato Religioſi percuſſi, ut injuriam, & offenſam condonet, ac pœnam in ſatisfactionem definiat, ſicut colligitur *ex cap.cum illorum*, *§. Si vero Clauſtrales*, *de ſent. excom.* ubi Hoſtienſis, & Abbas aſſerunt, debere ſatisfactionem ſic intelligi, quod Prælatus illius, qui percuſſit, juramentum recipiet, & abſolvet, & ſaltem ſemel percutiet, ut ſervetur forma conſueta: Prælatus vero percuſſi ipſum percuſſorem verberabit, quia eidem ſatisfieri debet de injuria ſuo ſubdito irrogata. Monaſterium vero percuſſoris ſatisfacere pro percuſſore non tenetur, nam delictum perſonæ in detrimentum Monaſterii redundare non debet: *arg. cap. cum Venerabilis*, *§ intelleximus*, *de exceptionibus*: & notat Diana *p.*9.*tract.*4. *reſol.* 50. *§. ſed quid*. Si vero diſcordent Prælati in imponenda pœna, eligatur arbiter, qui cum ipſis judicium ferat: prout docent Palaus *tom.* 6. *diſp.* 3. *punct.* 23. *§.*4. *n.* 9. Diana *ut ſupra*, Cotonius *lib.* 2. *controv.*7. *cap.* 6. *n.* 195. liberum etiam eſt uni ex dictis Prælatis vicem ſuam alteri committere, ut notat Sayrus *lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 11.

7. Moniales quoque ab Ordinarii juriſdictione exemptæ ſe invicem percutientes, etiamſi percuſſio ſit enormis, a Superioribus Provincialibus, quibus ſubjectæ ſunt, vel ab aliis de eorum commiſſione, abſolvuntur: nam privilegia Regularibus conceſſa, Monialibus ſubditis communicantur: ut docet Pignatell. *tom.*7. *conſult.* 80. *nu.* 4. & expreſſe Sixtus IV. in Bulla aurea id indulget; & pro Monialibus S. Claræ repetit Leo X. conſt. incip. *Cum ſicut*, & Gregorius XIII. conſt. incip. *Ex benignæ Sedis*, & Sixtus V. conſt. incip. *Etſi Mendicantium* confirmarunt hujuſmodi privilegia F. F. Minorum de obſervantia, & Monialium S. Claræ, ac tertii Ordinis S. Franciſci, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus: prout in Bull. Rom. Cherub. *tom.* 1. & 2. videre licet.

8. Novitii pariter per dictos Prælatos, ratione Religionis, & juxta privilegia Ordinibus conceſſa, prout in Mari magno eorumdem reſpective, beneficium abſolutionis ab excommunicatione propter enormem percuſſionem in anno probationis incurſa, recipiunt: cum debito tamen, ut ſic abſoluti, a Religione, non emiſſa profeſſione, retrocedentes, teneantur ſe præſentare illi, qui alias de jure in ſæculo eos abſolvendi facultatem habebat, non ut abſolvantur, cum jam ſint abſoluti, ſed ne iterum eadem cenſura innodentur, ob inobedientiam non ſe præſentandi: ut conſtat *ex cap. Eos*, *qui de ſent. excommun. in* 6. *lib.* 5. *tit.* 11. & docent Sylveſt. *V. abſolutio* 5. *n.*9. Sorbus *V. Novitius tit. de Novit. abſol.* Idcirco Novitii ſic abſoluti ad ſæculum revertentes moneantur, ut ſe præſentent, nam privantur privilegio, qui eo abutuntur. Illi vero, qui ante Novitiatum in Canonem inciderunt, a dictis Prælatis abſolvi non poſſunt, ſed mitti debent ad quos ſpectat, vel ab eis facultatem obtinere, ut notat Sorbus *loc. cit.*, & *V. abſolutio extraordin. quoad Fratres a num.* 13. *verſ. quoad §.* 3. *eſt ſciendum*; & eſt ad præſcriptum decreti S. Congreg. Epiſcop. & Regul. ſub Clemente VIII. anno 1601. editi: ut docet Mattheuc. *Official. quoad excommun. Canon. num.* 62.

9. Poſſunt Prælati Provinciales ſuos ſubditos abſolvere a cenſuris a jure, vel ab homine, non ſolum generaliter, ſed etiam nominatim in genere, vel in ſpecie quomodolibet latis, & promulgatis; immo etiamſi præfati ſubditi declarati, ac denuntiari fuerint per legatos, aut Judices Apoſtolicos, vel ab Epiſcopis, etiam in caſibus ſibi ſpecialiter a Papa commiſſis, dictas cenſuras incurriſſe, ſervatis tamen tribus conditionibus: 1. quod abſolvendus antea a contumacia recedat; 2. ut ſatisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout poterit: & tandem ut Judicem, a quo excommunicatus eſt, ſaltem reddat certum

tum de obedientia ei, & Eccleſiæ reddita, & de abſolutione obtenta: idque conſtat ex privilegiis Clementis IV. Sixti IV. Leonis X. Martini V. & præcipue Eugenii IV. Bulla incip. *Injunctum nobis*, apud Cherub. *tom.* 1. & Pauli III. in indulto Societati Jeſu conceſſo: conſtit. incip. *Licet debitum*: apud eund. Cherub. *tom.* 1. ubi habentur hæc verba: *A quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, vel Sæcularibus ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, in genere, vel in ſpecie quomodolibet latis, promulgatis, & promulgandis*: quæ quidem privilegia per viam communicationis ad omnes Ordines Regulares extenduntur· ut docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 6. Miranda *tom.* 1. *q.* 75. *art.* 21. & alii per multi.

10. Provinciales virtute privilegiorum poſſunt abſolvere perſonas utriuſque ſexus ſibi ſubjectas ab excommunicatione contracta ob procuratum, & ſecutum abortum fætus animati, etiamſi de hujuſmodi crimine dictæ perſonæ in foro exteriori convictæ fuerint; nec obſtat quod Sixtus V. quantum ad hoc ea privilegia revocaverit, nec quod Gregorius XIV. ejus Succeſſor in ſua moderatoria Conſtitutione non revalidaverit; quia poſt ipſos Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. noſtra, aliaque Regularium privilegia motu proprio, ex certa ſcientia, & de poteſtatis plenitudine confirmarunt, ut dictum eſt *in* 1. *tract. cap.* 4. & 6. confirmatio enim cum præfatis clauſulis facta invalidum, & revocatum revalidat, necnon vim novæ conceſſionis habet: *ex cap.* 1 *de tranſact. cap. quoties, de pactis*, & *eſt comm. D.D. ſent.*

11. Poſſunt quoque prædicti toties, quoties ſuos ſubditos abſolvere, nedum a ſimonia in collatione Beneficii, Officii, Prælaturæ, & ingreſſu Religionis commiſſa, verum etiam ab excommunicatione, & ſuſpenſione ex ſimoniaca promotione ad Ordines contracta, quia licet Sixtus V. in ſua Bulla contra Simoniacos in Ordine, & male promotos omnia Regularium privilegia quoad abſolutionem hujuſmodi revocaverit, & Clemens VIII. dictas Sixti V. pœnas intactas reliquerit; poſtea tamen idem Clemens anno ſubſequenti 1597. conſt. incip. *Ratio Paſtoralis Officii*, apud Cherub. tom. 3. aliique Summi Pontifices, ut dictum eſt, Regularium privilegia cum clauſulis ſupra relatis confirmarunt, ac innovarunt. Cum igitur ante dictam revocationem poſſent præfati Regulares a prædictis caſibus ſuos ſubditos abſolvere, ex conceſſione Sixti IV. in ſuo Mari Magno; ubi habentur hæc verba: *In reliquis vero omnibus, etiam ſimoniæ pravitate qualitercumque irretitis, poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis, & diſpenſationis Beneficium impartiri*: ſequitur, quod etiam nunc poſt dictorum Summorum Pontificum confirmationem eadem auctoritate gaudent, & fruuntur: prout docent Portell. *v. Prælatus ad abſolvendum n.* 29. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 61. *a n.* 4. & *de Cenſ. diſp.* 31. *ſect.* 5. *num.* 40. Hieron. Roder. *in comp. reſol.* 3. *num.* 7. & alii.

12. Pari modo poſſunt Provinciales abſolvere Hoſpites ejuſdem Ordinis a prædictis cenſuris in foro conſcientiæ, etiamſi fuerint nominatim denunciati, & declarati illas cenſuras incurriſſe, ſervatis tamen illis conditionibus, de quibus ſupra *n.* 9. Conſtat primo ex privilegio Clementis IV. quod habetur *in Monum. Ord. conceſſ.* 318. & 319. ubi ſic loquitur Pontifex: *Necnon fratribus aliis ejuſdem Ordinis ad eos declinantibus undecumque, abſolutione, & diſpenſatione indigentibus*; quæ abſolutio non eſt differenda, ne propter dilationem periculum immineat animarum: conſtat ſecundo a ſimili ex quadam declaratione Concil. Trident. *ad cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *de Reformat.* apud Barboſam *in collect. nu.* 50. & docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. Martin. a S. Joſeph *de authorit. Provinciali nu.* 7. qui illam poteſtatem extendunt ad quaſcumque Cenſuras, non ſolum in Religione, ſed

ſed etiam in ſæculo contractas.

13. Poſſunt ſimiliter Provinciales ſuos ſubditos abſolvere a cenſuris in contemptum clavium incurſis, quando ſcilicet ipſi nolunt ſe ſubmittere poteſtati Eccleſiæ, putantes illam in ſuis præceptis eſſe intollerabilem, injuſtam, duram, & indiſcretam: juxta doctrinam D. Thom. 22. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. credunt tamen penes Eccleſiam reſidere poteſtatem ligandi, atque ſolvendi a CHRISTO Domino datam: conſtat ex privilegio Clementis IV. ſupra relato, ſed pro foro conſcientiæ tantum, ut docent Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 15. Portell. *v. Prælatus ad abſolvendum n.* 31. Lezana *tom.* 5. *in Mari Magno Carmelitarum n.* 570.

14. Probabile quoque eſt, quod poſſint dicti Prælati abſolvere ſuos ſubditos ex confidentia privilegiorum peccantes; id tamen intelligendum eſt, quando ſcilicet diſpendium animarum immineret, & non aliter, & tunc notificando ipſis pœnitentibus quod talis facultas eis amplius non valebit ad alia de cetero committenda ex ipſius facultatis confidentia; prout bene notat Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 16. referens privilegia Clementis IV. Boniſacii IX. & Eugenii IV. & admonens Prælatos Regulares, ne faciles ſint ad abſolvendos ſubditos ex privilegiorum confidentia peccantes, niſi ex negatione hujuſmodi abſolutionis periculum Animarum timeatur: tunc peccat quis ex confidentia privilegiorum, quando ex confidentia facultatum abſolvendi, & diſpenſandi a Summis Pontificibus Regularibus conceſſarum movetur ad committendum id, ad quod alias non moveretur; ita ut videndo ſibi facile remedium per tales facultates adeſſe, ſicut adeſt ad alia peccata non reſervata, certo non curet magis illa cavere, ac ſi reſervata non fuiſſent.

15. Prælati Provinciales abſolvere poſſunt in foro conſcientiæ ſuos ſubditos a ſuſpenſione a Divinis, ſi hæc procedat a delicto occulto ad forum contentioſum non deducto, juxta indultum Epiſcopis conceſſum a Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* quod quidem dictis Prælatis communicatur per S. Pium V. in Bulla incip. *Romani Pontificis circumſpecta*, apud Cherub. tom. 2. immo eos poſſunt etiam abſolvere in foro exteriori, quando dicta ſuſpenſio non eſt perpetua, & licet ſit perpetua, dummodo non ſit Summo Pontifici reſervata, prout evidenter deducitur *ex Cap. Nuper, de ſent. excom.* quia non infligitur ex natura ſua propter delictum prohibitum, ſed propter ſolam contumaciam, a qua cum Epiſcopi poſſint abſolvere ſuos ſubditos, conſequenter poſſunt Prælati Regulares ſuos abſolvere: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 14. & alii.

16. Poſſunt etiam Provinciales abſolvere Prælatos inferiores, ceteroſque ſubditos ſuos a cenſuris, aliiſque pœnis Papæ reſervatis, eo quod præſumptuoſe admiſerint Mulieres intra Clauſtra Conventuum, ſeu Monaſteriorum, ſive prætextu licentiarum contra Sancti Pii V. Conſtit. incip. *Regularium perſonarum*; relatam a Roder. *tom.* 1. *q.* 48. *art.* 1. ſive ad malum finem, nempe venereum, quemadmodum idem S. Pontifex declaravit in alia Conſtit. incip. *Decet Romanum Pontificem*, quæ eſt 6. apud Confectium fol. mihi 218. ab excommunicatione quoque Papæ reſervata incurſa a ſubditis utriuſque ſexus violantibus Clauſuram Monialium, ſive per ingreſſum, ſive per egreſſum, etiam ad malum finem, juxta Decretum Clementis VIII. anno 1601. editum; necnon ab aliis excommunicationibus, & ſuſpenſionibus Papæ reſervatis extra Bullam Cœnæ abſolvere ſuos ſubditos, & abſolvi facere valent; prout manifeſte conſtat ex pluribus Apoſtolicis privilegiis, præſertim ex recenſita Bulla Clementis IV. quæ incipit: *Virtute Conſpicuos*, inſerta in Mari Magno Sixti IV. apud Cherub. *tom.* 1. *Bull. Rom.*

17. Poteſtatem quoque habent Provinciales abſolvendi ſuos ſubditos utriuſque ſexus, etiam Novitios, ſed quoad iſtos cum conditionibus ſupra relatis *n.* 8.

non ſolum a præfatis cenſuris, ſed etiam ab illis in Bulla Cœnæ contentis, dummodo hæ ſint occultæ; exceptis tamen quinque, videlicet: *Hæreſi*, *ſchiſmate*, *falſificatione litterarum Apoſtolicarum*, *deportatione armorum ad infideles*, *&* *conſpiratione facta contra Papam*; quintus tamen caſus pro Prælatis Ordinis Minorum Obſervantium, & Reformatorum non manet reſervatus, ut conſtat ex Conſtitutionibus generalibus utrorumque *cap.* 7. habent enim dicti Prælati hujuſmodi poteſtatem ex vi ſui muneris, nedum jure Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap. Liceat*; verum etiam virtute plurium privilegiorum, non ſolum active, ſed etiam paſſive, & commiſſive; idque conſtat ex præcitata Conſtitutione Clementis IV. & ex alia S. Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*; item ex alia ejuſdem, quæ eſt 129. & incipit: *Dum ad Congregationem*, apud Cherub. tom. 2. & apud Confectium fol. 226. Nec obſtat dicere, quod S. Congregatio juſſu Urbani VIII. anno 1628. declaravit, Regulares in vim ſuorum privilegiorum abſolvere non poſſe a caſibus in Bulla Cœnæ contentis: quia tam prædicta, quam ſimiles aliæ declarationes Congregationis præfatæ debent intelligi reſpectu ſæcularium, non autem Regularium, ſi eorum delicta ſint occulta; nam in odioſis non comprehenduntur Regulares Prælati erga ſuos ſubditos, niſi in ſpecie hi exprimantur: ut docent communiter D.D. & præcipue Peyrinus *tom.* 1. *&* 3. *ad addit. ad Conſtit. Sixti IV. n.* 30. *&* 37. Roder. *tom.* 1. *q.* 61. *n.* 9. Bordon. *tom.* 1. *q.* 10. *reſol.* 2. Coriolan. *de caſib. reſerv. p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 2. vide etiam quæ dicta ſunt ſupra *tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 18. & infra *n.* 21.

18. Sub hæreſi excepta in præcedenti reſolutione non videtur comprehenſa excommunicatio lata contra ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes Hæreticorum libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſi hujuſmodi delinquentes in aliquam hæreſim formalem lapſi non fuerint, cum in tali caſu non poſſint revera dici hæretici, ſed ſolum de hæreſi ſuſpecti; prout cum communi docet Diana *p.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 55. quapropter licet hujuſmodi excommunicatio contra prædictos lata, ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, ab eadem tamen Provinciales Prælati ſuos ſubditos utriuſque ſexus, ac Novitios abſolvere valent, ſicut valent abſolvere eoſdem de hæreſi dumtaxat ſuſpectos: ut docent *comm. D. D.*

19. Poſſunt pariter Provinciales abſolvere ab illis quinque caſibus, ſupra *n.* 17. exceptis; nempe: *ab hæreſi*, *ſchiſmate*, *falſificatione litterarum Apoſtolicarum*, *deportatione armorum ad infideles*, *&* *conſpiratione facta contra Papam*; illos ſuos ſubditos utriuſque ſexus, ac Novitios, qui propter aliquod legitimum impedimentum perpetuum, vel diuturnum Sedem Apoſtolicam adire nequeunt; nam quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel ejus legatum, aut delegatum, niſi cum magna difficultate, & mora, poteſt pœnitens ab inferiore abſolvi, cum onere tamen comparendi coram Pontifice, vel legato perſonaliter, aut ſaltem per litteras, ceſſante impedimento: ut dicitur *in cap. Eos, qui de ſent. excommun. in* 6.; aliter reſervatio, quæ pro bono caritatis introducta eſt, contra caritatem vergeret, & poteſtas retinendi peccata, data, ut loquitur Apoſtolus, in ædificationem, eſſet in deſtructionem: hinc, quemadmodum ab Epiſcopis abſolvi poſſunt ipſorum ſubditi, qui prædicto impedimento perpetuo, vel diuturno gravis ætatis, infirmitatis, paupertatis, aut alio ſimili phyſico, vel morali laborant, propter quod iter agere non valent; ita ſimiliter Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum eadem facultate gaudent; alioquin Regulares pejoris conditionis eſſent Sæcularibus, quod certe noluit S. Pius V. qui ob illud inconveniens relatum in ſua Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*, apud Cherub. tom. 2. & Confect. fol. 226. conceſſit

Præ-

Prælatis Regularibus eamdem poteſtatem, quam Epiſcopi in ſuos ſubditos habent.

20. Probabilis eſt etiam opinio, quod Provinciales poſſint in foro conſcientiæ ſuos ſubditos utriuſque ſexus, etiam Novitios ab hæreſi occulta abſolvere, ut tenent plures D. D. & conſtat ex variis Apoſtolicis privilegiis, præcipue ex illo Societati Jeſu a Gregorio XIII. conceſſo, quo Generali ejuſdem indulgetur, ut a dicta hæreſi occulta ſubditos ſuos abſolvere poſſit, etiamſi in eamdem hi fuerint relapſi; prout habetur *in comp. privil. dictæ Societ. V. abſolutio*, *§.* 7. & refert Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.*21. *n.* 2. qui docet pariter, Gregorium IX. & Adrianum VI. F. F. Minoribus idem privilegium conceſſiſſe; & refert Baſſæus *V. Abbas num.* 8. aliudque privilegium ab Alexandro VI. Prælatis Ordinis Minorum conceſſum refertur a Caſarub. *in comp. privil. V. abſolutio Ordin. quoad Fratres §.* 18. & Filliuccius *tom.*1.*tract.* 8. *cap.* 10. *n.* 265. aſſerit ita anno 1617. fuiſſe in S. Pœnitentiaria reſponſum, quibus adhærent Peyrinus *tom.* 1. *in conſt.* 4, *Sixti IV. §.* 5. *n.* 20. Fragoſus *tom.*2. *lib.* 11. *diſp.* 24. *n.*151. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *part.* 3. *§.* 3. *n.* 1. Rodericus *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 10. & alii. Nec dictis videtur obſtare decretum Urbani VIII. die 17. Novembris 1628. editum, in quo ea hæreſis excipitur, nam ultraquamquod ibi reſtringitur facultas ſolum quoad Sæculares, non autem quoad Regulares, ut clare ex decreti verbis deducitur, & clarius infra in ſeq. reſol. demonſtrabitur; ceteri Romani Pontifices id non limitaverunt, neque quoad forum animæ rovocarunt.

21. Privilegia quoad abſolutiones Prælatis Regularibus conceſſa, per Bullam Cœnæ, aut alia decreta poſteriora minime revocantur, vel reſtringuntur, niſi quoad caſus publicos in eadem Bulla contentos, a ſuis ſubditis incurſos (*exceptis* 5. *ſupra n.* 16. *recenſitis*) & quoad nullos Monialium ſubditarum; bene tamen quoad omnes tam publicos, quam occultos Sæcularium: ratio eſt, quia Summi Pontifices quoad Sacramentum pœnitentiæ volunt, quod Regulares à Prælatis ſuis dependeant, ne huc, illucque pro abſolutione ire cogantur, quod eſt Religioni incommodum, & ipſis Religioſis valde perniciosum, ut dictum eſt *tract.* 1. *de revocat. privil. cap.* 6. *num.* 18. Revocatio igitur quæ habetur in Bulla Cœnæ intelligi debet pro Sæcularibus dumtaxat, qui ſcilicet faciunt corpus fidelium: cum Religioſi ſint pauci reſpectu eorum, & organa, quibus Pontifices ad illorum purgationem, & illuminationem utuntur, unde non videntur eos caſus reſervare, ſeu privilegia eorum revocare, præſertim quia id ſæpius iidem Pontifices ſive conceſſerunt, ſive declararunt: & Bulla Sixti V. & Clementis VIII. in ſuis derogatoriis appoſuerunt hanc clauſulam: *Niſi in eis, ideſt privilegiis, etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur*. Eadem interpretatio decretis S. Congregationis adhiberi poteſt ob eaſdem rationes, nempe ut reſervatio, ſeu prohibitio cadat in Regulares, non ut pœnitentes, ſed ut Confeſſarios, & in ordine ad Sæculares, quod de ſuis decretis declaraſſe Clementem VIII. & S. Congregationem, facto verbo cum ipſo, teſtis eſt Peregrinus *in compen. p.* 1. *V. abſolutio in ſchol. §.* 1. & tam de his, quam de declaratione Urbani VIII. colligitur ex eo, quod utræque loquuntur de caſibus Bullæ Cœnæ, & de reſervatis Epiſcopo eodem modo, ac tenore; unde cum de his non poſſint intelligi quoad Regulares, utpote qui reſervationi Epiſcoporum ſubjecti non ſunt, ita neque de illis, prout docent Bordonus *tom.* 1. *reſol.* 1. *num.* 17. Pelizar. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 1. Peyrinus *tom.* 1. *privil. Minim. in conſt.*4. *Sixti IV. §.*5. *n.* 10. Caſſaing.*tr.*3.*cap.*3.*prop.*2. & 3. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 10. & alii. Præterea Bulla Cœnæ prohibet tantum, ne quis prætextu privilegiorum a cenſuris in illa contentis præſumat abſolvere: prætextus autem eſt velamen, quo quis ſe moveri ſimulat ad aliquid agen-

agendum; ergo non excludit illud, quod efficitur legitima facultate interveniente, quæ in dictis caſibus proculdubio intervenit, cum Regulares habeant vera privilegia nullatenus revocata.

22. Prælati Provinciales poſſunt dictas conceſſiones extra Sacramentalem Confeſſionem erga perſonas ſubditas utriuſque ſexus, Novitios, Tertiarios, Donatos, ſeu Oblatos exercere, nam hujuſmodi facultates abſolute eiſdem ſunt conceſſæ abſque ulla reſtrictione, ergo cum ab illa præſcindant, poſſunt revera illas abſolute exercere: cum privilegium Principis ſit ample interpretandum, ut docent Roder. *tom.* 1. *q.* 17. *art.* 6. Diana 4. *p. Miſcellan. reſol.* 8. Portell. *V. Prælatus ad abſolvendum n.* 27. immo poſſunt eaſdem aliis delegare, quia habent reſpectu earum juriſdictionem Ordinariam, ut conſtat ex uſu illarum facultatum, & ex privilegiis Sixti IV. in favorem Minorum, Pauli III. in favorem Societatis Jeſu, Gregorii XIII. & aliorum Summorum Pontificum; hujuſmodi tamen delegatio exequi ſemper debet a delegato in actu Sacramentalis Confeſſionis, niſi in caſu, quo abſolutio detur pro foro externo tantum: Sanchez *lib.* 2. *de Matr. diſp.* 40. *n.* 14 Suarez. *tom.* 4. *de Relig. lib* 2. Joan. de la Cruz *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 8. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 46. & alii.

23. Poſſunt etiam dicti Prælati de jure communi ſibi tum intra, tum extra Religionem Confeſſarium licet non approbatum, idoneum tamen eligere, qui eoſdem a præfatis cenſuris abſolvat: ut conſtat *ex cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ. peccat.* ubi habetur: *Ne pro dilatione pænitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter ſui Superioris licentiam providum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem*; quæ quidem facultas talis eſt; ut quocumque ſtatuto, & diplomate Pontificio non poſſit auferri, etiam cum clauſula: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*, niſi dicti juris communis expreſſa derogatio fiat, quia hoc privilegium eſt in corpore juris inſertum, & ex conſequenti eſt jus commune, quod non revocatur, niſi ut dictum eſt: ita ſentiunt Layman *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 4. Fagundez *de præcep. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 15. Barboſa, Felinus, & alii apud Dianam *de dub. Regular. tract.* 2. *reſol.* 1. & 2.

CAP. VI.

De poteſtate diſpenſativa in genere, quam habent Provinciales erga ſuos Subditos.

1. POteſtas diſpenſativa in genere eſt facultas eximendi ſubditos ab obligatione legis, vel in toto, vel in parte; quæ quidem ſicut & Generalibus, ita & Provincialibus, non ſolum jure communi, & ex officio, ſed etiam ex pluribus privilegiis competit: natura autem diſpenſationis talis eſt, ut eam cognitio cauſæ præcedere debeat, ſine qua Prælati omnes, excepto Summo Pontifice, in materia gravi juris communis, aut præceptorum diſpenſantes, mortaliter peccant, & ſic diſpenſati tali diſpenſatione, utpote nulla, & invalida, uti nullatenus poſſunt: prout docent Navarr. *in Manual. cap.* 12. *num.* 76. Cajetan. *in ſumm. V. diſpenſatio*, Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 9. Miranda *tom.* 2. *q.* 30. *art.* 4. & alii.

2. Ad legitime diſpenſandum duo copulative requiruntur: nempe auctoritas in diſpenſante, & juſta cauſa in diſpenſando, quia cum Prælatus non ſit dominus poteſtatis ſpiritualis, ſed diſpenſator dumtaxat in ædificationem, & non in deſtructionem; idcirco non ad libitum, ſed prudenter cum cauſa rationabili poteſt ea uti; ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. Cauſæ autem diſpenſandi poſſunt eſſe ſeptem, videlicet: tempus, utilitas publica, & interdum privata petentis; qualitas, meritum, & ſcientia perſonæ; neceſſitas, pietas, eventus rei, qui facit, ut

Digitized by Google

at aliquando jus non ſit utile; ſcandalum multitudinis, & infamia ſupplicantis: de his, & aliis cauſis agit Sylveſter *V. Diſpenſatio q. 1. nu. 3.* De jure tamen communi quatuor ſunt, ſcilicet: Caritas chriſtiana, urgens neceſſitas, debita obedientia, & Reipublicæ utilitas; ſed cum una generali regula minime comprehendi poſſint, ideo in particularibus caſibus judicio viri prudentis ſunt perpendendæ: ita Roder. *tom. 1. q. 13. art. 15.*

3. Poteſtas Prælatorum Provincialium ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis utriuſque ſexus, Novitiis, & Tertiariis, ſeu Donatis collegialiter viventibus, eadem jure ordinario omnino eſt, ſicut illa, qua Epiſcopi erga ſuos ſubditos gaudent: non tantum ex conceſſione Tridentini *ſeſſ. 24. de Reformat. cap. Liceat*, ſed etiam ex variis privilegiis, quæ late congerit Bordonus *tom. 1. reſol.* 10. *n.* 4. præſertim ex Bulla S. Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis circumſpecta:* & ex alia ejuſdem incip. *Dum ad Congregationem Caſſinen.* apud Cherub. tom. 2. immo in multis ampliorem eſſe aſſerunt communiter D.D.; alias Regularium ſtatus, qui ab Epiſcoporum juriſdictione exemptus eſt, pejoris conditionis eſſet quam Sæcularium, ſi Prælati illorum hujuſmodi poteſtate non fruerentur.

4. Poſſunt Provinciales diſpenſare cum ſubditis in omnibus obſervantiis Regularibus, cauſa juſta interveniente, dummodo per ſtatuta id non prohibeatur, nullibi enim reperitur prohibitio generalis arcens dictos Prælatos, ne valeant in præfatis obſervantiis diſpenſare, ſeu declarare hoc, vel illud, hic, & nunc non obligare, cum id pro bono Regularium regimine frequenter neceſſarium ſit, & aperte ex jure Canonico deducitur: *cap. cum ad Monaſterium de ſtat. Monach.* In tribus tamen votis eſſentialibus ſtatus Religioſi, & in aliquibus ſpecialibus, quæ in nonnullis Religionibus fiunt, quale eſt votum Minimorum de non comedendis carnibus, votum Trinitariorum de redimendis captivis &c. quæ quidem vota ſunt hujuſmodi Religionibus eſſentialia, diſpenſare nullatenus poſſunt: hancque veritatem probat pro utraque aſſertione Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. de Regular. cap. 1.* in quo dicitur: *Superiores non poſſunt, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxare*: igitur cum exceptio firmet regulam in contrarium, ſecundum mentem Concilii poſſunt a Prælatis diſpenſari ea, quæ regularis vitæ ſubſtantiam non attingunt; ſi vero talis facultas per Ordinis ſtatuta limitata fuerit, tunc niſi in levioribus, & frequentioribus uti illa non poſſunt: ut docent Lezana *tom. 1. cap. 18. nu.* 54. Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap.* 12. Roder. *tom. 1. q. 26. art 1.* & alii.

5. Cum inferiores nequeant in legibus Superiorum diſpenſare, idcirco Provinciales de jure communi relaxare non valent pœnas ab eodem jure pro aliquibus delictis ſuis ſubditis impoſitas: poterunt tamen id facere virtute privilegiorum, quæ ſæpe, ut infra dicetur, hujuſmodi facultatem eiſdem tribuunt, prout cum aliis docet Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 1. dub.* 21. *n.* 10.

6. Cum Provinciales Prælati habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, idcirco ſicut Epiſcopi ex conceſſione Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 26. de Reform.* poſſunt etiam præfati diſpenſare cum ſuis ſubditis in foro conſcientiæ tantum in pœnis omnibus, & inhabilitatibus ad officia, & dignitates, ac privationibus officiorum, vocis activæ, & paſſivæ ab eiſdem ob quælibet delicta contractis, etiamſi hujuſmodi pœnæ ſint Papæ reſervatæ, dummodo ſint occultæ: ut conſtat ex Bulla 10. Sancti Pii V. incip. *Romani Pontificis*: apud Confectium fol. 226. & ex 129. ejuſdem, incip. *Dum ad Congregationem Caſſinen.* apud Cherub. tom. 2. Neque requiritur, ut nonnulli aſſerunt, quod ſubditi inhabiles, & privati ante rehabilitationem, ſeu dictarum pœnarum diſpenſationem condignam pœnitentiam peragant, ſi alias a Prælatis prudentia præditi, & regimini Religionis, vel Monaſterii utiles judicentur;

centui: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *nu.* 46. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *tract.* 8. *cap.* 12. *nu.* 9. Sanchez *in Decal. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 18. Adverte tamen, quod id non procedit in pœnitentiis a S. Pœnitentiaria impoſitis iis, qui ad eam pro hujuſmodi, vel ſimilibus diſpenſationibus recurrunt: pœnitentiæ enim a dicto ſacro Tribunali taxatæ debent a pœnitentibus fideliter impleri, nec poſſunt Superiores Regulares eaſdem relaxare, neque minuere, cum per Judicis ſententiam ſint impoſitæ: idem dicendum de pœnit. impoſitis a S. Officio.

7. Abſolutiones a cenſuris, pœniſque peccatorum, & diſpenſationes ſuper irregularitatibus, quæ a Provincialibus, aut Viſitatoribus communiter in viſitationibus ſolent dari, proſunt utique Religioſis in foro conſcientiæ, nedum pro ſolis cenſuris, & irregularitatibus dubiis, obliiis, & ignoranter incurſis, verum etiam pro certis, & ſibi notis, occultis tamen, nam ad præfatas revera ſe extendunt auctoritas, & privilegia Prælatorum, alias hujuſmodi conceſſiones Apoſtolicæ vanæ, inutiles, & fruſtraneæ eſſent: verba enim illa, quibus in dictis, & ſimilibus caſibus utuntur Prælati, ſcilicet: *Abſolvo vos*, vel *diſpenſo vobiſcum*, ſuum effectum proculdubio ſortiuntur; quia cum ſint favorabilia, non ſunt reſtringenda, ſed potius amplianda: ita tenent Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 93. Peyrinus *tom.* 2. *q.* 2. *cap.* 5. *nu.* 9. & 46. Roder. *tom.* 1. *q* 20. *art.* 26. Sanctor. *comment. in conſt. cap.* 2. *ſtat.* 14. *fol.* 99. Cotonius *lib.* 2. *contr.* 7. *cap.* 6. & alii.

8. Licet Generales reſidere poſſint ubicumque voluerint, prout neceſſitas exegerit in ſuis propriis diſtrictis; Miniſtri tamen Provinciales ſine eorum licentia, juxta facultatem a Tridentino conceſſam *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. *de Reformat.* & ſine juſta cauſa ultra duos, vel tres menſes ſive continuos, ſive interpolatos a ſuis Provinciis abeſſe non poſſunt, & tunc cum conditionibus relatis ſupra *cap.* 6. *de privil. Prælat. General. n.* 11. Ratio eſt, quia reſidentia perſonalis eſt de jure divino, ad quam cum eodem jure teneantur Superiores etiam locales, ſcilicet Priores, Guardiani, Rectores, aliique conſimiles Prælati, juxta decretum ſupradicti Concilii Tridentini; idcirco Provinciales cum Superioribus localibus diſpenſare ſuper ea non poſſunt, niſi cum cauſa, & conditionibus ſupra recenſitis: vide Sanctorum de Melfi *comment. in ſtat. Ordin. Minor. cap.* 3. *ſtat.* 66. *fol.* 532. Roder. *tom.* 1. *q.* 22. *art.* 5. Miranda *tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2.

9. Nequit Provincialis in foro externo cognoſcere de injuſtitia diſpenſationis a ſuo anteceſſore ſubdito ſine cauſa conceſſæ; ſolus enim Generalis punire poteſt tam diſpenſantem, quam diſpenſatum, qui hujuſmodi invalida diſpenſatione uſus eſt, ſi evidenter de defectu diſpenſationis conſtet; prout docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 293.

10. Poſſunt Provinciales non ſolum diſpenſare cum cauſa in omnibus præceptis a Superioribus localibus ſubditis impoſitis, niſi aliter per Religionis ſtatuta cautum ſit, ſed etiam minuere pœnas jure Ordinis taxatas pro delicto, de quo ipſi cognoſcere poſſunt; omnis enim Judex, qui poteſt de cauſa cognoſcere, poteſt etiam ex cauſa pœnam alterare, & commutare: ut cum communi docet Sanctorus, *in exam. pœnal. diſtrib. cap.* 2. *de pœnis in genere, q.* 5. *verſ. unum adnotaverim:* Pellizar. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 162.

11. Quando Provincialis confert aliquam Prælaturam, vel officium Subdito inhabili ob aliquod canonicum impedimentum Provinciali notum, cenſetur ſaltem in foro conſcientiæ cum illo diſpenſare; talis enim Prælaturæ, vel officii collatio eſt virtualis diſpenſatio, immo hujuſmodi diſpenſatio etiam pro foro externo poteſt prodeſſe, ſi pro eo foro probari poſſit, juſtam cauſam diſpenſandi, aliaque requiſita adfuiſſe: ut cum Suario, & Roderico docet Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 63. Miranda *tom.* 2. *q.* 2. *art.* 14.

12. Poſſunt denique Provinciales ſecum diſpen-

diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare, niſi jure ſpeciali Religionis id prohibeatur, nam actus juriſdictionis gratioſæ, qualis eſt hic, cum juri nulli repugnet, exerceri in ſe ipſum poteſt: ita Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 19. n. 7.* Bordon. *tom. 1. reſol.* 10. & alii.

C A P. VII.

De poteſtate, quam habent Provinciales, diſpenſandi cum ſuis Subditis ſuper irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis.

1. IRregularitas eſt Canonicum impedimentum, ſeu moralis inhabilitas Ordines ſuſcipiendi, vel ſuſceptos exercendi, ex ſolo jure proveniens: quæ quidem, moraliter loquendo, non poteſt proprie dici cenſura, nam hæc tollitur abſolutione, illa vero diſpenſatione, & licet aliquando imponatur per modum pœnæ, non ideo colligitur quod ſit cenſura: ut conſtat *ex cap. quærenti* 20. *de verb. ſignif.* ubi hæc quæſtio ab Innocentio III. expreſſe definitur. Dividitur in eam, quæ oritur ex defectu, & in eam, quæ oritur ex delicto; utraque tamen in varias ſpecies ſubdividitur. Notandum vero, 1. quod nulla irregularitas incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis. 2. quod in actibus, per quos irregularitas incurritur, datur parvitas materiæ. 3. quod ad incurrendam irregularitatem tam ex defectu, quam ex delicto, non requiritur ſcientia juris, quia, ut dictum eſt, non eſt pœna, ſed impedimentum, ſeu inhabilitas. 4. in dubio ſive juris, ſive facti nemo cenſendus eſt irregularis in aliis caſibus præter homicidium. 5. irregularitas non incurritur ex delicto, niſi per actum externum conſummatum, & mortalem: *ita comm. D. D.*

2. Irregularitas ex defectu dividitur in octo ſpecies. 1. eſt ex defectu animæ. 2. ex defectu corporis. 3. ex defectu natalium. 4. ex defectu ætatis; 5. ex defectu Sacramenti. 6. ex infamia juris. 7. ex defectu lenitatis. 8. ex defectu libertatis. Irregularitas ex delicto dividitur in ſex ſpecies. 1. eſt ex iteratione Baptiſmi, 2. ex violatione Cenſuræ, 3. ex indebita Ordinum ſuſceptione. 4. ex indebito Ordinum exercitio, 5. ex hæreſi, & infamia ob notoria crimina. 6. ex mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, de quibus omnibus conſule D.D.

3. Prælati Provinciales habent privilegia ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus, in utroque foro, ex delicto provenientibus, exceptis homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum, quæ quidem facultas etiam ad Novitios extenditur: ut conſtat ex Monumentis noſtri Ordinis Minorum 1. *impreſſ. fol.* 64. *&* 2. *impreſſ. fol.* 58. *conceſſ.* 252. *& fol.* 240. *conceſſ.* 57. & refertur in comp. privil. *v. diſpenſatio §.* 12. *&* 13. præterquam quod hæc concluſio conſtat ex verbis expreſſis Bullarum Sixti IV. & Clementis IV. docet etiam illam P. Antonius de Corduba in annotationibus ad dictum compendium *v. diſpenſatio §.* 24. Advertendum tamen, quod in dictis conceſſionibus datur expreſſe facultas ad diſpenſandum etiam cum Fratribus hoſpitibus, quod eſt maxima animadverſione dignum; non enim ſemper fit, aut ubique conceditur in privilegiis, quod Prælati unius Provinciæ, vel Conventus diſpenſare poſſint cum Fratribus alterius Provinciæ, vel Conventus, nam omnes facultates, quæ ad diſpenſandum communiter reperiuntur conceſſæ, dicunt ut Prælati diſpenſare poſſint cum Fratribus ſibi ſubditis, non vero cum hoſpitibus, qui proprie ipſorum ſubditi non ſunt; prout habetur in Bulla Pauli III. incip. *Licet debitum*, apud Cherub. *tom.* 1. & in Mari magno Minorum, quod incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, apud eumdem Cherub. *tom.* 1. Unuſquiſque tamen conſulat ſuæ Religionis Statuta; Minorum Obſervantium, & Reformatorum ex indulto

Apoſtolico concedunt Generalibus, Provincialibus, eorumque Vicariis facultatem diſpenſandi ſuper irregularitatibus præfatis, exceptis tantum illis, quæ ex homicidio voluntario, & bigamia proveniunt: vide *Tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 3.

4. Quamvis de jure communi, & ſecluſo privilegio, nullus præter Summum Pontificem poſſit diſpenſare ſuper irregularitate ex defectu natalium proveniente, Prælati tamen Provinciales cum ſuis ſubditis illegitime natis diſpenſare valent, nedum quoad Ordines ſuſcipiendos, cum per profeſſionem in Religione approbata hujuſmodi irregularitas tollatur, verum etiam quoad honores, gradus, officia, & dignitates (Generalatu ſemper excepto, ex Conſt. Innocentii XII. ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii) dummodo illos dignos judicaverint: prout conſtat ex Bulla Sixti IV. incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, & Julii II. incip. *Virtute conſpicuos*: apud Cherub. *tom.* 1. ubi conceditur Generalibus, Provincialibus, eorumque Vicariis prædicta facultas diſpenſandi cum illegitime natis ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, aut ex quovis alio illicito concubitu; & licet eadem facultas poſtea a Sixto V. eis ſublata fuerit per Bullam, quæ incipit: *Cum de omnibus Eccleſiaſticis*, quamque Gregorius XIV. poſtmodum ad terminos juris reduxerit, ordinando tamen, ut hujuſmodi diſpenſatio in Capitulo generali, vel provinciali fieret, anno vero 1591. idem Pontifex Conſt. incip. *Exponi Nobis*, Religioſis Societatis Jeſu, & Conſt. incip. *Illius, qui pro gregis*, apud Cherub. *tom.* 2. Religioſis Infirmis miniſtrantibus abſolute, & abſque ulla limitatione dictam facultatem conceſſit, qua per communicationem aliæ etiam Religiones fruuntur. Hoc tamen privilegio nos Religioſi Sancti Franciſci Strictioris Obſervantiæ non utimur, ſed ſervamus dictam Sixti V. Conſtitutionem, ut conſtat ex noſtris Statutis *cap.* 2. editis, & acceptatis a Patribus vocalibus *Reformatis* in Capitulo generali 1639. & in Congreg. generali 1642. Romæ celebratis.

5. Super irregularitatibus ex aliquo enormi corporis, vel etiam animi vitio, & defectu procedentibus, ex quibus oriri ſcandalum poſſet, nequeunt Provinciales diſpenſare, ſcilicet cum ſubditis amentibus, Furioſis, Epylepticis, Lunaticis, Energumenis, enormiter Leproſis, Abſtemiis, deformiter Gibboſis, notabiliter Claudis, cum pede ligneo ambulantibus, digito pollice carentibus, morbo gallico laborantibus, manus tremulas habentibus, ita ut ſit effuſionis periculum, cum omnino illitteratis, & ſimilibus, quamdiu durant tales defectus, hi enim nec congrue, nec decenter Altaris miniſterio poſſunt deſervire; neque cum Sodomitis notoriis, neque cum damnatis ad Triremes, poſtquam revertuntur, cum ſint infames infamia juris, adeoque irregulares, idque propter ſcandalum, quod ex eo poſſet oriri, quandoquidem a Triremibus ad Altare non datur regreſſus: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 16 *num.* 32. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 15. *part.* 4. *num.* 3. Candid. *tom.* 2. *diſquiſ.* 24. *art.* 61. *dub.* 7. Cum aliis tamen corpore vitiatis, dummodo non ſit notabilis indecentia, vel corporis defectus non ſit eſſentialis, vel grave ſcandalum non oriatur, diſpenſare valent, ut conſtat ex privilegiis relatis Sixti IV. in ſuo Mari magno, & Julii II. Bulla 26. incip. *Virtute conſpicuos*: quæ habetur in Bullar. Emmanuel Roder. aliiſque pluribus, & docent Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 11. *n.* 10. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 73. & alii.

6. Nequeunt Provinciales diſpenſare cum ſubditis, ut ipſi ad ſacros Ordines promoveantur abſque ætate legitima, de jure communi, innovato per Tridentinum, ad id requiſita, prout habetur expreſſe *in Clement. general. de ætate & qualit.* & in dicto Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 11. & 12. ubi omnia privilegia ad hoc conceſſa

revo-

revocantur, etiam pro foro conſcientiæ, ut conſtat *ex propoſ. 36.* inter damnatas ab Alexandro VII. vide ſupra *tract. 1. cap. 4. num. 13.* Nihilominus tamen poſſunt dicti Prælati abſolvere a ſuſpenſione, quæ ſuſcipiendo Ordines ante ætatem legitimam, contrahitur; idque conſtat ex privilegiis Pii II. Bulla incip. *Cum ex Sacrorum* & S. Pii V. Bulla incip. *Romani Pontificis circumſpecta*: apud Cherub. & Confectium in collect. litter. Apoſtol. *fol. 226.* hæc enim privilegia per Tridentinum non manent revocata, cum idem dumtaxat revocet ea, quæ concedebant ut Regulares ante ætatem ibi aſſignatam ordinari poſſent, non vero ea, in quibus conceditur Prælatis ſupradictis facultas ſuos ſubditos a dicta, aliiſque ſuſpenſionibus abſolvendi; ut docent Portell. *v. Ordin. ſuſpenſi* 14. Bordon. *tom. 1. reſol.* 11. *num.* 26. Roder. *tom. 1. q. 20. art.* 14. & alii.

7. Quamvis dicti Prælati cum ſubditis bigamis bigamia vera, vel interpretativa diſpenſare non valeant, ut ad Sacros Ordines promoveantur, in bigamia vero ſimilitudinaria tantum, quando quis ſcilicet poſt votum ſolemne Caſtitatis Matrimonium contraxit, & conſummavit, bene poſſunt diſpenſare; ut conſtat *ex cap. 1. Qui Clerici, & Voventes*, ubi id etiam docent Panormitanus, & Præpoſitus, quos refert Navarrus in Manuali *cap. 27. num.* 197. & alii communiter; & ex Bulla S. Pii V. ſupra relata; non prohibentur tamen bigami, quicumque illi ſint, Religionem ingredi, & profeſſionem emittere, cum id nullo jure prohibitum reperiatur: ita Roder. *tom. 1. q. 24. art. 2.* Miranda *tom. 2. q. 8. art. 2. concluſ. 3.* Barboſ. *allegat.* 49. *num.* 30. In caſu tamen occulto, & ad vitandum ſcandalum, probabile videtur quod Provinciales diſpenſare poſſint cum ſubditis ſuper irregularitate ex bigamia vera, vel interpretativa orta, ſed in foro conſcientiæ tantum, ex privilegio Martini V. quod refert Joann. de la Cruz *lib. 1. de ſtat. Relig. cap. 6. concl. 3.*

8. Non poſſunt Provinciales cum ſubditis diſpenſare ſuper irregularitatibus ortis ex infamia juris ſive ante, ſive poſt ingreſſum Religionis, de quibus vide ſupra *Tract. 2. cap. 7. num.* 8. ſolus enim Papa in his diſpenſat, prout docet Navarrus in Manuali *cap. 27. n.* 204. quam concluſionem probat *ex cap. Infames* cum Gloſſ. *de regul. jur. in 6.* ſuper irregularitate tamen, quæ oritur ex infamia facti, ſcilicet ex crimine aliquo gravi notorio, purgata jam per pœnitentiam, & vitæ emendationem, diſpenſare valent; nam res omnis per quaſcumque cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur, *ex cap. 1. de regul. jur. cap. teſtam. de teſtibus, & cap. Domino, diſtinct.* 50. & docent Navarr. *cap. 25. num. 75. & 76.* Roder. *tom. 1. q. 24. art. 6.* Portell. *v. diſpenſare num. 6.*

9. Poſſunt Epiſcopi ad Sacros Ordines promovere Regulares parum litteratos, qui per litteras teſtimoniales ſuorum Provincialium oſtendunt, ſe eſſe examinatos, & ſufficienter inſtructos: nec circa hanc rem debent Epiſcopi ſcrupulis premi, tute enim eoſdem deponere poſſunt, remittendo hujuſmodi cauſam ad proprios ipſorum Prælatos, eorumdem onerando conſcientias; nam cum Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 12. de Reformat.* non præcipiat, ut per ſeipſos examinent Ordinandos, quin vero poſſint id munus aliis committere, non eſt cur magis credant teſtimonio examinatoris Clerici de Religioſorum ſufficientia teſtificantis, quam litteris Regularium Prælatorum eadem de re fidem facientibus; adeſt præterea privilegium poſt Tridentinum Societati Jeſu a Gregorio XIII. conceſſum, per Bullam incip. *Pium, & utile*: apud Cherub. *tom. 2.* & quamvis hujuſmodi privilegii communicatio ceteris Regularibus ab eodem Pontifice prohibeatur; poſt ipſum tamen alii poſteriores Pontifices omnia privilegia confirmarunt, eorumque inter illos communicatio-

cationem abſque limitatione conceſſerunt; prout dictum eſt ſupra *tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 8.

10. Cum Neophytis recenter baptizatis poſſunt Provinciales diſpenſare, ut ad Sacros Ordines promoveantur poſt tempus ab eiſdem Prælatis aſſignandum, quod, ut Navarrus in Manual. *cap.* 27. *num.* 205. *ex cap. ſicut Neophytus diſt.* 48. inſinuare videtur, ſufficit ſpatium decem, vel quindecim annorum plus, minuſve, prout major, vel minor ſpes de eorum profectu habeatur; & cum jura determinatum tempus non præſcribant, poſſunt idcirco dicti Prælati ad officia, & Prælaturas Ordinis cum præfatis diſpenſare, ſeu potius declarare, poſt dilationem temporis aſſignati irregularitatem ceſſaſſe: prout docent Filliuccius *tract.* 19. *cap.* 7. *q.* 1. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 5. Toletus *lib.* 1. *cap.* 59. Reginald. *lib.* 30. *num.* 49. Secus dicendum de filiis hæreticorum pertinacium, qui uſque ad ſecundam generationem per viam maſculinam incluſive, & uſque ad primam per femineam cenſentur irregulares, & inhabiles ad ordines, officia, beneficia, & Prælaturas: *ex cap. Quicumque §. hæretici, & cap. ſtatutum de hæreticis in* 6. id tamen intelligendum eſt concurrentibus duabus ſequentibus conditionibus; prima, quod filii nati ſint poſtquam eorum parentes in hæreſim inciderunt, nam ſi antea nati ſint, nec umquam parentum erroribus adhæſerunt, non cenſentur irregulares; ſecunda, quod eorum parentes mortui ſint in delicto hæreſis: ut habetur in ſupra *cit. cap.* & docent Navarrus *conſil.* 27. *de hæret.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 14. Ugolin. *de irregul. cap.* 36. *§.* 2. *num.* 6. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4. & alii.

11. Quamvis ſuper irregularitate ex defectu lenitatis proveniente de jure communi ſolus Papa diſpenſet, ex privilegiis tamen apoſtolicis poſſunt etiam Provinciales cum ſuis ſubditis diſpenſare, prout conſtat ex Bullis ſupra *n.* 3. recenſitis, idcirco dicti Prælati cum his, qui in ſæculo judicando, aut juſtitiam miniſterialiter exequendo, ad mortem, vel membrorum mutilationem aliquem damnarunt, propter quod, effectu ſecuto, irregularitatem ex defectu lenitatis contraxerunt, diſpenſare valent: idem pariter dicendum de occiſione, vel mutilatione in bello juſto, & ſimilibus; hujuſmodi enim occiſiones, ſeu mutilationes nec injuſtæ, nec illicitæ ſunt: ita docent Cajetanus *in ſum V. irregularitas*, Navarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 240. Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 8. Candidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 61. *dub.* 19. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 13. *num.* 14. & alii communiter.

12. Poſſunt Provinciales cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate proveniente ex homicidio caſuali, vel facto cauſa defenſionis propriæ moderamen inculpatæ tutelæ pauliſper excedente, non ſolum pro foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo, ſive hujuſmodi homicidium ſit occultum, ſive ſit publicum; prout conſtat ex Bulla Eugenii IV. incip. *Cum Monaſteriorum*: Sixti IV. Bulla incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*; & Julii II. Bulla incip. *Virtute conſpicuos*; quæ habentur in Bullario Emanuel. Roder. Homicidium autem caſuale, de quo loquimur, eſt illud, quod non eſt directe, & per ſe volitum, ſed indirecte, & per accidens, ut quando quis dans operam rei illicitæ non ex intentione hominem occidit, vel dans operam rei licitæ debitam diligentiam non adhibuit; ex quo genere homicidii licet oriatur irregularitas, non tamen eſt illa, quæ per Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap. Liceat de Reformat.* excipitur, ibi enim excepta intelligitur dumtaxat illa, quæ ex homicidio voluntario directe volito procedit, non autem ex caſuali: ita docent Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 36. *num.* 47. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 13. *q.* 4. *n.* 15. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *de irregul. reſol.* 72. *in fine*. Avila *de cenſ. part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 2. *concl.* 2. & alii.

13. Non

Digitized by Google

13. Non poſſunt Provinciales diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper irregularitate ex homicidio voluntario, quantumvis occulto, proveniente, ſive in judicio nulla ratione probari poſſit, ſed neque in notitiam hominis venire; hujuſmodi enim irregularitas proculdubio eſt Summo Pontifici reſervata, non autem Epiſcopis, ut nonnulli falſo docuerunt, nam privilegia ante Tridentinum Regularibus ad id conceſſa, ab eodem, & a Pio IV. per Bullam, quæ incipit: *In Principis Apoſtolorum Sede*, in fine ejuſdem Tridentini poſita, revocata manent; idcirco licet Prælati Regulares eamdem, quam Epiſcopi facultatem habeant diſpenſandi ſuper omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, ut conſtat ex privilegiis ſupra relatis, & ex præfato Tridentino; attamen cum ibi *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap. Liceat*, pro Epiſcopis excipiatur ea, quæ ex homicidio voluntario occulto provenit, ſive hujuſmodi homicidium ſit omnino occultum, ſive ſit occultum dumtaxat in ordine ad judicium, nam lex Tridentini id non diſtinguit, idcirco aſſerendum eſt, pro Prælatis Regularibus eamdem pariter exceptam manere: ita fere *comm. D. D. & praxis Curiæ Romanæ*: vide etiam quæ diximus *Tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 13.

14. Super irregularitate proveniente ex mutilatione occulta, & non deducta ad forum contentioſum, utique poſſunt Provinciales cum ſuis ſubditis diſpenſare, nam licet ſolus Papa olim ſuper eadem diſpenſare poterat, prout habetur in jure *cap.* 1. *de Clericis pugnant. in duel.* & tradunt communiter D. D. poſtea tamen per Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* illa ſublata fuit, facultatem hujuſmodi Epiſcopis tribuendo; cum ibidem ſolum excipiatur irregularitas, quæ ex homicidio voluntario oritur, vel quæ ad forum contentioſum deducta eſt: propterea ſicut Epiſcopi ex Tridentino facultatem habent diſpenſandi in præfata irregularitate, ita pariter Prælati Provinciales eadem facultate fruuntur; cum, ut ſæpius dictum eſt, hi revera juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, & per conſequens poſſunt in ſuos ſubditos quicquid Epiſcopi valent in ſuos, non tantum virtute præfati Concilii, verum etiam ex privilegio S. Pii V. Bulla incip. *Romani Pontificis circumſpecta*, ſupra memorata: & docent Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 10. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 71. Portellus *V. diſpenſare num.* 7. Barboſa *part.* 2. *allegat.* 39. *num.* 49. & alii.

15. Cum ſubdito irregulari, qui fætus animati abortum procuravit, vel auxilium, aut conſilium dedit, effectu ſecuto, minime poſſunt Provinciales diſpenſare; cum per Sixtum V. Bulla incip. *Effrænatam*, omnia privilegia ad id conceſſa revocata ſint; & licet poſtmodum Gregorius XIV. Sixtinam Conſtitutionem moderavit per Bullam, quæ incipit: *Sedes Apoſtolica pia Mater*, apud Cherub. *tom.* 2. locorum Ordinariis, Prælatiſque Regularibus facultatem tribuens abſolvendi ſubditos ab excommunicatione ob hujuſmodi delictum contracta; ſuper irregularitate tamen ab eiſdem incurſa, nullam facultatem diſpenſandi præfatis conceſſit: vide *cap.* 7. *tract.* 2. *num.* 15.

16. Poſſunt Provinciales cum ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate ex delicto occultæ hæreſis, numquam tamen publicæ, orta, hujuſmodi enim facultatem ex nullo Canone, vel Conſtitutione Apoſtolica apparet fuiſſe revocatam; idcirco ſicut Epiſcopi, ut pluries dictum eſt, poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, ita ſimiliter dicti Prælati Regulares cum ſuis diſpenſare valent; prout conſtat *ex Trident. loc. cit. & ex privileg. ſupra relatis.*

17. Super irregularitate proveniente ex delicto occulto indebitæ ſuſceptionis, vel executionis Ordinum, a ſubditis ſuſpenſis, excommunicatis, vel ante legitimam ætatem, abſque licentia,

Digitized by Google

tia, per ſaltum, furtive, aut ab Epiſcopo ſuſpenſo ordinatis, contracta, poſſunt Provinciales diſpenſare in foro conſcientiæ tantum, idque conſtat *ex Trident. loc. cit.* & ex Bulla S. Pii V. *relata ſupra*; nec obſtat quod Sixtus V. in ſua Bulla incip. *Sanctum, & ſalutare*; apud Cherub. *tom.* 2. revocaverit privilegia Regularium ad abſolvendos ſubditos ſic male promotos, quia poſt ipſum Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. motu proprio, & ex certa ſcientia præfata privilegia confirmarunt, & innovarunt cum illa clauſula: *Dummodo decretis S. Concilii Tridentini non adverſentur*; cum autem conſtet ex eodem Tridentino *ſeſſ. 23. de Reformat. cap.* 12. ea privilegia dictis decretis non adverſari, idcirco tenendum eſt tamquam certum, Prælatos Provinciales prædicta facultate gaudere, non ſolum ad diſpenſandum in dicta irregularitate, ſed etiam in illa, quæ ex baptiſmi iteratione contrahitur, dummodo ea ſit occulta: ut docent Peyrinus *tom.* 1. *de privil.* in Conſtit. Julii II. *§.* 16. *num.* 31. Lezana *in Summ. p.* 1. *cap.* 14. *num.* 21. Dian. *p.* 3. *tract.* 2. *de dub. regul. reſol.* 85. Roder. *in comp. V. diſpenſatio*, *§.* 12. & alii.

18. Quamvis Prælati Provinciales quoad abſolutiones, ac diſpenſationes eamdem poteſtatem habeant in Novitios, quam in profeſſos, ut conſtat ex Mari magno Sixti IV. quod incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, apud Cherub. *tom.* 1. ea tamen nonniſi duabus concurrentibus conditionibus exercenda eſt. 1. quod Novitii propoſitum profitendi revera habeant; 2. quod ſi jam abſoluti, & diſpenſati ante profeſſionem ad ſæculum redeant, teneantur comparere coram eo, qui alias de jure eoſdem abſolvere, & diſpenſare poterat; idcirco monendi ſunt, ut ſe præſentent, ne iterum ob inobedientiam innodentur: *ex cap. Eos, qui de ſent. excomm. in* 6. & ita docent Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 15. Sorbus *V. Novitius*, Sylveſter, & alii.

19. Nequeunt Provinciales deputare ſimplices Confeſſarios, etiam ab Ordinario approbatos, ad aperiendas Sacræ Pœnitentiariæ litteras obſignatas, & directas Doctoribus in Theologia, vel jure Canonico, ſub quibus pariter comprehenduntur Lectores Theologiæ tum ſpeculativæ, tum moralis, per examen tamen juxta cujuſque Ordinis ſtatuta approbati, tametſi officio lectoris actu non fungantur; niſi hujuſmodi deputatio eiſdem Provincialibus a ſuis Generalibus expreſſe concedatur; prout conſtat ex privilegio a Gregorio XIII. Generali Societatis Jeſu conceſſo per Bullam, quæ incipit: *Exponi nobis feciſti*, relata in compendio ejuſdem Societatis *V. Confeſſarius §.* 3. quo privilegio ceteri Ordinum Regularium Generales per communicationem fruuntur; ſecus quicquid Provinciales egerint circa hoc, erit irritum, & inane ob auctoritatis defectum; ita docent Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 8. Joan. de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 9. *concluſ.* 4. Paſqualig. *tom.* 2. *deciſ.* 414. *num.* 2. & alii communiter. Generales vero, vel alii Prælati ab eis delegati tenentur hoc negotium viris litteratis, ac prudentibus committere, ut dictum eſt ſupra *tract.* 2. *cap.* 2. *de privil. Generalium num.* 13.

20. Singulis annis feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ poſſunt Provinciales in foro conſcientiæ cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper quacumque irregularitate, etiam ex bigamia vera, vel interpretativa, ac mutilatione membrorum proveniente; numquam tamen ex homicidio voluntario, & illicito, quomodocumque occulto, neque in procedentibus ex defectibus a Tridentino exceptis, cum omnia privilegia eidem adverſantia, ab eodem maneant revocata, ut ſupra ſæpius dictum eſt; hoc privilegio gaudent dicti Prælati ex conceſſione Pauli III. in Bulla, quæ incipit: *Exponi nobis*, quam per extenſum refert Emmanuel Roder. in ſuo Bullario *fol.* 817. & licet hujuſmodi conceſſio fuerit di-

recte

Digitized by Google

recte facta Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præſidentibus Congregationis S. Benedicti Hiſpaniarum, aliorum tamen Ordinum Prælati eadem utique per communicationem gaudent. Adverte, quod in dicta Bulla quamvis excipiantur caſus Bullæ Cœnæ, non propterea omnes excepti intelliguntur, ſed illi quinque dumtaxat enumerati ſupra *cap. 5. num. 16.* vide *cap. 7. num. 19. tract. 2.*

21. Poſſunt Provinciales præfatis omnibus facultatibus uti cum ſuis ſubditis extra Sacramentum pœnitentiæ, extra territorium, immo & cum abſentibus, cum diſpenſatio ad jurisdictionem contentioſam non pertineat; prout docent Portellus *V. diſpenſare in addit. num.* 10. Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſput.* 19. *num.* 7. *& ſeqq.* fruuntur præterea auctoritate activa, paſſiva, & commiſſiva ad diſpenſandum. Commiſſio tamen ſeu delegatio debet ſemper a delegato fieri in actu Sacramentalis Confeſſionis: ita Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *num.* 46. Miranda *tom.* 2. *q.* 19. *art.* 7. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. Roder. & alii, referentes privilegium Julii II. in Mari magno Minimorum; poſſunt denique in prædictis ſecum diſpenſare, cum non ſint deterioris conditionis quam ſubditi, nec exercere hujuſmodi juriſdictionem erga ſeipſos ulli juri repugnet; hæc enim nec contentioſa, neque Sacramentalis eſt, ſed ſolum poſtulat directionem ex prudenti judicio ad perpendendam diſpenſationis cauſæ juſtitiam: ita Sanchez *ſupra*, Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 10. Candidus *tom.* 2. *diſp.* 24. *art.* 59. *dub.* 7. Bellaſius *V. diſpenſare num.* 12. & alii.

CAP. VIII.

De facultate, quam habent Provinciales, irritandi, commutandi, & diſpenſandi Vota ſuorum Subditorum.

1. PRo hujus Capitis intelligentia, & ut paretur via ad ea, quæ in ſequentibus reſolutionibus ſunt dicenda, oportet in primis breviter præmittere, quod quinque modis tolli poteſt cujuslibet obligatio voti: 1. per interpretationem, quando ſcilicet per epicheijam, quæ eſt juſta legis interpretatio, evidenter conſtat votum non obligare: 2. per irritationem, quando Prælatus, ſive Superior, qui habet ſupra voventem poteſtatem dominativam, illud irritat, obligationemque ſui ſubditi tollit: 3. per commutationem, quando non ſimpliciter, & abſolute votum emiſſum diſpenſatur, ſed in aliud opus bonum æquale, ſive melius mutatur: 4. per diſpenſationem, quando juſta exiſtente cauſa Superior diſpenſat, eximendo ſubditum a voti obligatione: 5. per ceſſationem, quando votum eſt emiſſum ad aliquod determinatum tempus; quo completo, ſtatim illius obligatio extinguitur: ita *commun. D.D.*

2. Inter irritationem, commutationem, & diſpenſationem latiſſimum eſt diſcrimen, nam irritatio nullam cauſam requirit, ſed mera voluntas illius, qui ad irritandum facultate, & poteſtate pollet, ſufficit; cum facultas irritandi exerceatur per actum dominii, non vero juriſdictionis, prout intervenit in facultate commutandi, ac diſpenſandi; commutatio voti in æquale cauſam aliquam requirit, licet minorem quam diſpenſatio, ſi vero fiat in melius, tunc nulla requiritur cauſa; diſpenſatio autem, ſi ſine juſta cauſa fiat, invalida erit, quia per illam omnino votum tollitur. ipſiuſque obligatio relaxatur; cauſæ autem juſtæ ad diſpenſandum ſunt v. g. imperfectio actus, vel levitas, ac facilitas ad voven-

vendum, debilitas in vovente, vel difficultas notabilis in obſervatione voti, neceſſitas ejuſdem, bonum Eccleſiæ, utilitas communis, vel privata, & ſimiles ad diſpenſandum, etiamſi ſint dubiæ, ſufficiunt, prout docent Sanchez *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 2, Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 6. Sylveſt. *v. diſpenſatio q.* 14. *num.* 20. *in fine*.

3. Facultas præterea commutandi vota differt a facultate diſpenſandi in hoc, quod quando a jure conceſſa eſt ad commutandum, ad diſpenſandum etiam extenditur; quando vero ea provenit ex privilegio, facultatem non tribuit ad diſpenſandum: at e contrario, eo ipſo, quod per privilegium concedatur facultas diſpenſandi aliquod votum, etiam ad idem commutandum eadem extenditur: ita Suarez *de Relig. lib.* 6. *de Voto cap.* 12. *num.* 10. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 49. *num.* 28. & alii.

4. Poſſunt Provinciales jure ordinario, libere, & abſque ulla cauſa vota ſimplicia ſuorum Subditorum irritare, ita D. D. communiter cum D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. docente, quod nullus, qui alterius ſubditur poteſtati, poteſt valide votum emittere in illis; in quibus ipſi ſubjicitur, abſque ejus conſenſu, & voluntate; quod ſi contrarium fiat, poteſt qui ejuſmodi habet poteſtatem dominativam, tale votum irritare, nullumque reddere, quod expreſſe tenet Innocent. in cap. *Scriptura de Voto*. Poſſunt præterea vota interna irritare, ne videlicet emittantur cum obligatione peccati, quæ ſemel irritata amplius non convaleſcunt; nequeunt tamen irritare vota a Subditis emiſſa tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, ſecluſo privilegio, ut conſtat ex Cap. *Non ſolum de Regul. in* 6. in quo datur libertas ad ſtrictiorem, petita prius, licet non obtenta, a Superioribus licentia; prout cum communi docet Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 40. *num.* 74. *dub.* 13.

5. Habent Provinciales poteſtatem inhibendi ſubditis, ne abſque ipſorum licentia votum aliquod emittant, cum per hoc non intendant bonum perfectius impedire, ſed velint dumtaxat, ut id debite fiat; ſi autem ſubditi inhibitione Prælati poſtpoſita, in materia ſibi licita voveant, tenentur implere, nam Prælati prohibitio votum non annullat, cum multa prohibita fiant, quæ tamen facta tenent; Prælatus vero vota a Subditis ſic emiſſa irritare, vel ſuſpendere poteſt; ut docent Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 25. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 43. *num.* 10.

6. Vota de Superiorum licentia a Subditis emiſſa, vel ab eis confirmata, irritari ſine cauſa minime poſſunt: ſi vero ſine cauſa a Prælatis irritentur, ſubditi liberi manent ab obligatione voti, quia hujuſmodi irritatio eſt valida, quamvis illicita, atque adeo dicti Prælati mortaliter peccant; ut docet Roder. *tom.* 4. *ſumm. cap.* 136. *n.* 14. Poſſunt tamen ſucceſſores irritare vota Subditorum emiſſa de prædeceſſorum licentia, cum hæc minime tollat poteſtatem ſucceſſorum dominativam, quam ipſi ad irritandum habent, idque ſine cauſa efficere valent, ſi abſque eorum licentia vota fuerunt emiſſa, aut non confirmata; poſſunt quoque Subditi ſine ulla cauſa licite voti irritationem a ſuis Prælatis petere, utuntur enim jure ſuo, nam ſicut non peccant Prælati ſine cauſa irritantes, ita neque Subditi abſque ea irritationem petentes. Poſſunt præterea ſuperiores Prælati irritare vota ab inferioribus Prælatis confirmata, cum poteſtas major ab inferiori nec reſtringi, nec impediri nequeat: ita *D. D. commun.*

7. Poſſunt Provinciales irritare vota a Subditis emiſſa tempore ſubjectionis animo illa implendi tempore libertatis, v. g. extra Conventum, vel extra Religionem: ratio eſt, quia hujuſmodi vota cadunt ſub dominio Prælati, qui ſupra Subditum ſemper habet plenam poteſtatem ad irritandum vota, ita taliter ut ea irritata pro futuro tempore

amplius

amplius non convaleſcant, cum omnem vim ligandi amittant; quod etiam procedit in dubio, an tempore ſubjectionis, aut libertatis vota fuerint emiſſa: prout cum communi tenent Ledeſma *tom.* 2. *tract.* 19. *cap.* 7. *dub. ult.* Sanchez apud Dian. *p.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 15.

8. Vota Subditorum, qui ad aliquam dignitatem extra Ordinem ſunt aſſumpti, vel a Religione in perpetuum ejecti, nullatenus poſſunt a Provincialibus irritari, hi enim poteſtate dominativa carent in Subditos, qui extra eorum juriſdictionem jam ſunt poſiti; ſi vero ad Religionem reverſi fuerint ſubditi ejecti, tunc ipſorum vota irritari poterunt, quia iterum poteſtati dominativæ manent ſubjecti: vota tamen Religioſi ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum aſſumpti, qui poſtmodum dignitate ſe abdicavit, & ad Ordinem rediit, nec irritari, nec diſpenſari a Prælatis Regularibus poſſunt, nam is a poteſtate præfatorum dominativa manet perpetuo exemptus: eſt *comm. D. D. ſent.*

9. Quartum votum de redimendis captivis, de abſtinentia a carnibus &c. ſimul cum tribus ſolemnibus ab aliquibus Regularibus emiſſum, & a Summo Pontifice approbatum, per præfatos Prælatos irritari non poteſt; nam hujuſmodi votum eadem ferme ſolemnitate, qua alia tria, emittitur, & acceptatur, atque adeo pro voto ſolemni haberi debet. Poſſunt tamen a Prælatis irrirari vota a ſubditis emiſſa de vitandis peccatis contra præcepta Decalogi, vel Eccleſiæ, vel Regulæ, de exequendis conſiliis Evangelicis, excepto ſemper voto aſſumendi ſtrictiorem Religionem: ratio eſt, quia voluntas ſubditorum in ſuſcipiendis novis obligationibus debet eſſe perfecte dependens a mera voluntate Prælatorum, qui quidem irritando prædicta, & ſimilia vota tollunt dumtaxat majorem obligationem, quam ſubditi de illis ſervandis ſibi impoſuerunt; prout docent Palaus *de Voto diſp.* 2. *part.* 8. *num.* 2. Fagund. *in* 2. *præcep. Decal. lib.* 2. *cap.* 34. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 14. *num.* 2. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 54. & alii.

10. Nequeunt dicti Prælati irritare Novitiorum vota, ſive in ſæculo, ſive in anno probationis emiſſa, cum hi poteſtati illorum dominativæ nondum ſint ſubjecti, niſi Prælatis, vel Magiſtris conſentientibus vota emiſerint, tunc enim utrique ea irritare poterunt. Quando autem emiſſa vota ſunt perſonalia impedientia Religionis obſequia, poſſunt a Prælatis ſuſpendi, & ita ſuſpenſa non-obligant; ſi vero vota non impediant, aut ſint realia, v. g. de elargienda eleemoſyna de propria ſubſtantia, ſuſpendi minime poſſunt, quia Prælati ſuper his poteſtate dominativa carent. In profeſſione tamen omnia vota Novitiorum expirant: prout docent *commun. D. D.* cum D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 1. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *de Voto cap.* 7. *num.* 11. Navar. *in Manual. cap.* 12. *num.* 65. & alii.

11. Poteſt irritatio, vel commutatio, aut diſpenſatio fieri a Prælatis extra Confeſſionem Sacramentalem, nam privilegia ad illam non reſtringunt, ubi enim lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus; excipiuntur tamen peculiares caſus concernentes facultates, ſeu litteras Sacræ Pœnitentiariæ, aliique expreſſe requirentes executionem in foro Pœnitentiali. Poſſunt præterea dicti Prælati hujuſmodi facultatem aliis delegare: ita Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 43. *a num.* 16. *&* *cap.* 39. *num.* 12. *&* *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 34. *num.* 29. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de Voto*, & alii.

12. Prælati Provinciales, qui revera habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem, omnia ſubditorum vota ſimplicia commutare, ac diſpenſare valent, etiam ad Religionem ſtrictiorem tranſeundi, dummodo juſta cauſa interveniat, cum hujuſmodi votum non ſit ſimpliciter Religionis, ſed ſtrictioris dum-

dumtaxat: ut cum Navarro, & Soto docet Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 42. *num.* 2. & licet non poſſint vota peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ commutare, vel diſpenſare, niſi in caſibus, in quibus Epiſcopi cum ſuis ſubditis id facere poſſunt, nihilominus ea irritare valent, aut ex cauſa ſuſpendere, negando ſubditis licentiam peregrinandi; etenim irritandi, & diſpenſandi poteſtas eſt inter ſe diſtincta, nec una alteram impedit; prout tenent Miranda *tom.* 2. *q.* 32. *art.* 1. *concluſ.* 3. Portell. *v. Voti diſpenſatio num.* 42. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de Voto cap.* 10. *n.* 17. & alii.

13. Non requiritur, ut opera, in quæ vota commutantur, ſint omnino, & mathematice æqualia, cum ſufficiat æqualitas viri prudentis judicio, ſecluſa tamen fraude, & ignorantia culpabili, præſertim ſi virtute privilegii commutatio fiat. In diſpenſatione vero, ſi dubitetur de cauſa juſta, tunc conſcientiæ ſecuritati conſulitur, ſi aliquod leve onus injungatur, ſicut in Pontificiis diſpenſationibus ſæpiſſime fit; idcirco tutius ſemper eſt partim uti diſpenſatione, & partim commutatione, cum difficilius ſit cognoſcere, an interveniat juſta cauſa ad diſpenſandum, quam ad commutandum, nam ad diſpenſandum requiritur ſemper major cauſa quam ad commutandum, ut dictum eſt *num.* 2. in utroque enim prudentia requiritur: ita Sylveſt. *v. Votum* 4. *q.* 8. Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 12. *num.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 11. *q.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 7. & alii.

14. Omnia vota Novitiorum, Oblatorum, & Tertiariorum poſſunt a dictis Prælatis diſpenſari, vel commutari; prout conſtat tum ex poteſtate ſpirituali, quam in illos habent, tum etiam ex privilegio Eugenii IV. Ciſtercienſibus elargito, per Bullam, quæ incip. *Etſi quaslibet*; relatam a Caſarub. *in compendio privil. V. diſpenſatio num.* 27. quo per communicationem omnes alii Regulares fruuntur, & præterea idem extenditur ad vota peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ, voto Religionis dumtaxat excepto; notandum tamen, quod ibi ſolum loquitur de Oblatis, Donatis, ſeu Tertiariis commenſalibus ſub cura, & obedientia Prælatorum Regularium degentibus: ut docent Navarr. *cap.* 12. *num.* 65. Sanchez *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 43. la Cruz *in Epiſt. lib.* 1. *dub.* 20. *concluſ.* 3. Roder. *tom.* 1. *q.* 25. *art.* 8.

15. Poſſunt Provinciales irritare, commutare, ac diſpenſare vota ſuorum ſubditorum juramento firmata, nec non juramenta promiſſoria in honorem Dei facta, quæ revera ſunt quaſi quædam vota, non enim ſunt diſtinctæ ſpeciei; & ſicut per privilegia poſſunt tollere votum, quod eſt principale, a fortiori poterunt tollere juramentum, quod eſt acceſſorium: idem dic de juramentis in favorem tertii factis de rebus, de quibus ſubditi nequeunt diſponere; ſecus autem de quibus diſponere valide, ac licite poſſunt, nam ſuper illis irritatio, aut commutatio, vel diſpenſatio locum non habent in alterius præjudicium: prout cum communi affirmant Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 53. Suarez *lib.* 6. *de Voto. cap.* 14. *num.* 14.

16. Cum in commutatione, & præcipue in diſpenſatione votorum requiratur cognitio cauſæ, ad hoc ut utraque valide, ac licite fiat, idcirco oportet, ut Superior diſpenſans, ſeu commutans ſubditorum vota, præcognoſcat quænam illa ſint; nam ſi deficiat voti cognitio, neceſſario deficiet cognitio cauſæ ad commutandum, vel diſpenſandum requiſitæ; quapropter non ſufficit, ſi Prælatus dicat ſubdito: *Diſpenſo tecum in omnibus votis ſimplicibus quæ emiſiſti*; vel *Commuto omnia tua vota in alia pietatis opera*; ignorans quænam ſint illa vota. Secus autem dicendum in votorum irritatione, in qua non requiritur voti cognitio, cum ad irritandum vota non requiratur cauſa, ſine qua poteſt Prælatus dicere ſubdito:

to: *Irrito omnia vota tua, quæ emiſiſti, & quæ irritare poſſum*: excipitur tamen votum ab ipſo Prælato confirmatum, vel de ipſius licentia emiſſum, juxta ſupradicta *num. 6.* ita cum comm. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 16. num. 14.*

17. Quando pro exoneratione conſcientiæ ſubditi ſufficit votum commutare, illud nequit a Prælato diſpenſari, niſi in caſu, quo ſubditus plura emiſerit vota, pluribuſque obligationibus ligatus exiſtat, quibus recte ſatisfacere minime poſſit, ac proinde probabiliter timeat ruinam ipſius: ita Roder. *in ſum. p. 2. cap. 100. num. 4.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 17. num. 18.*

18. Poteſt ſubditus abſque auctoritate Prælati commutare votum ſuum in evidenter melius, & tunc poteſt id fieri ſine ulla cauſa; excipe, niſi a Summo Pontifice prohibeatur, quemadmodum aliquando ab eodem prohibetur tranſitus a laxiori ad ſtrictiorem Religionem abſque Prælati licentia: commutare tamen votum in æquale non poteſt ſubditus ſine cauſa, ac Prælati licentia, alias non habebit rationem virtutis, & honeſtatis hujuſmodi commutatio; & multo magis requiritur cauſa, & licentia Prælati, immo & privilegium ad commutandum votum in minus æquale; ut conſtat *ex cap. Pervenit de jurejur.* & docent Corduba *in Summ. q. 49.* Suarez *de voto cap. 19. num. 3.* & alii.

19. Cum poteſtas diſpenſandi ſit ample interpretanda, ut late probat Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 2.* idcirco quando Prælatus de hujuſmodi poteſtate dubitat, poteſt diſpenſare cum ſubdito, adhibitis prius diligentia, & conſilio; quando vero dubium circa veram, & juſtam cauſam diſpenſandi verſatur, tunc mortaliter Prælatus peccat, cum abſque examine ejuſdem temere diſpenſat, diſpenſatus tamen manet tutus in conſcientia; quod ſi moralem diligentiam adhibeat, & adhuc maneat dubius, poterit licite diſpenſare, deponendo dubium, in quo credendum eſt, Eccleſiam piam matrem id concedere: ita Sylveſt. *V. Diſpenſatio q. 14. num. 20. in fine.* Clavis Regia *lib. 4. cap. 2. num. 25.* Sa *V. votum n. 20.* & alii.

20. Quamvis ad diſpenſandum, vel commutandum vota non præſcribantur certa verba, id tamen fieri ſemper debet a Prælatis verbis clare ſignificantibus, quod agere intendunt; verba autem in ſignificatione propria, & communi accepta ſunt hæc: Si cauſa expoſita vera eſt, ſeu ſi vera ſunt expoſita, diſpenſo tecum in hoc, vel illo voto; vel commuto hoc, vel illud votum a te emiſſum in hæc, aut illa opera pietatis &c.

21. Poſſunt Provinciales de jure communi, & ex privilegiis diſpenſare in omnibus præceptis Eccleſiaſticis, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis, juſta interveniente cauſa; ut in jejuniis, in divino Officio, in ſervitio Chori, ut in die feſto laborent, & ſimilibus, idque conſtat ex privilgiis Eugenii IV. Sixti IV. Julii II. & præcipue S. Pii V. Bulla incip. *Romani Pontificis circumſpecta*; apud Cherub. *tom. 2.* in qua conceſſio facta Epiſcopis a Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* extenditur ad Prælatos Ordinis Prædicatorum, & per communicationem etiam ad aliorum Ordinum Prælatos; cum enim Epiſcopi ex vi dictæ conceſſionis poſſint inſtante neceſſitate ſubditos ſuos in præfatis diſpenſare, conſequenter poterunt Prælati Regulares cum ſuis eadem facultate uti: ita docent Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 12. num. 14. & 17.* Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 55.* Bordonus *tom. 1. reſol. 10. n. 6. & reſol. 18. n. 7.* Fragoſ. *p. 2. lib. 11. diſp. 24. ſ. 7. & 15.* & alii: vide etiam ſupra *cap. 6. n. 4.*

22. Poſſunt Provinciales deputare ſubditos Confeſſarios ab Ordinario approbatos, ut ad petendum licite debitum conjugale poſſint diſpenſare cum conjugibus, qui poſt contractum matrimonium inceſtum commiſerunt uſque ad ſecundum gradum conſangui-

nitatis, vel affinitatis incluſive, tam ex cognatione ſpirituali, quam ex carnali provenientem, & cum illis, qui poſt emiſſum votum caſtitatis matrimonium abſque diſpenſatione contraxerunt, vel poſt contractum matrimonium caſtitatem voverunt, eo modo, quo dictum eſt ſupra *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. in Generalium facultatibus; idque conſtat ex pluribus privilegiis relatis a Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 6. *num.* 23. Roder. Tambur. Diana, & alii communiter, & hujuſmodi facultas non expirat mortuo, vel amoto Provinciali ab officio, & licet nonnulli aſſerant, prædictam Provincialis deputationem non requiri, contrarium eſt verius, ut conſtat ex conceſſione S. Pii V. quam refert Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 1. & 2. Anacletus Reinfeſtuel *tract.* 6. *diſt.* 3. *q.* 4. *num.* 48. Adverte, quod etiamſi dictæ conceſſiones fuiſſent vivæ vocis oraculo factæ, ſicut eſt illa S. Pii V. attamen, quia ante revocationem oraculorum erant jam effectum ſuum ſortitæ, idcirco nullo modo revocatæ remanent, prout conſtat ex Bulla Gregorii XV. oraculorum revocatoria, incip. *Romanus Pontifex:* in calce §. 1.

TRACTATUS IV.

De Privilegiis Superiorum Localium.

CAPUT I.

De poteſtate in genere, & directiva Superiorum Localium.

1. Quod Superiores Locales, nempe Priores, Guardiani, Rectores, & conſimiles ſint veri Prælati, jam dictum eſt ſupra *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. & *ſeqq.* & eſt communis D. D. opinio; hi enim habent curam Animarum cum poteſtate, & juriſdictione Ordinaria in utroque foro erga ſubditos, quæ quidem dimanat ex proprio officio, & beneficio Legis, vel ex indulto Apoſtolico eis in perpetuum conceſſo, aut ab electione multorum in Domino legitime congregatorum; qui proculdubio jus, ac poteſtatem habent eligendi Superiorem, a quo regantur, & cui pariter obedire teneantur; utroque enim modo fit, & attenditur Ordinaria poteſtas, quæ ad conſtituendum verum Prælatum ſufficiens, ac neceſſaria eſt; prout conſtat *ex cap. Decernimus de Jud.* & Gloſſ. *v. Eccleſiæ Præl. cap. final. de pœnit. & remiſſ.* & docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. Peyrinus *tom.* 2. *de Prælat. q.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 72. Rodericus *in compend. reſol.* 114. *num.* 12. & alii communiter ſine controverſia.

2. Habent Prælati locales tantam in ſuis Conventibus poteſtatem, quantum habent Provinciales in ſuis Provinciis, & Generalis in univerſo Ordine, niſi eiſdem hujuſmodi poteſtas limitata fuerit; prout legitur *in comp. privil. V. Guardianus*, & tenent Corduba *q.* 4. *in cap.* 8. *regulæ Minor.* Sylveſt.

Digitized by Google

Sylveſt. *V. Prælatus* §. 2. Roder. *tom.* 1. *q.* 12. *art.* 6. Miranda *tom.* 2. *q.* 19. *art.* 1.; quæ quidem non ſolum eſt dominativa, ſed etiam directiva, coactiva, abſolutiva, diſpenſativa, & quaſi Epiſcopalis, & licet ſit minor intenſive, & extenſive, quam illa quæ in Prælatis Provincialibus reperitur, tanta tamen, quanta pro gubernatione, ſeu directione ſuorum Monaſteriorum, vel Conventuum neceſſaria eſt, niſi in aliquibus expreſſe prohibitionem habeant a Prælatis majoribus, quibus ſubjiciuntur, vel a Generalibus conſtitutionibus, quibus ſubordinantur: ita Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 6. *& ſeqq.* Baſſæus *V. Prælatus num.* 2. Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 66. *num.* 6. & alii commun.

3. Quamvis Prælati Conventuales, ſeu Locales per ſe ſoli de jure communi nequeant condere leges perpetuas, immo neque de ſui Capituli, ſeu diſcretorii conſenſu, *ut docent commun. D. D.* poſſunt tamen ex juſta cauſa ſubditis ſuis præcepta imponere, ipſoſque excommunicare ſive in communi, ſive in particulari durante tempore officii, ut docet Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 22. *&* 90. & quod in noſtro Ordine Minorum idipſum poſſint facere Guardiani, conſtat ex Capitulo Generali Salmaticenſe anno 1553. celebrato ſub Julio III. relato a Gubernatis in Orbe Seraph. *tom.* 3. *fol.* 323. *in fine cap.* 7. per hæc verba: *Dogmatizantes etiam, quod Ordinis Prælati, in quorum numero cenſendi ſunt Guardiani, non poſſint ligare ſubditos cenſuris Eccleſiaſticis, eoſque excommunicare, actibus legitimis ſint privi*: peccant tamen graviter Superiores excommunicationem ferentes, non ſervata juris forma, ſcilicet quod præcedat trina monitio &c. prout dictum eſt ſupra *tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. *&* 3. *&* *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. *&* 3. excommunicatio vero valida erit, dummodo præcedat aliqua monitio; ut tenent Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 22. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 3. *ſect.* 13. Suſpendere tamen, vel interdicere ſubditos non eſt eis conceſſum, quia id Prælatis majoribus dumtaxat competit.

4. Peccant mortaliter dicti Prælati, ſi ſine gravi cauſa imponant ſubditis præcepta ſub mortali obligantia, abutuntur enim poteſtate eis data non in deſtructionem, & perniciem, ſed in ædificationem ſubditorum ſuorum; non ſint igitur faciles in illis imponendis etiam pro materia gravi, neque frequenter, cum ſic magis contemnantur, quam formidentur: ita Baſſæus *V. Prælatus num.* 12. Girag. *p.* 3. *dub.* 50. *num.* 300.

5. Nequeunt Prælati actus pure internos ſubditis præcipere, bene tamen mixte internos, nam tunc actus interni per accidens cum externis imperantur, neque poſſunt ſuis præceptis ſubditos obligare, ut ſe exponant probabili vitæ periculo, materiæ præceptæ per ſe non annexo; quando autem hujuſmodi periculum annexum eſt, ut tempore peſtis, tunc deficientibus Parochis, aliiſque Clericis, qui bono ſpirituali fidelium peſte laborantium occurrant, tenentur Prælati Ordinum Mendicantium mittere Subditos ad loca Diœceſis peſte infecta, ut fidelibus in ſpiritualibus ſuccurrant; prout cum D. Thom. & aliis docent Delbene *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3. *ſect.* 2. *num.* 52. Baſſæus *V. Prælatus num.* 5. 6. *&* 13. Pellizar. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 30.

6. Præceptum Superioris Localis impoſitum ſubdito per verba ambigue imperativa non obligat ſub mortali, niſi eo modo, quo obligant Regula, vel Religionis ſtatuta, aut etiam conſuetudines: quod ſi Prælatus aliud intendat, debet id expreſſe notificare; ut ait Peyrinus *de ſubdito q.* 1. *cap.* 5. §. 4. *dict.* 1. Quando autem inter Superiorem, & ſubditum varietas opinionum verſatur, probabilius eſt ſubditum teneri obedire, ſuam opinionem probabilem relinquendo, ac probabilem Superioris ſequendo, quia tenetur obedire, quoties poteſt ſine pec-

 cato,

cato, ut in tali caſu ſupponimus, cum Superior habeat jus præcipiendi quod licitum, & honeſtum eſt: ita Salas *in* 1. 2. *tract.* 8. *diſp. unica*, *ſect.* 8. *num.* 6. Thom. Hurthado *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 193. Diana & alii.

7. Non poteſt Superior Localis ſubdito imponere præceptum, ex quo poſſit oriri ſcandalum, neque in tali caſu tenetur ei ſubditus obedire, ut docet Peyrinus *de ſubdito q.* 1. *cap.* 7. poteſt tamen ſuo præcepto, immo & cenſuris ſubditum obligare, etiam cum juramento, ut detegat quidquid ſcit, vel credit probabiliter ab aliis Religioſis committi contra regulam, vel ſtatuta Ordinis, aut leges Eccleſiaſticas, cum in hoc limites ſuæ juriſdictionis non excedat; prout cum Roderico docet Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *diſp.* 21. *q.* 3. *num.* 1.

8. Cum Superiores Conventuales habeant jus applicandi omnia ſubditorum ſacrificia, ut oneribus, & obligationibus Monaſterii, ſeu Conventus ſatisfacere valeant, idcirco ſi ſubditi renuant ſine juſta cauſa celebrare, vel ſacrificia juxta eorum intentionem applicare; poſſunt ſubditis, etiam ſub pœna excommunicationis, non tamen reſervatæ, præcipere ut quotidie ad intentionem ipſorum Superiorum celebrent; id enim quod præcipitur, eſt de re licita, & juſta, bonum commune Religionis concernens: ita cum aliis Hurthado *tract.* 2. *cap.* 2. *reſol.* 3. *num.* 26.

9. Nequeunt præfati Superiores licentiam concedere ingrediendi clauſuram Monialium Regularibus ſubjectarum, niſi hujuſmodi facultas a Generalibus, vel Provincialibus eiſdem fuerit commiſſa; Locales enim talem auctoritatem a jure non habent, cum Superiores Monialium non ſint: ſoli igitur Generales, vel Provinciales, aut alii, quibus committere voluerint, licentiam concedere valent, qui in Moniales ſibi ſubjectas, eamdem auctoritatem, ac poteſtatem ſicut in Fratres exercent, viſitando, corrigendo, ligando, atque ſolvendo; ut bene notat Sanctorus *Comment. in ſtat. Ord. Min. cap.* 11. *ſtatut.* 7. *fol.* 596. *q.* 1. *in fine*. Confectius *cap.* 6. *de Monaſt. Monial. non ingred. fol. mihi* 452.

10. Non poſſunt Conventuales Superiores per ſe ſoli procedere, vel diſponere de rebus, quæ de jure ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinent, niſi prius Capituli conſenſus accedat; ut conſtat ex cap. *Quod quibuſdam*. Secus quicquid geſtum fuerit invalidum erit, & abſque loci præjudicio. Poſſunt tamen, immo debent de ſuperfluis Monaſterii eleemoſynas pauperibus elargiri; & ſi ſuperflua non ſint, poſſunt moderatas facere judicio viri prudentis: conſule D. D. qui de re tractant, præſertim Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna cap.* 4. *num.* 11. Roder. Peyrin. & alios.

11. Poſſunt dicti Superiores applicare aliis, præcipue benefactoribus opera bona ſuorum ſubditorum, etiam renitentibus, idque non ſolum ex privilegio, verum etiam de jure communi; quia habent dominium ſuper voluntates ſuorum ſubditorum ratione voti obedientiæ ab eiſdem emiſſi, & per conſequens poſſunt quibus voluerint eorum opera meritoria applicare: ut docent D. Thom. *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 1. Corduba *in quæſt. Regul. lib.* 5. Baſſæus *V. ſuffrag. num.* 1. & alii.

12. De jure communi habent Prælati Locales poteſtatem inſtituendi Confeſſarios pro ſuis dumtaxat ſubditis, nam erga eoſdem juriſdictione quaſi Epiſcopali fruuntur, etiam pro foro externo, ut dictum eſt; & docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. Bordonus *tom.* 1. *reſol.* 4. *num.* 15. Pellizar. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 30. Ex jure tamen ſpeciali fere in omnibus Religionibus hujuſmodi inſtitutio, ſeu approbatio ſolum ad Generales, vel Provinciales ſpectat; unuſquiſque igitur conſulat ſuæ Religionis ſtatuta, & Regulas tam quoad inſtituendum Con-

Digitized by Google

feſſarios pro Regularibus, quam etiam ad præſentandum eoſdem locorum Ordinariis pro confeſſionibus Sæcularium; in Ord. F. F. Prædicat. & Minor. nequit talis præſentatio vel inſtitutio fieri, niſi a Generalibus, vel Provincialibus, ut conſtat ex Clement. *Dudum de ſepult. lib. 3. tit. 7. §. Statuimus.*

13. Poſſunt Superiores Locales pro ſuis reſpective Conventibus conſervatores eligere abſque Generalium, vel Provincialium licentia, nam conſtitutio Gregorii XV. quæ incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter*, apud Cherub. *tom. 3.* modum in conſervatorum electione tradens, non ſpecificat perſonam Regularem, quæ poſſit, & debeat conſervatorem eligere, ſed loquitur indefinite, *Regulares*; videnda tamen ſunt uniuſcujuſque Ordinis ſtatuta, & privilegia. Apud Minor. Obſerv. & Reform. videtur reſtricta ad Provinciales, privative quoad Guardianos ex Conſtitut. General. Ord. *cap.* 12. *§.* 21. ubi Provincialibus præcipitur, ut infra ſpatium ſex menſium pro unoquoque loco conſervatores nominent, & eligant; ex qua locutione univerſali, *pro unoquoque loco*, deducitur, excludi Superiores Locales; ut bene notat Mattheuc. *Official. quoad Conſervat. num.* 15.

14. Poſſunt dicti Prælati Conventuales creare Notarios Religioſos ſubditos pro intimandis mandatis, privilegiis, conceſſionibus, & indultis Apoſtolicis conceſſis Ordinibus Regularibus, tam perſonis Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, etiam ſpeciali nota dignis; nec non pro cauſis ſuorum ſubditorum criminalibus, ita ut illis tanta fides adhiberi debeat, quanta Notariis Sæcularibus: ut conſtat ex Bulla Sancti Pii V. quam per extenſum refert Roder. *tom. 3. q. 8. art.* 1. & Cherub. *tom. 2. pag. 336.* ubi contradicentibus apponuntur pœnæ; Religioſi tamen creandi in Notarios debent eſſe idonei, nec non juramento fidelitatis adſtricti: ita Portellus *V. Notarius num. 1. & ſeqq.* Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 95.* Peyrinus *de ſubdito, q. 1. cap. 3. §. 8.*

CAP. II.

De poteſtate coercitiva Superiorum Localium.

1. DE jure communi, & ratione juriſdictionis Eccleſiaſticæ omnes Superiores Locales habent in ſuis reſpective Conventibus, ſeu Monaſteriis perfectam, & quaſi Epiſcopalem poteſtatem coercitivam, tam pro foro interno, quam pro externo, ita ut poſſint Subditos ſuos ligare cenſuris, corrigere, & punire, ut patet ex uſu, & privilegiis omnium Religionum exemptarum. De jure tamen ſpeciali, id eſt ſecundum Leges, & Conſtitutiones uniuſcujuſque Religionis, immo & limitationes Superiorum majorum hujuſmodi coercitiva poteſtas valde reſtricta, & limitata manet: ita Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9. n. 3.* Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 2.* & alii communiter.

2. Prælati Conventuales, ſeu Locales exiſtentes in ſuo Conventu poſſunt de jure communi exercere juriſdictionem coercitivam, & contentioſam extra illum contra Subditos in alieno Conventu exiſtentes, præceptis, & cenſuris eos ligando; ut cum Roder. & Bonac. probabilius docent Bordon. *tom. 2. reſol. 78. num. 53.* Delbene *tom. 2. cap. 12. dub. 1. ſect. 1. num. 21.* & innuit Trid. *ſeſſ. 25. cap. 14.* Ratio eſt, quia dicti Prælati ſunt ſuorum Subditorum Judices ſimpliciter, & independenter a loco: ergo ubicumque Subditi deliquerint, poſſunt puniri, & pœnas inflictas incurrere; dixi *de jure communi*; quia ſi in aliquibus Religionibus dentur regulæ, ſeu Statuta in contrarium, illa videnda ſunt, & obſervanda; hæc enim nequeunt certa regula definiri, cum ab humanis Legibus pendeant, quæ quotidie juxta diverſa tempora variantur.

Digitized by Google

3. Poteſtas Superiorum Localium ſupra ſuos Subditos apoſtatas, & fugitivos eſt tanta, ut ubicumque exiſtant, etiam extra Territorium poſſint eos realiter capere, vinctoſque in ſuos reſpective Conventus adducere, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachii Sæcularis auxilio; quod quidem Judices ſæculares præſtare tenentur, immo ad id cogi poſſunt per Judices Conſervatores, ut patet ex pluribus privilegiis, præcipue ex illo a S. Pio V. conceſſo, quod per extenſum refert Lezana *tom. 1. cap. 6. n. 6.* aliiſque relatis a Roder. *tom. 1. q. 30. art. 6.* ex quibus manifeſte colligitur, dictos Prælatos non ſolum ſuos Subditos apoſtatas, & fugitivos capere, inquirere, & cogere poſſe, ut ad Ordinem redeant, ſed etiam omnes alios ſui Ordinis apoſtatas, & fugitivos, ubicumque eos ſine licentia in ſcriptis invenerint: ita conſtat ex uſu, & Conſtitutionibus noſtræ, & aliarum Religionum, & tenent Roder. *cit. loc.* Peyrinus *tom. 1. privil.* ad Conſt. 1. Julii II. *n. 97.* Pellizar. *tract. 8. cap. 8. num. 56.* Frater Minor perpendat Ordinis Statuta *cap. 2.*

4. In illis caſibus, in quibus Superiores Locales ex privilegio, uſu, conſuetudine, vel ſtatuto poſſunt contra ſuos Subditos procedere, nequeunt a Superioribus Provincialibus impediri, ne procedant contra ipſos uſque ad ſententiam diffinitivam excluſive, vel interlocutoriam, habentem vim diffinitivæ, cujus gravamen per appellationem reparari nequeat; ſed neque invitis Superioribus Localibus poſſunt Provinciales ad ſe advocare cauſas coram illis motas, niſi ob gravem, & juſtam cauſam a lege permiſſam; quæ concluſio probatur a ſimili ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de Reformat.* & ex noſtris ſtatutis generalibus Barchinonenſibus Toleti reformatis *tit. de Officiis*; ubi præcipitur Prælatis Superioribus, ne ſe conturbent ad invicem in ſuorum munerum, ſeu officiorum executione, ſed potius Superiores inferiores Prælatos adjuvent, illos in officiis, & cauſis non impediendo, neque ſe in illis ingerendo, ſic enim ad vitanda plura inconvenientia poſtulat ſuavis Religionis gubernatio: ita Portell. *v. Prælati poteſtas n. 8. in addit.*

5. Poſſunt de jure communi, & ob gravia delicta Superiores Locales carcerare ſubditos ſuos, vel in domo diſciplinæ detinere, ne fugam arripiant; & interim Superiorem Provincialem monere, ut quid agendum ſit, ab eodem decernatur. De jure tamen ſpeciali, videnda ſunt uniuſcujuſque Ordinis Statuta. Guardiani Ordinis Minorum tenentur ſervare cautelas in ejuſdem Conſtitutionibus poſitas apud Sanctorum de Melphi *comment. in ſtat. cap. 1. ſtat. 4. §. 18. & 19.* & cavere debent a nimia facilitate puniendi hujuſmodi pœna, quæ revera graviſſima eſt, & excepto caſu inobedientiæ contumacis non debet infligi abſque proceſſu ſaltem informativo; nec ſufficit ſola ſuſpicio, aut præſumptio delicti, ſed requiritur notorietas facti, quæ omnes juris ſolemnitates excludit; ita cum Sanct. *loc. cit.* Bordon. *tom. 2. reſol. 58.*

6. Animadvertere ſummopere debent Superiores Locales, ſe eſſe ſuorum Subditorum Patres, non Dominos, atque adeo debere tamquam Patres adhibere ſalutarem, & paternam correctionem, vel punitionem in filios. Non ſint igitur *turbulenti, anxii, nimis zelotipi, aut nimis ſuſpicioſi, & vigiles*, ut advertit S. Benedictus in ſua Regula *cap. 64.* loquens de Superiore Monaſterii; neque exploratores inſtituant, ut facta Subditorum obſervent, ac deferant; inde enim odia, & diſſenſiones oriri ſolent, quinimmo caritas dictat, Superiores debere nonnumquam aliqua Subditorum leviora peccata diſſimulare, ut poſtmodum, cum opus ſit correctione, aut punitione, hæc in Subditorum majus bonum ſpirituale cedant; ſit propterea eorum vigilantia prudens in morum inquiſitione, ne regulas caritatis, ac diſcretionis excedant: ita cum aliis Raggius *part. 3. dub. 13. num. 100.*

7. Quando Superiores Conventuales probabiliter ſuſpicari poſſunt de nimia familia-

ſamiliaritate, vel inhoneſto conſortio alicujus ſubditi extra Conventum, non ſolum poſſunt, verum etiam tenentur adjungere ei ſocium fidelem, qui actiones ipſius exacte obſervet, & ab eodem in Conventum reverſo quid rei actum ſit diligenter perquirant, prout habetur in Conſt. 60. Clementis VIII. de Reform. Regular. incip. *Nullus omnino*, apud Cherub. *tom. 3.* idque vigilantia paſtoralis expoſtulat, ut medela correctionis, & interdum punitionis ægroto tempeſtive adhibeatur, atque ſcandalum vitetur; quod ſi adhibita morali diligentia delictum probari non poſſit, tunc dicti Superiores debent ab ulteriori inquiſitione deſiſtere, & Subditum ſuaviter monere, ut caute, & religioſe deinceps procedat: ita cum aliis Raggius *part. 3. dub. 7. num. 72. & 73.* Paſqualig. *tom. 2. deciſ. 461. num. 78.*

8. Nequeunt Superiores Conventuales Subditos ſuos privare officiis, ſeu miniſteriis, quæ exercent, ob ſolam ſuſpicionem, vel indicium de aliquo delicto ab eiſdem commiſſo, quando ex tali privatione periclitari poteſt ſubditorum fama, quam unuſquiſque tenetur non lædere; nam licet dicti Prælati abſolute poſſint Sacriſtam, Janitorem, Quæſtorem, & ſimiles a ſuis muneribus amovere, concurrentibus tamen ſuſpicione, indicio, vel inquiſitione de delicto, id nullatenus facere poſſunt, nec debent, cum ita daretur intelligi, ſubditos à ſuis muneribus amoveri intuitu delicti nondum probati, quod profecto eſſet eorumdem famam denigrare: ita cum multis Paſqualig. *tom. 2. deciſ.* 461. Raggius *part. 3. dub. 6. num. 66. & 67.*

9. Delicta ſubditorum occulta Superioribus Localibus revelata ut patribus, nequeunt ſine gravi culpa ab eiſdem revelari, aut puniri, vel juridica interrogatione ſcrutari, ſed tantum poſſunt ut patres monere, ac ſuaviter corrigere filios, ut ſi delinquentes fuerint, curent de cetero a reincidentia ſe præcavere: verumtamen quando hujuſmodi correctio non prodeſt, vel cum agitur de re graviſſima, aut de promovendo aliquem ad Prælaturam, officium, vel beneficium, tunc non ſolum poſſunt, verum etiam tenentur dicti Superiores ſubditorum crimina Prælatis majoribus manifeſtare, ut de remedio provideant, bonum enim commune particulari præferendum eſt; limita, niſi ea delicta ſint jam vere emendata, vel niſi alia via damno communi obviari poſſit. Priuſquam vero ad prædicta procedant, debent Superiores præfati animos delatorum inveſtigare, ne forte odio, vel invidia ducti falſa crimina innocentibus imponant; in caſu tamen quo non paternaliter, ſed judicialiter crimina revelata fuerint, debent interrogare delatores, an præmiſerint correctionem fraternam, nec debent in hoc eſſe nimis faciles ad credendum, niſi delatores ſint perſonæ fide dignæ, de quarum veritate dubitari minime poſſit, præſertim ſi denunciati non ſint religioſis moribus præditi, quos in tali caſu poterunt Superiores ſecrete corripere, etiam coram duobus, vel tribus teſtibus, ſi opus fuerit, eos terrendo, aut ſub excommunicatione præcipiendo, ut delicta emendent, & ſcandala vitent; ſi autem denunciati ſint perſonæ graves, & vitæ probatæ, nequaquam admittenda eſt denunciatio a quocumque contra eos facta, nam ſæpe nonnulli aliqua paſſione perciti in innocentis depreſſionem conſpirant; idcirco in prædictis pedetentim procedendum eſt: ita Baſſæus *V. denunciatio num. 3. & V. correctio num. 3.* Raggius *p. 3. dub. 6. num. 68. & 74. & dub. 47. num. 282.* Peyrinus *de ſubdito q. 1. cap. 16.* & alii.

10. Si litteræ aliquæ ſine auctore, aut ficto nomine contra ſubditos mittantur ad Superiores præfatos, non poſſunt hi judicialiter adverſus eos procedere, immo neque paternaliter in ſecreto corrigere, vel monere, ut ſibi caveant, ſed omnino debent hujuſmodi litteras vel lacerare, aut comburere, nullamque fidem eiſdem præbere; tales

enim litteræ nullum judicium contra denunciatos faciunt, & quilibet proceſſus ſuper eiſdem formatus nullus eſt ipſo jure; prout habetur *in cap. Inquiſit. §. 3. dubit.* & docent Roder. *tom. 2. q. 6. art.* 10. Peyrin. *in formul. litter. P. cap.* 17. ſecus dicendum, ſi litteræ ſint ſubſcriptæ, & non fictæ, tunc enim debent Superiores procedere ut ſupra dictum eſt; ſemper tamen habentes præ oculis doctrinam D. Thomæ 2. 2. *q. 6. art.* 4. *ad* 3. ſcilicet, ut judicium in omnibus ſuſpendant, & in mitiorem partem facta ſubditorum interpretentur, donec juridice probentur.

11. Superiores Locales etiam in illis Ordinibus, in quibus per ſtatuta ſpecialia non prohibentur Confeſſarios inſtituere, vel ſuſpendere, non poſſunt punire ſubditos ſuos ab Ordinario approbatos, Confeſſiones ſæcularium tempore Jubilæi, aut virtute Bullæ Cruciatæ contra eorum voluntatem audientes; ratio eſt, quia pœna ſupponit culpam: ſubditi in tali caſu audientes Confeſſiones ſæcularium ex delegatione Summi Pontificis, qui eſt omnium Religionum Supremus Prælatus, nullam culpam committunt contra obedientiam Prælatis debitam, tunc enim poſſunt pro libito obedire, & licite non obedire. Neque poſſunt impedire, ut ſubditi utantur diſpenſatione, aut licentia aliqua, quam, inſciis Prælatis, a Sede Apoſtolica impetrarunt, ſi alias ad hujuſmodi gratia, ſeu diſpenſatione utendum, ſint idonei, & habiles; nam impedientes auctoritative executionem litterarum Apoſtolicarum incurrunt Cenſuras Bullæ Cœnæ *Canon.* 13. *&* 14. ita cum Diana docet Vidal. *de pœnit. inquiſ. 6. num.* 72. *& tit. de Cenſuris inquiſit.* 2. *num.* 7. qui etiam eodem titulo *n.* 31. cum communi docet, non poſſe Superiores prædictos revocare ſine juſta cauſa licentias, vel diſpenſationes ab eiſdem juſta de cauſa ſubditis conceſſas, quia re non mutata, & neceſſitate durante abutuntur poteſtate, eas revocando.

12. Si in aliquo Conventu inveniantur plures ex ſubditis, qui aliquod delictum commiſerunt, non debent Superiores illius omnes punire, ſed ſufficit ad aliorum exemplum ut puniant aliquos, vel aliquem, qui, ponderatis circumſtantiis, fuerunt cauſa magis principalis delicti commiſſi; ſic enim ex una parte delictum non manet impunitum, & ex altera melius conſulitur paci, & tranquillitati, quæ non parum læderetur, ſi omnes, & ſinguli punirentur: cavere tamen Superiores debent, ne ſint perſonarum acceptatores: ita Nald. *v. delictum num.* 1. Pellizar. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 27. & alii.

C A P. III.

De poteſtate, quam habent Superiores Locales, circa caſus reſervatos.

1. CUm ex deciſis in ſuperioribus reſolutionibus conſtet, Prælatos Regulares exemptos habere juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ac Prælatorum nomine venire etiam Superiores Conventuales, ſeu Locales; idcirco aſſerendum eſt, hos proculdubio tam de jure communi, quam ex privilegiis Alexandri VI. ut habetur *in Monum. Ord. in* 2. *impreſſ. fol.* 56. *concluſ.* 66. *& in ſupplem. fol.* 3. necnon Clementis VIII. ut habetur in Bull. Rom. Cherub. *tom.* 4. poſt Conſt. 26. Urbani VIII. *pag.* 273. *col.* 2. poſſe in ſuis reſpective Conventibus, ſeu Monaſteriis ſibi reſervare caſus, ex illis tantum, quos idem Clemens in ſuo decreto limitavit, & referuntur infra. Ratio eſt, tum quia hujuſmodi Prælati exercere valent in ſuos ſubditos ea, quæ & Epiſcopi in ſuos exercent; ſed hi poſſunt ſibi caſus reſervare, ergo etiam illi: tum quia deputare Confeſſarios pro ſuis ſubditis ad Prælatos locales pertinet de jure communi, ut dictum eſt ſupra *cap.* 1. *n.* 12. ergo pariter reſervare caſus ex numeratis

in

in Clementino decreto: dixi *de jure communi*, nam de jure ſpeciali videnda, & ſervanda ſunt uniuſcujuſque Ordinis ſtatuta, limitationes, & reſtrictiones; regulariter enim hujuſmodi poteſtas Generalibus, ac Provincialibus dumtaxat competit. Pro Guardianis autem Ordinis Minorum in Capitulo Generali Aſſiſii celebrato anno 1526. factum fuit auctoritate Apoſtolica ſequens ſtatutum: *Ordinatur, & mandatur auctoritate Apoſtolica, & totius Capituli Generalis, quod nullus Guardianus poſſit ſibi aliquem caſum reſervare, ſed ſolus Miniſter Provincialis id poterit*: ex quo manifeſte patet, dictum Alexandri VI. privilegium quoad Guardianos in ſuo vigore amplius non permanere, & jus commune per jus ſpeciale Religionis eſſe reſtrictum, non ſolum quoad poteſtatem caſus reſervandi, ſed etiam quoad facultatem ab illis abſolvendi, ut conſtat ex ſtatutis generalibus *cap.* 7. niſi ea facultas eiſdem committatur, prout regulariter committitur.

2. In illis Ordinibus, in quibus Prælati locales habent poteſtatem reſervandi ſibi caſus, ſive de jure communi, ſive ex privilegiis, non poſſunt caſus pro Novitiis ſibi reſervare, cum hi perfecte Religioſi non ſint, niſi in favorabilibus, ac propterea nequeunt, ut ceteri Religioſi profeſſi, cenſuris ligari, & caſibus reſervatis conſtringi, cum ſint odioſa; *ex cap. Religioſ. de ſentent. excomm. in 6.* immo neque caſibus Epiſcopo reſervatis ligantur, cum non ſint ſubditi ipſius, ſed dumtaxat in caſus Papales incidere poſſunt, a quibus tamen, ſicut ceteri Sæculares, ab habentibus facultatem poſſunt abſolvi: *ita comm. D. D.*

3. Ut peccata reſervari poſſint, requiritur 1. ut ſint mortalia, nam venialia non conſuevit Eccleſia reſervare. 2. ut ſint actus externi, & completi, cum de internis Eccleſia non judicet. 3. ut obſervetur decretum Clementis VIII. quod habetur *in Bullar. Rom.* Cherub. *tom.* 4. *poſt conſt.* 26. *Urbani VIII.* in quo decernitur, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ in eodem decreto continentur; quod ſi aliquod peccatum grave pro Religionis conſervatione, vel conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, vel Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

4. Peccata reſervabilia in dicto Decreto Clementino contenta, ſunt undecim, nempe 1. *Veneficia, incantationes, ſortilegia.* 2. *Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio.* 3. *Nocturna, & furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* 5. *Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo.* 6. *Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.* 7. *Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterii, aut Conventus.* 8. *Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* 9. *Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus.* 10 *Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ.* 11. *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.* Qui omnes infra Tract. 6. explicabuntur.

5. Superioribus Localibus ſive habentibus, ſive non habentibus poteſtatem reſervandi peccata, non licet Confeſſiones ſubditorum audire niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, vel proprio motu id ab ipſis petierint, ideoque Superiores habentes poteſtatem inſtituendi Confeſſarios pro ſuis ſubditis, & per conſequens reſervandi peccata, ut ſupra, debent in ſuis domibus duos, tres, vel plures Confeſſarios pro ſubditorum numero

Digitized by Google

mero majori, vel minori deputare, qui ſint docti, prudentes, & caritate præditi, & quibus reſervatorum abſolutio committatur; poſſunt præterea præfati Superiores quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis, graves determinare pœnitentias, a Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab eiſdem perpetrandis cohibere poſſint; caveant tamen diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur: *ex eod. decret.*

6. Quamvis in aliquo Ordine per ſpeciale ſtatutum cautum ſit, prout in noſtro Seraphico *cap. 7. ſtatut.* cautum eſt, quod Generales, & Provinciales tantum auctoritate ordinaria poſſint a reſervati abſolvere, & aliis, quibus ipſi facultatem commiſerint, nihilominus tamen Guardiani, Priores, ceterique Superiores Locales carentes dicta auctoritate ordinaria in reſervata, ſi fuerint deputati Pœnitentiarii pro ſuis reſpective Conventibus, ſeu Monaſteriis, prout regulariter deputantur, poterunt proculdubio uti ea facultate abſolvendi a reſervatis, non ſolum active, ſed etiam commiſſive, quando caſus reſervatus particularis occurrerit toties quoties, ſcilicet, concedendo Confeſſario ſubdito non habenti facultatem abſolvendi a reſervatis, ut pro illa vice ſuum pœnitentem abſolvat, idque patet ex decreto Clementis VIII. & ex alio Viſitationis Apoſtolicæ, quod refert Orb. Seraph. *tom. 4. pag. 166. & Official. Curiæ quoad Præl. Regul. cap. 38.* in quo dicitur, quod Superiores Locales præfati ad hoc ut poſſint concedere dictam facultatem abſolvendi a reſervato aliquo particulari (nam generaliter nullatenus illam concedere valent) ſufficit, quod habeant auctoritatem delegatam, videlicet quando ſimul Superiores, ac Pœnitentiarii eliguntur; & quia non debent eſſe deterioris conditionis quam ſubditi, gaudent propterea auctoritate paſſiva, nempe quod a reſervato aliquo particulari toties quoties per Confeſſarium, vel Sacerdotem ab ipſis electum abſolvi poſſint.

7. Poſſunt Superiores Locales licentiam concedere ſuis ſubditis confitendi ſua peccata alterius Ordinis Religioſo, idoneo tamen, quamvis non approbato, & hujuſmodi licentia debet eſſe expreſſa, nam tacita, ſeu interpretativa non ſufficit, niſi pro itinerantibus, ut mox dicetur, ſecluſa tamen Conſtitutione, ſeu ſtatuto Religionis in contrarium; ratio eſt, quia dicti Superiores habent ſuper ſuos ſubditos poteſtatem juriſdictionis ordinariam, maxime in Sacramentorum adminiſtratione, hæc autem poteſtas ordinaria eſt delegabilis quibuſcumque extraneis indifferenter, ut conſtat *ex cap. bis, quibus ex offic. 20. de offic. Jud. Ord. & cap. omnis utriuſque ſex. de pœnit. & remiſſ.* atque adeo ſicut ipſimet poſſunt extra Religionem Confeſſarium, etiam non approbatum, eligere, ita pariter poſſunt ſuis ſubditis ſimilem licentiam concedere, nam Tridentinum *ſeſſ. 23. cap.* 15. approbationem Epiſcopi in Confeſſario exigit ſolum relate ad Sæculares, non vero ad Regulares; Prælati enim Locales, cum ſint proprii ſuorum ſubditorum Sacerdotes, eoſdem, velut oves proprias, cui voluerint paſtori, alias idoneo, committere valent. Si autem Confeſſarius electus fuerit ex approbatis ab Ordinario loci, poterit uti cum eligente eiſdem facultatibus, quibus uti poteſt cum Sæcularibus, tam quoad abſolutiones, quam quoad diſpenſationes, quia in tali caſu cum Regularibus poteſt ſe gerere ſicut cum Sæcularibus; ſi vero licentia non fuerit expreſſa ad confitendum peccatum aliquod reſervatum, vel fuerit limitata per Ordinis ſtatuta, aut per præfatos Superiores, nempe ut ſubditi non poſſint extra Ordinem hoc, vel illud peccatum confiteri, tunc Confeſſarius electus tenebitur ſe continere intra limites conceſſionis, interrogando pœnitentem, an, & quomodo licentiam confitendi obtinuerit: ita Bordon. *tom. 1. reſol. 2. q. 11. n. 23. & reſol. 24. q. 3. n. 6.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. ſect. 1. q. 2. n.* 3. Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 27.*

n. 27. Diana *p.* 3 *tract.* 2. *de dub. Regul. reſol.* 2. Joan. de la Cruz *de ſtat. Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 11. *concluſ.* 1. Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 10. *cap.* 5. *n.* 3. & alii commun. Fratribus Minoribus expreſſe per conſtitutiones Apoſtolicas prohibetur confiteri extra Ordinem, præterquam in neceſſitatis articulo, & tunc de licentia Superioris expreſſa; prout conſtat *ex ſtat. General. Ord. cap.* 7. *§.* 1. *n.* 4. pro itinerantibus *vide infra tract.* 6. *cap.* 1. Pœnitentiariis autem D. Papæ omnes Regulares cujuſcumque Ordinis abſque ſuorum Superiorum licentia confiteri poſſunt, non obſtantibus conſtitutionibus quibuſcumque in contrarium.

8. Superiores Locales tenentur regulariter non negare facultatem abſolvendi a reſervatis Confeſſario petenti, quinimmo in ea concedenda debent ſe oſtendere faciles, & benignos, necnon fideles diſpenſatores poteſtatis ſibi commiſſæ, ob gravia, multaque pericula animarum, quæ ex irrationabili negatione exoriri poſſunt; quapropter Superiores, qui ſine juſta cauſa hujuſmodi facultatem delegare renuunt, mortaliter peccant, maxime ſi ex tali negatione animæ ſubditorum grave diſpendium ſubire cogantur, & a fortiori ſi id Confeſſarius teſtaretur; dixi *regulariter*, nam in quibuſdam caſibus poſſunt juſte Superiores dictam facultatem denegare, nempe ob bonum proximi, ut ſi peccatum ſit tale, ut in perniciem vergat aliorum, vel ſi ſit tale, ut nemo, excepto Superiore, ſciat ei remedium adhibere; aut ob bonum ipſius pœnitentis, qui ex facilitate abſolutionis occaſionem ſumit perſeverandi in peccato, vel ſi timeretur probabiliter gravis infamia communitatis, aut facilitas peccandi in aliis, qui legem reſervationis minime curarent: in his enim, & ſimilibus caſibus non tenentur licentiam concedere, quandoquidem Superiores plus debent bono communi, quam particulari providere: prout docent de Lugo *de Sacr. Pœnit. diſp.* 20. *num.* 41. Candidus *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 68. A S. Fauſto *de caſib. reſerv. lib.* 8. *qu.* 15. & alii: conſtat etiam *ex cit. decr. Clement.*

9. In caſu, quo præfati Superiores recuſent dictam facultatem concedere; poſſunt Confeſſarii licite pro illa vice, etiam facultate non obtenta, Religioſos pœnitentes ab aliquo reſervato abſolvere, abſque onere ſe præſentandi, quia auctoritate Papæ in tali caſu abſolvunt, ut habetur expreſſe in calce dictæ Conſtitutionis Clementinæ, approbatæ, & innovatæ ab Urbano VIII. poſt ejus conſt. 26. *tom.* 4. Bull. Cherub. immo toties abſolvere poſſunt, quoties eiſdem irrationabiliter facultas denegatur; hæc tamen doctrina ſolum videtur procedere in domibus, in quibus non adſunt Pœnitentiarii deputati, vel nolunt abſolvere, nam ſi adſint, & abſolvere velint, ceſſat ratio iſtius diſpoſitionis: ita cum multis Dicaſtillo *diſp.* 11. *dub.* 20. *num.* 339. Gobat. *in Theol. experim. tract.* 7. *caſ.* 20. *pag.* 478. *num.* 705. Præpoſ. apud Dian. *p.* 9. *tr.* 3. *reſ.* 15.

10. Non poſſunt Superiores Locales, etiam interveniente cauſa urgente, abſolvere ſola reſervata, & pro ceteris pœnitentem ad inferiorem remittere, cum Confeſſionis integritas ſit de jure divino, in quo minime diſpenſare valent; quæ quidem integritas, excepto caſu neceſſitatis celebrandi, vel communicandi ad vitandum ſcandalum, aut infamiam ſub mortali obligat tam pœnitentem, ut utraque confiteatur, quam Superiorem, ut utraque audiat; vel ſi nolit audire, tollat reſervationem, aut alteri Confeſſario facultatem concedat; opinio enim contraria eſt omnino improbabilis; ita docent de Lugo *diſp.* 20. *de pœnit. n.* 77. Coton. *lib.* 2. *controv.* 7. *cap.* 5. *q.* 9. *n.* 162. Miranda *tom.* 2. *q.* 34. *art.* 12. & alii comm.

11. Poſſunt Prælati Locales ubique excipere Confeſſiones ſuorum ſubditorum virtute ordinariæ poteſtatis, dum reperiuntur in aliena Provincia, vel Conventu: nam pœnitentia eſt de juriſdictione voluntaria, ac proinde *in cap. Omnis de pœnit. & remiſſ.* de loco nihil expri-

exprimitur quoad Regulares, ergo poteſt intra, vel extra territorium exerceri, quia in his, quæ ſine ſtrepitu judicii fiunt, nullius territorium læditur, *argum. cap ultim. de offic. legat.* Non poſſunt tamen abſolvere a reſervatis in aliena Provincia, per quam tranſeunt, ſi in ſua Provincia reſervati non ſint, niſi a Superiore loci licentiam obtineant: cum reſervatio afficiat directe Confeſſarium, & indirecte pœnitentem: ita *comm. D. D.*

12. Poſſunt prætérea Superiores Locales independenter ab aliis non ſolum in proprio Conventu, ſed etiam extra Ordinem ſibi eligere in Confeſſarium quemlibet Sacerdotem idoneum, licet non approbatum, ſive ſæcularem, ſive Regularem, propriæ, vel alterius Religionis, a quo poſſunt abſolvi, & reſpective diſpenſari ab illis exceſſibus, a quibus ipſimet Prælati Locales ſuos ſubditos abſolvere, & diſpenſare valent, idque conſtat ex cap. *Final. de pœnit. & remiſſ. peccat*: ubi dicitur, *quod Epiſcopi, & alii Superiores, necnon minores Prælati exempti abſque ſui Superioris licentia, providum, & diſcretum Virum poſſint ſibi in Confeſſarium eligere*; inter Prælatos enim exemptos numerantur Generales, Provinciales, Viſitatores, Superiores Locales, Commiſſarii, & Procuratores Curiæ Romanæ: & ita docent S. Anton. *p. 3. tit.* 17. *cap.* 2. *§. 3.* Sylveſt. *v. Confeſſor.* 1. *n.* 8. Nugnus *in 3. p. tom.* 2. *q.* 8. *art.* 5. Rodericus *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 28. Diana *p. 3. tract.* 2. *de dub. regul. reſ.* 1. *Sà v. Confeſſor n.* 1. Suarez *tom.* 4. *in 3. p.* D. Thom. *diſp.* 27. *ſect.* 2. *n.* 9. Miranda *tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. & alii permulti: Nec requiritur, quod talis Confeſſarius ſit ex approbatis, quia id textus non dicit, ſed approbatur per ipſam electionem, alias non eſſet differentia inter Prælatum, & ſubditum, ſed neque Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* in hoc quoad Prælatos Regulares aliquid innovavit, cum approbatio Ordinarii, de qua ibi loquitur, requiratur tantum ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, non vero Regularium, ut cum comm. D. D. docent Coriolan. *p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 21. *n.* 4. 5. 6. Peyrinus *tom.* 1. *privil. in Conſt.* 4. *Sixti IV.* Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 81. quæ juris communis conceſſio dictis Prælatis a Summo Pontifice facta neque per ſtatutum, neque per conſuetudinem, neque per Prælatos majores tolli umquam poteſt, niſi ad hoc a S. Sede facultatem obtineant; ſtatuta Ordinis Minorum prædicta auctoritate edita, minime hujuſmodi privilegium ſeu conceſſionem a Guardianis abſtulerunt, prout docet Corduba *in addit. ad comp. privil. fol.* 76. & 77. Idem dicendum eſt de Vicariis, ſeu Præſidentibus abſolute Conventum regentibus in abſentia, vel morte Guardianorum aliorumque Superiorum Localium, quia tunc ſunt veri Prælati. Notandum tamen 1. quod licet Guardiani Ordinis Minorum ſint deputati Pœnitentiarii pro ſuis reſpective Conventibus, prout regulariter deputantur, ac propterea habeant poteſtatem, non ſolum activam, ſed etiam paſſivam abſolvendi a reſervatis, ut ex jure, & privilegiis conſtat, cum non debeant eſſe deterioris conditionis quam ſubditi, & alias poſſint per alios ſibi applicare quod aliis adminiſtrant; id tamen intelligendum eſt ſolum de reſervatis occultis, nam pro publicis, ſeu notoriis ad Miniſtros Provinciales recurrere tenentur, ut patet ex Regula, & Conſtit. Ord. *cap.* 7. *§.* 2. *n.* 3. & ex Stat. general. Barchinon. anno 1621. editis, & a S. Sede approbatis *cap.* 6. *§. de caſib. reſerv.* prout refertur in Orb. Seraph. *tom.* 3. *pag.* 663. *col.* 2. ubi Guardianis tribuitur facultas activa, paſſiva, & commiſſiva abſolvendi ſubditos, & hoſpites a reſervatis occultis dumtaxat; Vicariis quoque, ac Præſidentibus ut ſupra, eadem facultas activa, & paſſiva, non tamen commiſſiva conceditur. Notandum 2. prædictum privilegium non habere locum tempore Jubilæi, ad quod lucrandum dicti Prælati tenentur confiteri non ſecundum diſpoſitionem dicti *cap. Final. de pœnit. & remiſſ.* ſed juxta diploma

Sum-

Digitized by Google

Summi Pontificis, nempe Confeſſario ex approbatis ut docent *citat. D. D.* Vid. infra tract. 6. cap. 1. n. 23. Notandum 3. quod in noſtro Ordine Min. tam Obſervant. quam Reformat. nequeunt dicti Superiores eligere Confeſſarium triginta ætatis annos non excedentem, prout habetur in ſtatutis tam generalibus, quam Reformatis cap. 7.

C A P. IV.

De poteſtate, quam habent Superiores Conventuales, ſeu Locales, abſolvendi ſuos Subditos a Cenſuris etiam reſervatis.

1. OMnes Superiores Locales Ordinum Regularium ex Apoſtolicis privilegiis, vel per viam communicationis in eiſdem, tanta circa ſuos ſubditos auctoritate, ac poteſtate fruuntur, quanta Generalis in toto Ordine, & Provinciales in ſuis Provinciis gaudent, & utuntur, niſi in aliquibus per ſpecialia ſtatuta eorum juriſdictio limitata fuerit; hæc aſſertio conſtat ex pluribus indultis a S. Sede Prælatis Regularibus conceſſis, prout in Monum. Ord. & in comp. privilegiorum, *v. Prælati, & v. Guardiani*, referuntur, nec non in aliis titulis, quibus auctoritas ad abſolvendum, & diſpenſandum conceditur dictis Religionum Prælatis, ſub quorum nomine proculdubio veniunt, non ſolum Generales, & Provinciales, verum etiam Superiores Locales, quales ſunt Priores, Guardiani, Rectores, & conſimiles, juxta declarationes Clementis IV. & Sixti IV. Ordiniſque Conſtitutionum, ut dictum eſt ſupra; conſtat etiam aſſertio prædicta ex conceſſione Julii II. per quam omnia privilegia, & indulta Apoſtolica conceſſa Ordini Prædicatorum, ſpectantia ad Priores Conventuum dicti Ordinis, extenduntur etiam ad Guardianos Conventuum Ordinis Minorum; ut habetur in comp. privil. *v. Guardianus n. 5. & in ſupplem. fol. 3. conceſſ.* 222. hæc enim privilegia Superioribus Localibus Ordinis Prædicatorum conceſſa, ita ampla ſunt, ut eorum auctoritas Priorum Provincialium auctoritati æquetur, ut conſtat ex Mari Magno ejuſdem Ordinis, & ex aliis indultis Apoſtolicis, in quibus virtute communicationis Guardiani, aliique Superiores Locales participant, quorum quidem poteſtas ordinaria eſt, & non delegata, cum eam non immediate ab homine, ſed ex beneficio legis habuerint, ut conſtat *ex cap. cum ab Eccleſ. de Offic. Jud. Ord. & in rubr. de Offic. deleg. & tenent comm. D. D.*

2. Præterea S. Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*; apud Confectium in collect. litter. Apoſtol. *fol.* 226. & apud Cherub. *tom.* 2. Superioribus Localibus Ordinis Prædicatorum expreſſe conceſſit eaſdem facultates abſolvendi, & diſpenſandi ſuos ſubditos, quas Epiſcopi vigore Tridentini *Seſſ.* 24. *cap.* 26. habent erga ſuos; per hæc verba: *Et inſuper, quia Sacrum Oecumenicum Generale Tridentinum Concilium conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ.* 24. *cap.* 26. *habetur; idcirco ne Priores Conventuales, ſeu Locales, & Superiores Prælati dicti totius Ordinis ubilibet in hac parte deterioris conditionis quam Clerici, aut Sæculares exiſtant; eiſdem, ut ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſibi ſubjectos, tam quoad abſolvendi, & diſpenſandi hujuſmodi, quam alias quaſcumque facultates eadem authoritate, & tenore, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.* Quo quidem amplo privilegio omnes alii Prælati Locales Ordinum Regularium per viam communicationis, ut pluries in ſuperioribus dictum eſt, fruuntur, & gaudent.

3. Nec obſtat dicere, Bullam Cœnæ derogare facultati a Tridentino Epiſcopis conceſſæ abſolvendi, ab omnibus peccatis occultis in eadem Bulla contentis,

tentis, aliiſque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, atque adeo revocatum manere privilegium S. Pii V. Superioribus Localibus ad inſtar conceſſum, ut ſupra, abſolvendi ſuos ſubditos a præfatis exceſſibus; nam licet probabilius ſit derogare, ea tamen derogatio ſolum comprehendit Epiſcopos reſpectu Sæcularium, ſive delicta eorum ſint publica, ſive ſint occulta, minime vero Prælatos Locales reſpectu ſuorum ſubditorum, ſi eorum delicta ſint occulta, a quibus per dictam S. Pii Conſtitutionem poſſunt proculdubio hujuſmodi Superiores abſolvere; ultraquamquod privilegium conceſſum ad inſtar non cenſetur revocatum, ſublato, vel revocato exemplari, quia licet ſit relativum ſecundum quid, eſt profecto abſolutum in re; virtus enim, & efficacia privilegii nullo modo eſt in externa relatione poſita, ſed in voluntate concedentis, cui placuit reſcriptum ſuum alteri præexiſtenti ſimilare; ac proinde, revocato probabilius per Bullam Cœnæ privilegio præfato a Tridentino Epiſcopis conceſſo, nullatenus manet revocatum privilegium a S. Pio dictis Superioribus ad inſtar conceſſum, ſicut extincto aliquo Ordine, non manent extincta privilegia aliorum Ordinum, quibus ad inſtar illius Ordinis extincti fuerunt conceſſa, cum hujuſmodi privilegia ab exemplari ſublato minime dependeant, quin potius fiunt ita illis propria, quibus ſunt conceſſa, ut dicantur ſtare per ſe primo abſque alterius dependentia: prout docent Baldus *in L. omnia q. 2. C. de Epiſc. & Cler.* Panormit. *in cap. ult. ne clerici, vel Monachi*, Roder. *tom. 1. q. 9. art. 9.* Tambur. *de jur. Abbat. tom. 1. diſp. 17. q. 5. n. 2.* & alii. Secus autem dicendum, ſi Princeps dependenter privilegium concedat, exprimendo quod, ſublato, vel revocato exemplari, cenſeatur pariter revocatum privilegium ad inſtar conceſſum, quod quidem S. Pius in ſua conſtitutione non expreſſit; immo idem S. Pontifex in alia ſua conſtitutione, quæ incipit: *Dum ad Congregationem Caſſinen.* apud Cherub. *tom. 2.* abſque ulla relatione, aut dependentia abſolute conceſſit Superioribus Monaſteriorum, aliiſque Prælatis ejuſdem Congregationis ampliſſimam facultatem abſolvendi ab omnibus exceſſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, & diſpenſandi ab irregularitatibus, exceptis quæ ibi excipiuntur, in quibus facultatibus Prælati Locales aliorum Ordinum proculdubio participant: vide etiam quæ diximus *tract. 1. cap. 6. num. 18. de revoc. privil.*

4. Quoad Guardianos Ordinis Minorum tam Obſervantium, quam Reformatorum eſt valde notandum, quod licet in ſtatutis generalibus *cap. 7.* habeatur, poſſe Generales, & Provinciales, eorumque Vicarios, ac Cuſtodes in ſuis Cuſtodiis ex Apoſtolica conceſſione Summorum Pontificum Clementis IV. Sixti IV. & Julii II. abſolvere Fratres ſibi commiſſos ab excommunicationibus omnibus, etiam in Bulla Cœnæ contentis, exceptis quatuor ibidem relatis, & diſpenſare ſuper quacumque irregularitate, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario, & bigamia oritur, inde tamen non infertur, prædictos Guardianos erga ſuos ſubditos ſimili poteſtate carere: ratio eſt, quia hujuſmodi conceſſio taxativa non eſt, neque ita reſtricta ad ſolos Generales, & Provinciales, ut non poſſit etiam ad Superiores Locales extendi, nam ſicut illi ex indulto præfatorum Pontificum dicta poteſtate gaudent, ita pariter iſti eadem fruuntur ex privilegio S. Pii V. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*, relata a Confectio in collect. Litter. Apoſtolic. *fol. 226.* & in alia ejuſdem, quæ incipit: *Dum ad Congregationem Caſſinen.* apud Cherub. *tom. 2. Bull. Rom.* in utraque enim Superiores Conventuum expreſſe nominantur; ob eamdem profecto rationem, qua memorati Pontifices eam facultatem Generalibus, & Provincialibus conceſſerunt, S. Pius V. ſimilem Superioribus Localibus etiam per viam communicationis conceſſit, ſcilicet, ut Re-

gulares

gulares ſubditi a ſuis reſpective Prælatis immediate dependeant, ne huc, illucque pro abſolutionis, vel diſpenſationis beneficio ire cogantur, quod & Religioni incommodum, & ipſis Religioſis perniciosſum eſt. Igitur quamvis Generales, & Provinciales cum ſuis reſpective Capitulis poſſint Prælatis inferioribus, ac ſubditis uſum privilegiorum tollere, vel reſtringere, id tamen debet fieri expreſſis verbis, videlicet, cum clauſula hujuſmodi uſum limitante, aut reſtringente, vel annullante; prout habetur v.g. in dicto *cap.* 7. ſtatutorum generalium Ordinis; quod a caſibus reſervatis nemo abſolvere quemquam præſumat, niſi a Generali, vel Provinciali abſolvendi facultatem obtineat; ubi manifeſte patet, eam facultatem ad ſolos Generales, & Provinciales eſſe reſtrictam, privative quoad alios. Cum autem in caſu noſtro minime reperiatur dictio negativa, qua poſſit deduci, uſum dictæ facultatis, ſeu conceſſionis Apoſtolicæ ad ſolos Prælatos majores reſtrictum eſſe, privative quoad inferiores, idcirco tenendum eſt tamquam certum, ad iſtos quoque debere extendi, quibus S. Pius V. poſt recenſitos Pontifices idem indultum elargitus fuit; præterquam quod ſumus in favorabilibus, quæ profecto amplianda ſunt, non reſtringenda.

5. Præterea eſt etiam notandum, quod quamvis Sixtus IV. in ſua Bulla *aurea* nuncupata, in qua ampliſſimum privilegium abſolvendi, & diſpenſandi Ordini Prædicatorum concedit, ad ſolos Generales, eorumque Vicarios, & alios dicti Ordinis, quibus ipſi voluerint, facultatem reſtrinxerint; idem tamen Pontifex die 28. Maii 1481. Pontificatus ſui X. hujuſmodi reſtrictionem revocavit, & ad terminos conceſſionum juxta Maremagnum Prædicatorum reduxit, prout refert Confectius *in collect. litter. Apoſtol. poſt præfatam Bullam fol.* 74. ubi non ſolum Generales, & Provinciales, ſed etiam Superiores Locales expreſſe nominantur, atque adeo poſſunt hi facere quoad abſolutiones, & diſpenſationes in ſuis Conventibus quicquid poſſunt Generales in toto Ordine, & Provinciales in ſuis Provinciis, niſi per ſpeciale ſtatutum hujuſmodi facultas eiſdem reſtricta, vel ſublata fuerit. Verba Bullæ revocatoriæ ſunt hæc: *Sixtus Epiſcopus, & Dilectis Filiis Prioribus Conventuum Ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam Ordinis veſtri fratres pro eorum abſolutionibus, & diſpenſationibus obtinendis ad Magiſtrum Generalem juxta reſtrictionem Bullæ aureæ ire tenentur, volentes eorum commoditati, & quieti in hoc conſulere, vobis, & cuilibet veſtrum facultatem, & poteſtatem concedimus abſolvendi, & diſpenſandi cum fratribus ipſis, ſicuti alias ex privilegio, quod dicitur Marimagnum, facere poteratis, antequam talis Bulla aurea emanaſſet.* Quod quidem privilegium ad Guardianos Ordinis Minorum, & ad omnes alios Superiores Locales propter communicationem extenditur.

6. Ex dictis in præcedentibus manifeſtè colligitur, poſſe Superiores Locales abſolvere ſuos ſubditos, Tertiarios quoque commenſales, ſeu collegialiter viventes ab excommunicatione Canonis, *Si quis ſuadente:* etiamſi percuſſio ſit enormis, & eſt illa, quæ non ſolum mutilationem, ſed etiam occiſionem includit: ut conſtat ex cap. *Monachi, cap. illorum §. qui ſi Clauſtrales, cap. Relig. de ſent. excomm. in 6. v. habemus:* & ex privilegiis Clementis IV. *conſtit. incip. Virtute conſpicuos*, & Sixti IV. *conſt. incip. Regimini Univerſalis Eccleſiæ, Maremagnum* nuncupata: apud Cherub. *tom.* 1. *Bull. Rom.* Ordinibus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum conceſſis, quibus inſpectis, Regulares ſe ſe, etiam enormiter percutientes, poſſunt a Prælatis Localibus abſolvi, non obſtante reſtrictione juris communis, cum hæc per recenſitas Conſtitutiones ſublata ſit; niſi hujuſmodi poteſtas per ſtatuta regularia a S. Sede approbata Superioribus Localibus limi-

limitata ſit, vel ſublata. In ſtatutis Generalibus noſtri Ordinis *cap.* 7. *§.* 5. decernitur; ***quod ab excommunicatione contracta ob violentam manuum injectionem poſſint Guardianus; vel eo abſente per diem naturalem, Vicarius abſolvere, ſi Miniſtri Provincialis præſentia intra triduum haberi non poſſit. Quod de percuſſione atroci, vel Subditi in Prælatum, numquam intelligendum eſt***: excipitur tamen articulus mortis, in quo, etiamſi percuſſio ſit atrox, & publica, vel ſubditi in Prælatum poteſt, pœnitens abſolvi cum onere comparendi coram Provinciali, ſi convaluerit, quando ille, vel ipſius delegatus commode haberi non poſſint; in articulo etiam neceſſitatis celebrandi, aut communicandi ad vitandum ſcandalum, vel infamiam abſolvi poteſt infra dictum tempus, in caſu tamen occulto, & cum onere, ut ſupra. In ſtatutis verò noſtris reformatis cap. 7. nulla reperitur limitatio pro caſibus reſervatis occultis. Pro publicis ad Min. Provinciales eſt recurrendum: ex Regula cap. 7.

7. Poſſunt Prælati Locales a præfata excommunicatione ſuos ſubditos abſolvere, etiamſi Clericum ſæcularem percuſſerint, quia cum ſint ab Epiſcopi juriſdictione exempti, atque adeo ſuis Prælatis dumtaxat ſubjecti, idcirco non ab Epiſcopo, ut nonnulli docent, ſed ab eiſdem Prælatis facultatem habentibus debent abſolvi, ſive intra, ſive extra Clauſtra leviter, aut graviter manus violentas injecerint; prout conſtat ex privilegiis Innocentii IV. & Clementis IV. non ſolum Prælatis majoribus, ſed etiam inferioribus conceſſis, & relatis in comp. privil. *v. abſolutio Ord. quoad Fratres in adnot. ad §.* 7. & expreſſe tradit Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 12. De licentia tamen Prælati Regularis, vel eo abſente, aut injuſte abſolutionem negante, poteſt Epiſcopus Religioſos exemptos a præfata excommunicatione abſolvere; ut docent Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 39. Coton. *lib.* 2. *Controv.* 7. *cap.* 6. *n.* 192.

8. Habent pariter Superiores prædicti poteſtatem abſolvendi ſubditum percutientem alterius Ordinis Religioſum; requiritur tamen ad condonationem injuriæ, & definitionem pœnæ, ut Superior Religioſi percuſſi præſens ſit ad hoc, ut percuſſorem verberet, & ita pro illata injuria ſibi ſatisfaciat; Superior autem percuſſoris, priuſquam illum abſolvat, debet ab eodem juramentum recipere de non committendo amplius hujuſmodi exceſſum, & ſemel ſaltem illum percutere, ut ſervetur forma conſueta; nec ad aliam ſatisfactionem tenetur percuſſoris Monaſterium ſeu Conventus, nam delictum perſonale non redundat in detrimentum locale, *ex cap. cum venerabilis §. intelleximus de except. & notat* Diana *p.* 9. *tract.* 4. *reſol.* 50. *§. ſed quid*. Quod ſi in imponenda pœna Superiores non concordent, eligendus eſt arbiter, qui ſimul judicium ferat: ut docent Palaus *tom.* 6. *diſp.* 3. *punct.* 23. *§.* 4. *n.* 9. Diana *ut ſupra*, Coton. *lib.* 2. *controv* 7. *cap.* 6. *num.* 195. poteſt tamen unus ex dictis Prælatis vicem ſuam alteri committere, ut notat Sayrus *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 11. Si vero Regularis unius Conventus percutiat Regularem alterius, abſolutio ſpectat ad Provincialem; ſi hic abſit, vel nolit, ad Superiorem Localem percuſſoris, ſed de conſenſu Superioris Religioſi percuſſi: ut colligitur ex cap. *Cum illorum de ſent. excomm.* & tenent Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 28. *n.* 47. & Diana *p.* 9. *tract.* 4. *reſol.* 50. Moniales tamen ſe ſe invicem percutientes, ab eo Prælato, cui immediate ſubſunt, debent abſolvi.

9. Si in Monaſterio, ſeu Conventu ſint duo tantum Sacerdotes, unus Superior, & alius ſubditus, ſeſeque invicem percutiant, licet de jure ordinario unus nequeat alium abſolvere, cum ambo ſint eadem excommunicatione ligati; in caſu tamen neceſſitatis poteſt excommunicatus alium excommunicatum abſolvere, tum quia neceſſitas non habet legem; tum etiam quia ſi in tali caſu poteſt dari abſolutio a peccatis, a for-

a fortiori poteſt dari ab excommunicatione: ut docet Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 2. *tract. de his quæ poſſunt Prælati*. Veriorem tamen cenſeo ſententiam aſſerentem, quod poſſit Prælatus dare facultatem ſubdito abſolvendi ipſum extra Sacramentum a cenſura; ipſe vero a cenſura, & peccatis ſubditum abſolvere, & viciſſim a peccatis Sacramentaliter per illum abſolvi: ita Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 28. *n.* 57. Diana *p.* 9. *tract.* 4. *reſol.* 52.

10. Novitii quoque per Superiores Locales abſolvuntur ab excommunicatione ob enormem percuſſionem in anno Novitiatus incurſa, ut conſtat ex privilegiis in Mari magno Ordinibus Regularibus reſpective conceſſis; cum debito tamen, ut ſi ante profeſſionem a Religione diſcedant, debeant ſe præſentare coram illo, qui alias de jure in ſæculo eos abſolvere poterat, non ad effectum obtinendi abſolutionem, cum revera ſint jam abſoluti, ſed ne in eamdem cenſuram reincidant, ob inobedientiam non ſe præſentandi: *ex cap. Eos, qui de ſent. excomm. in 6. lib.* 5. *tit.* 11. & tenent Sylveſt. *V. abſolutio* 5. *n.* 9. Sorbus *V. Novitius tit. de Novit. abſolut.* idcirco ſic abſoluti, & ad ſæculum revertentes moneantur ut ſe præſentent, ne iterum eadem cenſura innodentur. Illi autem, qui ante Novitiatum præfatam cenſuram erant incurſi, nequeunt a Prælatis Regularibus abſolvi, ſed mitti debent ad quos de jure ſpectat, aut ab eis facultatem obtinere; ut bene notat Mattheuccius *Official. quoad abſol. excomm. canon. n.* 62.

11. Habent Superiores Locales poteſtatem abſolvendi ſuos ſubditos nominatim denuntiatos, vel declaratos excommunicatos a Legatis, vel Judicibus Apoſtolicis, aut ab Epiſcopis, etiam in caſibus ſibi ſpecialiter a Papa commiſſis; dummodo ſerventur conditiones ſequentes: 1. ut abſolvendus recedat ante abſolutionem a contumacia. 2. ut prius ſatisfaciat, vel ſi non poſſit, ſatisfactionem ſerio promittat. 3. ut Judicem, qui cenſuram tulit, de obedientia ei, & Eccleſiæ præſtita, ac de obtenta abſolutione certum reddat: idque conſtat ex pluribus Apoſtolicis privilegiis, præſertim Eugenii IV. conſt. incip. *Injunctum nobis*, apud Cherub. tom. 1. & Pauli III. in indulto Societati Jeſu conceſſo, per Conſt. incip. *Licet debitum*, apud eumdem Cherub. tom. 1. & tenent Suarez *tom.* 4. *de Religione lib.* 2. *cap.* 25. Roder. *tom.* 1. *qu.* 20. *art.* 6. Miranda *tom.* 1. *qu.* 75. *art.* 21. quibus privilegiis omnes Ordines Regulares per communicationem fruuntur. Advertendum tamen, quod dicti Superiores non poſſunt præfatos excommunicatos abſolvere, ſi a Prælatis majoribus, vel ab Ordinis ſtatutis prohibitionem habuerint.

12. Poſſunt Prælati Locales abſolvere, etiam pro foro externo, ſubditos, qui ob procuratum, ſecutumque abortum fœtus animati excommunicationem contraxerunt; nam licet per Sixtum V. privilegium hujuſmodi revocatum fuerit, & per Gregorium XIV. ejus ſucceſſorem in ſua moderatoria conſtitutione non revalidatum; poſt ipſos tamen Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. motu proprio, ex certa ſcientia, & de poteſtatis plenitudine omnia Regularium privilegia confirmarunt, & innovarunt, prout diximus *tract.* 1. *cap.* 4. & 6.; confirmatio enim cum præfatis clauſulis facta, invalidum & revocatum revalidat, necnon vim novæ conceſſionis habet: *ex cap.* 1. *de tranſact. cap. Quoties, de pactis, & eſt comm. D. D. ſent.*

13. Poſſunt etiam prædicti Superiores abſolvere ſubditos ſuos a ſimonia in collatione Beneficii, vel Officii ſeu Prælaturæ, & ingreſſu Religionis commiſſa, idque toties quoties; ut docet Rodericus *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 13.; & quamvis ibidem aſſerat, præfatos non poſſe abſolvere a ſimonia in receptione Ordinis Sacri commiſſa, cum Sixtus V. in ſua Bulla contra Clericos male promotos facultatem abſolvendi revocaverit, & Clemens VIII. ejus ſucceſſor hujuſ-

Digitized by Google

modi revocationem in ſuo robore reliquerit; ſalvo tamen meliori judicio, his non obſtantibus, tenendum eſt poſſe abſolvere: ratio eſt, quia juxta communem D. D. ſententiam, quando Pontifex ſucceſſor cum clauſulis relatis ſupra Regularium privilegia confirmat, eadem pariter revalidat, etiamſi per ſuos anteceſſores eſſent revocata; ſed Paulus V. & Urbanus VIII. aliique ſucceſſores poſt Sixtum, & Clementem præfata privilegia cum dictis clauſulis confirmarunt, & innovarunt, ut dictum eſt *tract.* 1. *cap.* 4. & 6. ergo revalidatis privilegiis, per Sixtum V. revocatis, poſſunt proculdubio Superiores Locales etiam a præfata cenſura ſuos ſubditos abſolvere: ita Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 4. Roſell. *V. abſolutio n.* 13. & alii commun. ex Mari magno Sixti IV.

14. Hoſpites quoque Religioſi poſſunt per prædictos Superiores a præfatis cenſuris in foro conſcientiæ abſolvi, etiamſi fuerint declarati, aut denunciati excommunicati, ſervatis tamen conditionibus, ut ſupra *n.* 11. prout conſtat ex conceſſione Clementis IV. *apud Monum. Ord. conceſſ.* 318. & 319. ubi habetur: *Necnon Fratribus aliis ejuſdem Ordinis ad eos declinantibus undecumque, abſolutione, & diſpenſatione indigentibus*; conſtat etiam a ſimili ex quadam declaratione Tridentini *ad cap. 6. ſeſſ.* 24. *de Reform.* apud Barboſam *in collect. n.* 50., & docet Suarez *tom* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. Villalob. *p.* 1. *Summæ tract.* 1. *difficul.* 64. *n.* 2. qui illam facultatem extendunt ad quaſcumque cenſuras in Religione, vel in ſæculo contractas, & Sedi Apoſtolicæ non reſervatas.

15. A cenſuris pariter in contemptum clavium a ſubditis incurſis poſſunt dicti Superiores abſolvere, nam privilegium Clementis IV. S. Pii V. & alia privilegia ſuperius allegata abſolute; & ſine ulla limitatione hujuſmodi facultatem eiſdem concedunt. Peccare in contemptum clavium, & Eccleſiæ eſt, cum quis renuit ſe ſubmittere Eccleſiæ poteſtati, putans illam eſſe injuſtam, indiſcretam, & intollerabilem, ſed credens penes ipſam reſidere poteſtatem clavium; ſecus autem quando quis movetur ex odio, ira, & paſſione, credit tamen Eccleſiam eſſe juſtam, diſcretam, & tollerabilem, a Spiritu Sancto rectam, & ejus poteſtatem a Deo collatam, nam tunc non dicitur in contemptum clavium peccare, ſed ex dicta cauſa particulari, etiam ſi ſæpe ſæpius propter eamdem cauſam eadem met peccata committat; ita D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 15. Sylveſter *V. Contemptus n.* 1. & 2. Lezana *tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum*, *n.* 570. & alii.

16. Poſſunt probabiliter dicti Prælati abſolvere ſuos ſubditos, qui ex confidentia privilegiorum aliquod peccatum commiſerunt, ſi ex negatione abſolutionis periculum animarum immineat, notificando ipſis pœnitentibus quod hujuſmodi facultas eis amplius non proderit ad alia, cum dicta confidentia forte committenda; ut notat Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 16. referens privilegia Clementis IV. Bonifacii IX. & Eugenii IV. & admonens Superiores Regulares, ne virtute dictorum privilegiorum ſe oſtendant faciles ad abſolvendum ab his exceſſibus, quæ cum confidentia ipſorum a ſubditis committuntur, niſi periculum ſpirituale timeatur. Tunc dicitur quis peccare in confidentiam privilegiorum, quando ex conceſſione facultatum Apoſtolicarum movetur ad committendum id, ad quod alias minime moveretur; ita ut videndo ſibi facile remedium per tales facultates adeſſe, ſicut adeſt ad alia peccata non reſervata, certe non curet magis illa cavere, ac ſi reſervata non eſſent.

17. Suſpenſio a divinis, ex delicto occulto a ſubditis incurſa, poteſt a Superioribus Localibus abſolvi, ſed in foro conſcientiæ tantum, ut conſtat ex Bulla S. Pii V. quæ incipit. *Romani Pontificis circumſpecta*, apud Cherub. tom. 2. immo poteſt etiam abſolvi pro foro externo, ſi ſuſpenſio non

Digitized by Google

non ſit Papæ reſervata: prout evidenter colligitur ex cap. *Nuper, de ſent. excommun.* cum illa non infligatur ex natura ſua ob delictum prohibitum, ſed propter ſolam contumaciam, a qua ſicut Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos abſolvere, poſſunt pariter præfati Superiores abſolvere ſuos: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 2. *art.* 14. & a'ii.

18. Poſſunt Prælati Locales abſolvere ſuos ſubditos a ſuſpenſione a divinis, aliiſque cenſuris, & pœnis Papæ reſervatis, ab eiſdem occulte contractis, eo quod intra clauſuram Conventuum mulieres ad malum finem, vel prætextu licentiarum admittere, ſeu introducere præſumpſerint contra S. Pii V. conſtitutionem incip. *Regularium perſonarum*, relatam a Roder. *tom.* 1. *q.* 48. *art.* 1. & a Cherub. *tom.* 2. *Bull. Rom.*, *cum declaratoria Gregorii XIII.*; ab excommunicatione quoque Papæ reſervata, occulta tamen, incurſa a ſubditis utriuſque ſexus violantibus clauſuram Monialium, ſive per ingreſſum, ſive per egreſſum, etiam ad finem venereum, juxta decretum Clementis VIII. anno 1601. editum, necnon ab aliis cenſuris Papalibus extra Bullam Cœnæ ſuos ſubditos abſolvere, & abſolvi facere valent; & hoc ex vi privilegii Clementis IV. in Bulla, quæ incipit: *Virtute conſpicuos*; inſerta in Mari magno Sixti IV. apud Cherub. *tom.* 1. aliorumque a Summis Pontificibus conceſſorum, de quibus ſupra.

19. Habent etiam poteſtatem Superiores Locales abſolvendi ſuos ſubditos, etiam Novitios, ſed quoad iſtos cum conditionibus relatis ſupra *n.* 10. Tertiarios quoque commenſales, non ſolum a præfatis cenſuris, ſed etiam a contentis in Bulla Cœnæ, dummodo hæ ſint occultæ; exceptis tamen quinque, videlicet: *Hæreſi*; *ſchiſmate*; *falſificatione Litterarum Apoſtolicarum*; *deportatione armorum ad infideles*; *& conſpiratione facta contra Papam*: quintus tamen caſus pro Prælatis Ordinis Minorum Obſerv. & Reformat. non manet reſervatus, ut conſtat *ex conſt. general. cap.* 7. gaudent enim dicti Superiores præfata poteſtate activa, paſſiva, & commiſſiva ex vi ſui muneris, tum ex conceſſione Tridentini *Seſſ.* 24. *de Reform. cap. Liceat*; tum etiam ex citatis privilegiis Clementis & Sixti IV. & S. Pii V. Nec obſtat, quod S. Congregatio juſſu Urbani VIII. anno 1628. declaraverit, non poſſe Regulares in vim ſuorum privilegiorum a caſibus in dicta Bulla contentis abſolvere, quia tam prædicta, quam conſimiles declarationes Congregationis præſatæ ſemper debent intelligi reſpectu Sæcularium, non vero Regularium, ſi eorum delicta ſint occulta; nam in odioſis non comprehenduntur Regulares Prælati erga ſuos ſubditos, niſi in ſpecie exprimantur; ut cum communi docent Peyrinus *tom.* 1. *&* 3. *ad addit. ad conſt. Sixti IV. n.* 30. *&* 37. Roder. *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 9. Bordon. *tom.* 1. *q.* 10. *reſol.* 2. vide etiam ſupra *tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 18. & infra *n.* 23.

20. Sub hæreſi excepta in præcedenti reſolutione non videtur comprehenſa excommunicatio lata contra ſcienter legentes, retinentes, & imprimentes hæreticorum libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſi hujuſmodi delinquentes in aliquam hæreſim formalem lapſi non fuerint, cum in tali caſu nequeant revera dici hæretici, ſed ſolum de hæreſi ſuſpecti, prout cum communi docet Diana *p.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 55. quapropter licet hujuſmodi excommunicatio contra prædictos lata, ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, ab eadem tamen Superiores Locales abſolvere ſuos ſubditos valent, ſicut poſſunt abſolvere eoſdem de hæreſi dumtaxat ſuſpectos: ut docent *comm. D. D.*

21. Poſſunt etiam Superiores Locales abſolvere ab illis quinque caſibus, ſupra *n.* 19. exceptis, ſubditos ſuos, qui ob aliquod impedimentum perpetuum, vel diuturnum, Sedem Apoſtolicam adire non valent; nam quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel ejus legatum, aut delegatum, niſi cum magna difficultate, & mora, poteſt

pœnitens ab inferiore abſolvi, cum onere tamen comparendi coram Pontifice, vel legato, aut delegato perſonaliter, aut ſaltem per litteras, ceſſante impedimento: ut dicitur in cap. *Eos*, *qui de ſent. excom. in* 6. aliter reſervatio, quæ pro bono caritatis introducta eſt, contra caritatem vergeret, & poteſtas retinendi peccata, data, ut loquitur Apoſtolus, in ædificationem, eſſet in deſtructionem: ita *comm. D. D.*

22. Si quæris, an per Bullam Cœnæ revocentur, vel reſtringantur privilegia quoad abſolutiones præfatas; reſp. minime revocari, aut reſtringi, niſi quoad caſus publicos in eadem Bulla contentos, *exceptis quinque ſupra recenſitis*, non vero quoad occultos a Regularibus incurſos; bene tamen quoad omnes tam publicos, quam occultos Sæcularium: vide quæ dicta ſunt ſupra *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 21. *de privil. Provinc.*

23. Poteſtas Superiorum Localium abſolvendi ſuos ſubditos a cenſuris præfatis, poteſt extra Sacramentalem Confeſſionem ab eiſdem exerceri; ratio eſt, quia privilegia quoad hoc a Summis Pontificibus Prælatis Regularibus abſolute, & ſine ulla reſtrictione ſunt conceſſa: & ita docent Roder. *tom.* 1. *q.* 17. & 20. *art.* 7. Portell *V. Prælati poteſtas ad abſol. n.* 27. Diana *p.* 4. *miſcellan. reſol.* 8. & alii apud ipſum: immo poteſt aliis delegari a præfatis Superioribus, qui quidem reſpectu dictorum privilegiorum habent juriſdictionem ordinariam, prout conſtat ex Mari magno Sixti IV. in favorem Prælatorum etiam Localium Ord. Prædicatorum, & Minorum, ut docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 46. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 40. *n.* 14. & quamvis idem Sixtus IV. in ſua Bulla *aurea* nuncupata, in qua ampliſſimum privilegium abſolvendi, & diſpenſandi Ordinibus Prædicatorum, & Minorum concedit, ad ſolos Generales, & eorum Vicarios, alioſque dictorum Ordinum, quibus ipſi facultatem commiſerint, reſtrinxerit; poſtea tamen die 28. Maii 1481. Pontificatus ſui anno X. hujuſmodi reſtrictionem revocavit, & ad terminos conceſſionum juxta prædictum Maremagnum reduxit: prout refert Confectius *in collect. litter. Apoſtol. poſt præfatam Bullam auream fol.* 74. ubi non ſolum Generales, & Provinciales, ſed etiam Superiores Locales expreſſe nominantur, atque adeo poſſunt iſti facere quoad abſolutiones, & diſpenſationes in ſuis Conventibus quicquid poſſunt Generales in toto Ordine, & Provinciales in ſuis Provinciis, niſi per ſpeciale ſtatutum hujuſmodi facultas eiſdem reſtricta, vel ſublata fuerit. Advertendum tamen, quod ille qui habet auctoritatem delegatam, tenetur in actu Sacramentalis Confeſſionis eam exercere, quando abſolutio cenſurarum datur pro foro interno; ſecus autem ſi detur pro foro dumtaxat externo.

CAP. V.

De poteſtate diſpenſativa in genere, quam habent Superiores Locales reſpectu ſuorum Subditorum.

1. POteſtas ordinaria diſpenſandi cum ſuis ſubditis competit Superioribus Localibus, tum jure communi ex cap. *Cum ad Monaſterium de ſtat. Monachor. cap. Qualis tunc* 4. *diſt.* 23. tum etiam ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, Bonifacii IX. Gregorii XI. Sixti IV. in ſuo Marimagno, & S. Pii V. Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta:* apud Cherub. tom. 2. hujuſmodi autem poteſtas nihil aliud eſt, quam facultas eximendi ſubditos ab obligatione Legis ſive in toto, ſive in parte; natura tamen diſpenſationis talis eſt, ut ea ſine cognitione cauſæ fieri nequeat: nam Prælati omnes, excepto Summo Pontifice, in materia gravi juris communis, vel præceptorum ſine cauſa diſpenſantes, mor-

Digitized by Google

mortaliter peccant, & impetrantes hujuſmodi diſpenſationem, eadem uti minime poſſunt, cum nulla, & invalida ſit, prout docent Navarrus *in Manual. cap.* 12. *n.* 76. Cajetan. *in ſumm. v. diſpenſatio*, Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 9. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 5. & alii.

2. Plures dantur cauſæ ad legitime diſpenſandum, videlicet tempus, utilitas publica, vel privata petentis diſpenſationem; qualitas perſonæ, meriti, ſcientiæ; neceſſitas, pietas; eventus rei, qui facit, ut jus aliquando non ſit utile, ſcandalum multitudinis, vel infamia ſupplicantis: prout docent Angelus, & Sylveſt. *v. diſpenſatio*, Peyrinus *de ſubdito tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 12. Roder. *tom.* 1. *q.* 22. *art.* 5. Quatuor tamen ponuntur in jure communi cap. *Neceſſaria*, & cap. *Quod pro remedio*: nempe caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & Reipublicæ utilitas; ſed cum una generali regula minime comprehendi poſſint, idcirco in particularibus caſibus Viri prudentis judicio ſunt perpendendæ, ut bene notat *cit.* Roder.

3. Poteſtas Superiorum Localium ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis, Novitiis, ac Tertiariis, ſeu Donatis collegialiter viventibus extenditur proculdubio ad omnes caſus, in quibus Epiſcopi cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſunt, tum ex jure communi, tum ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *Liceat*. Tum etiam ex privilegiis plurium Summorum Pontificum, præſertim S. Pii V. Conſt. incip. *Romani Pontificis circumſpecta*: & Conſt. ejuſdem incip. *Dum ad Congregationem Caſſinen.* apud Cherub. tom. 2. immo in multis ampliorem eſſe, aſſerunt communiter D. D. ſecus Regularium ſtatus, qui ab Epiſcoporum juriſdictione exemptus eſt, pejoris conditionis eſſet quam ſæcularium, ſi Prælati Regulares hujuſmodi poteſtate non fruerentur, ſicut innuit prædictus S. Pius V. in ſua Bulla.

4. Licet Superiores Locales poſſint cum ſuis ſubditis diſpenſare in obſervantiis Regularibus levioribus, & frequentioribus, pro quibus recurrere ad Superiores majores difficillimum foret; ut cum aliis docet Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 54. in obſervantiis tamen ſubſtantialibus, v. g. in votis ſpecialibus, quæ in aliquibus Religionibus emittuntur, vel in præceptis ad mortale obligantibus, aut in legibus, ſeu ſtatutis, quæ in Religione pro gravioribus habentur, etiamſi ad culpam non obligent, diſpenſare non valent; exceptis caſibus in quibus Regularia ſtatuta hujuſmodi licentiam eiſdem concedunt, interveniente aliqua urgente neceſſitate: ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. Roder. *tom.* 1. *q.* 26. *art.* 1. qui hanc aſſertionem probant ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 1. ubi dicitur: *Superiores non poſſunt, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxare*; igitur cum exceptio firmet regulam in contrarium, juxta mentem Tridentini poſſunt a Prælatis diſpenſari ea, quæ regularis vitæ ſubſtantiam non attingunt.

5. Non poſſunt dicti Superiores diſpenſare cum ſuis ſubditis in pœnis Canonicis, & inhabilitatibus ad officia, & dignitates, ac privationibus officiorum vocis activæ, & paſſivæ ab eiſdem contractis ob delicta in Bullis Apoſtolicis contenta, vel in iis, quæ a Superioribus ſunt inflicta; nullibi enim id Superioribus Localibus reperitur conceſſum, ſed ſolis Generalibus, & Provincialibus hujuſmodi facultas competit: prout docet Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 17.

6. Inhabilitas ad officia, & dignitates eſt pœna, quæ prohibet, & obligat illum, qui caret officio, vel prælatura, ut in poſterum, etiam ſponte oblata, non acceptet; nam ſi acceptat, mortaliter peccat, & officii, vel prælaturæ collatio eſt nulla, niſi id faciat ad vitandum ſcandalum, vel infamiam. Privatio vocis activæ, & paſſivæ eſt ad ferenda, & conſequenda ſuffragia, ita ut privatus nec eligere, nec eligi ad quodcumque officium Ordinis poſſit, poteſt tamen ad Sacros Ordines promoveri, illoſque exercere, ſicut & prædicare,

legere, Confeſſiones, etiam Monialium, audire, ſuffragia in receptione, & profeſſione Novitiorum ferre, & eorumdem Magiſter eſſe. Privatio actuum legitimorum eſt inhabilitatio ad omnia Ordinis officia, quæ cum dignitate, & ſuperioritate conjuncta ſunt, ut Miniſteriatus, & Commiſſariatus generalis, Provincialiatus, Diffinitoriatus, Guardianatus, & ſimilia; poteſt tamen ſic privatus ſacras Ordinum functiones exercere, & ad Sacros Ordines promoveri, prædicationes quoque, & lectiones exercere, ſed non Confeſſiones, ſaltem ſæcularium, audire; bene tamen Monialium Confeſſarius poteſt inſtitui, ac Magiſter Novitiorum eſſe, & pro eis ad profeſſionem admittendis ſuffragia ferre. Privatio officiorum Ordinis eſt inhabilitatio, non ſolum ad omnia prædicta, ſed etiam ad Confeſſionis, prædicationis, lectionis, Paternitatis, & viſitationis munera obeunda; poterit tamen Sacros Ordines recipere, ac ſacras eorum functiones exercere, qui ſic privatus fuerit. Hæ ſunt pœnæ, quæ in Ordine Minorum Fratribus delinquentibus imponuntur, ex ſtat. general. *cap. 7. §. 6. a n. 1. & ſeqq.*

7. De jure communi, & ex privilegiis poſſunt Superiores Locales *ex juſta cauſa* diſpenſare cum ſuis ſubditis in præceptis Eccleſiaſticis, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis, ut in jejuniis, in Divino Officio, in ſervitio Chori, ut in die feſto laborent, & ſimilibus; prout conſtat ex Conceſſionibus Eugenii IV. Sixti IV. Julii II. & præcipue S. Pii V. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circumſpecta*, apud Cherub. tom. 2. in qua privilegium conceſſum Epiſcopis a Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6.* extenditur ad Superiores etiam Locales Ordinis Prædicatorum, & per communicationem ad aliorum quoque Ordinum Superiores: ita Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 12. n. 14. & 17.* Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 55.* Bordon. *tom. 1. reſol. 10. n. 6.* & alii.

8. Superiores Locales non poſſunt diſpenſare cum ſubditis, ut ad ſtrictiorem Ordinem tranſire valeant; nam quamvis in cap. *Licet de Regular.* indiſtincte dicatur, quod licentia tranſeundi ad arctiorem petenda ſit a Prælatis Religionis, quo nomine veniunt etiam Superiores Locales, hujuſmodi tamen facultatem, *ſecluſis ſpecialibus ſtatutis*, ſolum competere Generalibus, vel Provincialibus, docent communiter D D. ſi enim Prælatis Localibus mutare Religioſos de uno ad alium Conventum non competit, multo minus eiſdem competit dare licentiam de una ad aliam Religionem tranſeundi: ita cum multis Peyrinus *de ſubdito q. 1. cap. 24.*

9. Quamvis de jure communi, *& ſecluſis ſpecialibus ſtatutis*, poſſint Superiores Locales, *juſta interveniente cauſa*, diſpenſare cum ſubditis in pœnis jure Religionis impoſitis & non reſervatis; numquam tamen id facere poſſunt in pœnis ab homine inflictis, niſi detur urgentiſſima cauſa, & defectus recurſus ad Superiores majores: ut docet Pellizar. *tract. 9. cap. 3. n. 186.* Dixi *ſecluſis ſpecialibus ſtatutis*, nam in noſtro Minorum Ordine nullus Prælatus inferior pœnas a Prælatis majoribus impoſitas alterare, vel remittere valet, ſub eiſdem & gravioribus pœnis Superioris arbitrio, prout conſtat *ex ſtat. general. cap. 7. §. 6. n. 77.*

10. Poſſunt dicti Superiores uti erga ſe ipſos omnibus facultatibus, & diſpenſationibus, quibus uti poſſunt erga ſubditos ſuos, niſi contrarium in aliqua Religione ſpecialiter ſtatutum ſit; cum deterioris conditionis non ſint, nec exercere hujuſmodi juriſdictionem erga ſe ipſos ulli juri repugnet; hæc enim nec contentioſa, nec ſacramentalis eſt, ſed ſolum poſtulat directionem ex prudenti judicio ad perpendendam diſpenſationis cauſæ juſtitiam: ita Delbene *tom. 2. cap. 15. dub. 7. ſect. 8. n. 36.* Bord. *tom. 1. reſol. 10.* Candidus *tom. 2. diſp. 24. art. 59. dub. 7.* Bellaſius *v. diſpenſare n. 12.* & alii.

CAP.

C A P. VI.

De poteſtate, quam habent Superiores Locales, diſpenſandi cum ſuis Subditis ſuper irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis.

1. IRregularitas eſt impedimentum Canonicum impediens Ordinum ſuſceptionem, & ſuſceptorum executionem, ex ſolo jure proveniens; quæ quidem, ut nonnulli docent, non poteſt dici cenſura, nam hæc tollitur abſolutione, illa vero diſpenſatione, & licet interdum imponatur per modum pœnæ, non ideo colligitur quod ſit cenſura: ut conſtat ex cap. *quærenti* 20. *de verbor. ſignif.* ubi hæc quæſtio ab Innocentio III. expreſſe definitur. Notandum tamen 1. quod nulla irregularitas incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis. 2. quod in actibus, per quos poteſt incurri, datur parvitas materiæ. 3. quod ad incurrendam irregularitatem ſive ex defectu, ſive ex delicto, non requiritur ſcientia juris; cum, ut dictum eſt, ea non ſit pœna, ſed impedimentum, ſeu inhabilitas. 4. in dubio juris, vel facti nemo cenſendus eſt irregularis in aliis caſibus, *præter homicidium*. 5. irregularitas ex delicto non incurritur, niſi per actum externum conſummatum, & mortalem; ut docent *comm. D. D.*

2. Irregularitas dividitur in eam quæ oritur ex defectu, & in eam quæ oritur ex delicto; utraque tamen in varias ſpecies ſubdividitur: ſpecies irregularitatis ortæ ex defectu, ſunt octo, 1. eſt ex defectu animæ. 2. ex defectu corporis. 3. ex defectu natalium. 4. ex defectu ætatis. 5. ex defectu Sacramenti. 6. ex infamia juris. 7. ex defectu lenitatis. 8. ex defectu libertatis. Species irregularitatis ex delicto provenientis, ſunt ſex. 1. eſt ex iteratione baptiſmi. 2. ex violatione cenſuræ. 3. ex indebita Ordinum ſuſceptione. 4. ex indebito Ordinum exercitio. 5. ex hæreſi, & infamia ob notoria crimina. 6. ex mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, de quibus omnibus conſule D. D.

3. Poſſunt Superiores Locales diſpenſare ſubditos ſuos, hoſpites etiam, ac Novitios in utroque foro ſuper omni irregularitate, præſertim ex delicto proveniente, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum oritur, prout infra clarius explicabitur: idque conſtat ex variis Summorum Pontificum privilegiis, Julii II. in ſuo Marimagno pro Minimis, Sixti IV. in ſuo pariter Mari magno pro Prædicatoribus, & Minoribus apud Cherub. *tom.* 1. Pauli III. in Bulla quæ incipit: *Licet debitum*, relata in comp. privil. Societatis Jeſu; & S. Pii V. in Bulla incip. *Romani Pontificis circumſpecta*, relata ſupra; in quibus omnibus eadem facultas, quæ Generalibus, ac Provincialibus tribuitur, Superioribus etiam Localibus expreſſe conceditur; unuſquiſque tamen perpendat, an per ſui Ordinis ſtatuta hujuſmodi facultas reſtricta, vel limitata ſit, videat præterea quæ diximus cap. 5. hujus tractatus *a n.* 1. *& ſeqq.* ubi objectionibus abunde ſatisfecimus. Vide *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 3.

4. Habent etiam dicti Superiores facultatem diſpenſandi cum ſubditis ſuper irregularitate ex defectu natalium proveniente, ut non ſolum Sacros Ordines poſſint ſuſcipere, ſed etiam ad Prælaturas, & dignitates (Generalatu ſemper excepto) promoveri: prout conſtat ex citato Mari magno Sixti IV. incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*; & ex Bulla Julii II. incip. *Virtute conſpicuos*; ubi conceditur non ſolum Generalibus, & Provincialibus, verum etiam Superioribus Localibus præfata poteſtas diſpenſandi cum ſubditis illegitime natis ex quovis illicito concubitu; & quamvis poſtea revocata fuerit a Sixto V. per Bullam incip. *Cum de omnibus Eccleſiaſticis*, eamque Gregorius XIV. modificaverit, ordinando tamen quod non niſi in Capitulo Generali, vel Provinciali hujuſmodi diſpenſatio fieret;

Digitized by Google

anno vero 1591. idem Gregorius Conſt. incip. *Exponi Nobis*, Religioni Societatis Jeſu; & Conſt. incip. *Illius*, *qui pro gregis*, apud Cherub. *tom.* 2. Religioni Miniſtrantium infirmis abſolute, & abſque ulla limitatione dictam facultatem conceſſit, qua conceſſione gaudent proculdubio per communicationem ceteri Ordines Regulares: ea tamen non utuntur Religioſi ſtrictioris obſervantiæ S. Franciſci, ſed ſervant dictam Sixti V. Conſtitutionem; prout ordinatur in eorum ſtatutis *cap.* 2.

5. Non poſſunt Prælati Locales diſpenſare cum ſubditis aliquo enormi corporis, vel etiam animi vitio, morbo, & defectu laborantibus, ex quo oriri poſſit ſcandalum, neque cum infamibus infamia juris, Sodomitis notoriis, damnatis ad triremes, poſtquam ſunt reverſi, cum *a triremibus ad Altare non detur regreſſus*; hi enim ſunt caſus ſpecialiſſimi, quos Papa ſibi ſpecialiter reſervat, & ſuper quibus vix ipſe diſpenſat: neque in dubio de irregularitate ex animi, vel corporis vitio proveniente habent poteſtatem judicandi, nam id ad locorum Ordinarios dumtaxat pertinet: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 32. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *diſp.* 15. *p.* 4. *num.* 3. Candidus *tom.* 2. *diſquiſ.* 24. *art.* 61. *dub.* 7. Navarrus *cap.* 18. *num.* 200. & alii.

6. Licet Superiores Locales diſpenſare non valeant cum ſubditis in bigamia vera, & interpretativa, quæ quidem in privilegiis apoſtolicis ſemper invenitur excepta, ac Summo Pontifici reſervata, nedum quoad Ordines Sacros, verum etiam quoad minores ſuſcipiendos; prout colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *ad finem*; & expreſſe declaravit S. Cardinalium Congregatio apud Garziam *p.* 7. *cap.* 6. *num.* 5. cum bigamis tamen bigamia tantum ſimilitudinaria, quando ſcilicet poſt votum ſolemne caſtitatis matrimonium contraxerunt, & conſummarunt, diſpenſare proculdubio poſſunt; ut docent communiter D. D. *ex cap.* 1. *qui Clerici*, *vel voventes*; ubi concluſionem firmant Panormit. Cardinal. & Præpoſitus, quos refert Navarrus in Manual. *cap.* 27. *num.* 197. *in fine*, qui omnes tenent, poſſe Epiſcopos, ac Prælatos Regulares in dicta irregularitate diſpenſare, quia nullibi de ea facta eſt reſervatio.

7. Cum ſubditis infamia juris maculatis, ut cum convictis de crimine nefando, vel aliis, de quibus ſupra *tract.* 1. *cap.* 7. *num.* 8. ſive ante, ſive poſt ingreſſum Religionis, non poſſunt dicti Superiores diſpenſare: nam ut habetur in cap. *Infames*, ubi Gloſſ. *de reg. ur. in* 6. ſolus Papa in præfatis diſpenſat; & ita docent communiter Juriſperiti, prout latiſſime probat Navarrus in ſuo Manual. *cap.* 27. *num.* 248. Cum ſubditis tamen irregularibus ex infamia facti, quæ oritur ex crimine gravi notorio, poſtquam purgata eſt per pœnitentiam, & vitæ emendationem, bene poſſunt Superiores Locales diſpenſare; *ex cap. Domino diſt.* 50. & *cap. Euphemium* 2. *q.* 3. cum Gloſſ. & docent Navarr. *cap.* 25. *num.* 75. & 76. Miranda *tom.* 2. *q.* 8. *art.* 5. & alii.

8. Poſſunt Prælati Locales diſpenſare ſuos ſubditos in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente, ut conſtat ex privilegiis Apoſtolicis ſupra recenſitis Clementis IV. Sixti IV. Julii II. & S. Pii V. in quibus ſolum excipitur irregularitas ex homicidio voluntario, vel bigamia, aut mutilatione membrorum contracta, nam id quod dicitur de homicidio voluntario, non eſt intelligendum de quocumque homicidio, ſed de homicidio voluntario injuſto, & illicito, non vero de illo, quod juſte a Judice, ejuſque miniſtris fit, propter quod, effectu ſecuto, irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur; idem dico de occiſione in bello juſto, vel mutilatione membrorum juſte facta, cum hujuſmodi actiones nullo modo ſint illicitæ: juxta doctrinam Cajetani *in ſumm. V. irregularitas*: Navar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 240. Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 8. Candid. *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 61. *dub.* 19. Bordon.

don. *tom.* 1. *reſol.* 13. *num.* 14. & aliorum commun.

9. Poſſunt pari modo Superiores Locales diſpenſare ſuos ſubditos in foro conſcientiæ in irregularitate proveniente ex homicidio caſuali, vel facto in juſtam defenſionem cum aliquo exceſſu, prout conſtat ex Conſtitutionibus Eugenii IV. *Cum Monaſteriorum*, Sixti IV. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, Julii II. *Virtute conſpicuos*: apud Cherub. *tom.* 1. & Rodericum in Bullar. necnon S. Pii V. *Romani Pontificis circumſpecta*; item ejuſdem: *Dum ad Congregationem Caſſinen.*, apud Cherub. *tom.* 2. In quibus prædicti Pontifices concedunt nedum Generalibus, ac Provincialibus, verum etiam Superioribus Localibus, etiam per viam communicationis, ut poſſint cum ſubditis ſuper omni irregularitate, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum procedit diſpenſare, homicidium autem, quod excipitur in dictis Conſtitutionibus, & in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *&* *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. eſt illud, quod per inſidias, & ex propoſito fit, cum expreſſa voluntate occidendi; at caſuale non eſt per ſe, & directe volitum, ſed indirecte, & per accidens, ut cum quis dans operam rei illicitæ, non ex intentione hominem occidit; vel etiam dans operam rei licitæ, debitam diligentiam non adhibuit: ita Barboſa *de offic. & poteſt. Ep. p.* 2. *alleg.* 39. *num.* 47. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 13. *q.* 4. *num.* 15. Avila *de cenſ. p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 2. *concl.* 2. & alii. Numquam tamen poſſunt diſpenſare ſuper irregularitate ex homicidio voluntario injuſto, quantumvis occulto, contracta; rationes vide ſupra *tract.* 1. *cap.* 7. *num.* 13. neque ſuper illa, quæ contrahitur a ſubdito, qui abortum fætus animati procurat, vel auxilium, aut conſilium dat, effectu ſecuto; prout diximus *cit. tract. & cap. num.* 15.

10. Habent etiam Superiores præfati facultatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis ſuper irregularitate ex mutilatione membrorum contracta, dummodo ſit occulta, & non deducta ad forum contentioſum; prout clare deducitur ex privilegiis Apoſtolicis ſupra recenſitis; præſertim Sixti IV. & S. Pii V. & ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* ubi ſolum prohibetur facultas diſpenſandi in irregularitate, quæ ex homicidio voluntario injuſto, quomodocumque occulto, oritur; exceptio enim firmat regulam in contrarium, & in odioſis non ſit extenſio: ita Roder. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 10. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 71. Portell. *V. diſpenſare num.* 7. & alii.

11. Cum ſubditis irregularibus ex delicto hæreſis occultæ; numquam tamen publicæ, valent Superiores Locales diſpenſare, cum hujuſmodi facultas nullibi appareat revocata; propterea ſicut Epiſcopi id poſſunt cum ſubditis, ita pariter Superiores Regulares cum ſuis, ex conceſſione Sixti IV. in Mari magno Prædicatorum, & S. Pii V. in Bulla incip. *Romani Pontificis circumſpecta*, apud Cherub. *tom.* 1. *&* 2. in favorem etiam Prædicatorum edita, ubi Priores Conventuum expreſſe nominantur, & per communicationem ceteri aliorum Ordinum Regularium Superiores Locales, ſeu Conventuales eodem privilegio proculdubio fruuntur: ita *commun. D. D.*

12. Poſſunt Superiores Locales diſpenſare ſuper irregularitate proveniente ex delicto occulto indebitæ ſuſceptionis, vel executionis Ordinum, a ſubditis ſuſpenſis, excommunicatis, vel ante legitimam ætatem, abſque licentia, per ſaltum, ab Epiſcopo ſuſpenſo, vel alio aliquo modo illicito ordinatis, contracta, ut conſtat ex Mari magno Sixti IV. & ex Bullis S. Pii V. relatis ſupra; & quamvis Sixtus V. in ſua Conſtitutione incip. *Sanctum*, *& ſalutare*, apud Cherub. *tom.* 2. hujuſmodi privilegia revocaverit, poſt ipſum tamen Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. motu proprio, & ex certa ſcientia eadem confirmarunt, & innovarunt cum illa clauſula: *Dummodo*

decre-

Digitized by Google

decretis S. Concilii Tridentini non adverſentur; cum autem ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 12. conſtat, ea privilegia dictis Decretis non adverſari, idcirco aſſerendum eſt Superiores Locales diſpenſare poſſe in præfata irregularitate, necnon in ea quæ ex Baptiſmi iteratione contrahitur, dummodo ſit occulta: ita Peyrinus *tom.* 1. *de privil.* in Conſt. Julii II. *§.* 16. *num.* 31. Lezana *in ſumm. p.* 1. *cap.* 14. *num.* 21. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 85. *de dub. Regul.* Roder. *in comp. v. diſpenſatio num.* 12. & alii. Notandum tamen, quod licet dicti Prælati diſpenſare poſſint cum ordinatis ante ætatem legitimam, vel per ſaltum; non propterea concedere poſſunt ut ante ætatem completam, vel ante Ordinem non ſuſceptum, ſuſceptum exercere valeant, quia in hac parte revocata ſunt privilegia per Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. & conſtat *ex cap. Unico, de Clerico per ſaltum promoto.*

13. Feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ poſſunt Superiores Locales abſolvere, & diſpenſare ſubditos utriuſque ſexus, Novitios, Oblatos, Donatos, & Tertiarios intra Clauſtra ſub obedientia viventes ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam ex bigamia vera, & interpretativa, ac mutilatione membrorum procedentibus; non tamen ex homicidio voluntario illicito quomodocumque occulto, neque in provenientibus ex defectibus, qui a Tridentino excipiuntur; cum omnia privilegia, quæ eidem Concilio adverſantur, ab eodem maneant revocata: gaudent dicti Superiores hoc privilegio per communicationem ex conceſſione Pauli III. in Bulla incip. *Exponi nobis*, in favorem Abbatum, & Priorum S. Benedicti Vallifoleti edita, & habetur in Bullario Emmanuelis Roderici *fol.* 817. per extenſum relata ſupra *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 19. ibi videatur, ne eadem ſæpe repetamus.

14. Poſtremo poſſunt Superiores Locales uti dicta facultate active, paſſive, & commiſſive, ut conſtat ex Mari magno Sixti IV. pro Prædicatoribus, & Julii II. pro Minimis, immo & extra Sacramentum pœnitentiæ, & erga ſe ipſos, cum id nulli juri repugnet, neque ulla limitatio in præiatis Bullis Pontificiis circa hoc reperiatur, prout docet Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 19. *num.* 7. & *ſeqq.* Candidus *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 59. *dub.* 7. Bellaſius *v. diſpenſare n.* 12. Roder. & alii. Delegatio vero, ſeu commiſſio exequi ſemper debet a Delegato in actu Sacramentalis Confeſſionis, ut docent Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 46. Miranda *tom.* 2. *q.* 19. *art.* 7. Suarez, & alii communiter.

CAP. VII.

De facultate, quam habent Superiores Locales, irritandi, commutandi, & diſpenſandi Vota ſuorum Subditorum.

1. Dilucidatis iis, quæ ad facultates Prælatorum Localium ſpectant in ordine ad tollendas Cenſuras, & irregularitates; oportet nunc de poteſtate, quam iidem habent ad irritandum, commutandum, ac diſpenſandum ſuorum ſubditorum vota, neceſſario pertractare. Sed in primis ſciendum, quod quinque modis tolli poteſt obligatio voti. 1. per ceſſationem, quando ſcilicet votum emittitur ad aliquod tempus determinatum, quo completo, ſtatim votum ceſſat; vel quando materia voti quæ prius erat legitima, fit poſtea illegitima, impoſſibilis, mala, majoris boni impeditiva, inutilis &c. 2. per interpretationem, quando quis ob aliquam juſtam cauſam evidenter ſcit, ſe ad voti obligationem non teneri. 3. per irritationem, quando Prælatus habens poteſtatem dominativam ſupra voventem, illud irritat, tollitque obligationem. 4. per commutationem, quando non ſimpliciter, & abſolute votum emiſſum diſpenſatur, ſed in aliud melius, vel æquale opus bonum mutatur. 5. per diſpen-

Digitized by Google

diſpenſationem, quando ab habente poteſtatem fit totalis condonatio obligationis voti, *juſta interveniente cauſa*; ita *comm. D. D.*

2. Advertendum magnum diſcrimen inter irritationem, commutationem, diſpenſationemque intercedere; nam irritatio non aliam requirit cauſam, quam meram voluntatem illius, qui ad irritandum poteſtate pollet, *ex cap. Puella*, 20. *q.* 2. *cap. Manifeſtum*, 33. *q.* 5. *& ex comm. D. D.* Diſpenſatio vero requirit cauſam juſtam, & rationabilem, qua exiſtente, poteſt ab eo qui habet facultatem diſpenſandi, votum omnino tolli, ipſiuſque obligatio relaxari, quin loco voti emiſſi aliud opus voventi injungatur. Quod aliter in commutatione contingit, nam commutatio exigit ut opus, in quod votum eſt commutandum, ſit melius, aut ſaltem æque bonum; cum hac tamen differentia, quod commutatio in melius nullam cauſam requirit, ſed ſolum ex mera voluntate commutantis fit, commutatio vero in æque bonum requirit aliquam cauſam, ſed minorem quam diſpenſatio, quæ quidem ſi ſine cauſa juſta, & rationabili fiat, invalida erit, cum hæc ſit abſoluta condonatio obligationis voti, nomine Dei facta: ita *commun. D. D.* Cauſæ autem juſtæ ad diſpenſandum referuntur ſupra *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. ibi videantur.

3. Præterea poteſtas commutandi vota differt a poteſtate diſpenſandi in hoc, quod cum a jure ad commutandum conceditur, etiam ad diſpenſandum extenditur; quando vero illa ex privilegio provenit, facultatem ad diſpenſandum minime tribuit, at vice verſa, quando per privilegium conceſſa eſt facultas ad diſpenſandum, eadem extenditur etiam ad commutandum: ita cum comm. docent Suarez *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 12. *num.* 10. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 49. *n.* 28.

4. Superiores Locales poſſunt pro ſuo beneplacito, & libera voluntate, abſque ulla cauſa, omnia ſuorum ſubditorum vota ſimplicia irritare; prout cum communi docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. ratio eſt, quia Religioſi perfecte, & in omnibus, ſuis Superioribus ſubjiciuntur; ita ut ex communi ſenſu, & uſu Eccleſiæ, ac juris interpretatione hæc conditio eorum votis cenſeatur annexa (*niſi Superior contradixerit*:) excipitur tamen votum ingrediendi Religionem arctiorem; cum enim hunc tranſitum, etiam nolente Superiore, jura permittant, idcirco Religioſi in hoc manent exempti, petita tamen prius, licet non obtenta, a ſuis Superioribus licentia, ut conſtat ex cap. *Non ſolum de Regular. in* 6. & docent Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 40. *num.* 74. *dub.* 13. & alii communiter.

5. Poteſt Prælatus Localis prohibere ſubdito, ne abſque ſua licentia votum aliquod emittat, idque non eſt prohibere bonum perfectius, ſed velle ut regulari modo fiat; ſi vero, non obſtante Prælati prohibitione, ſubditus in materia ſibi licita voveat, votum tenet, quia illa ſimplex prohibitio Prælati illud minime annullat, multa enim prohibita fiunt, quæ tamen facta valent; poteſt nihilominus hujuſmodi votum a Prælato irritari, vel ſuſpendi: prout docet Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de voto, cap.* 6. *num.* 25. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 43. *num.* 10.

6. Non poteſt Superior Localis ſine cauſa irritare votum de licentia ipſius a Subdito emiſſum, vel ab ipſo approbatum; ratio eſt, quia jam conſenſum dedit, & qui vovit *in hoc facto*, ſui juris per hujuſmodi conſenſum factus eſt, & poteſtas irritandi per datum conſenſum limitationem accepit; ſi vero ſine cauſa irritet, peccat mortaliter, irritatio tamen valida erit; occurrente tamen cauſa rationabili, irritare illud poteſt, nam ſicut libere dedit conſenſum, ſic ſibi reſervaſſe cenſetur, ut toties quoties cauſa occurrerit, poſſit conſenſum revocare, prout docet Roder. *in Summ. cap.* 136. *n.* 14.

eodem-

Digitized by Google

eodemque capite *num.* 5. ait, poſſe Prælatum ſucceſſorem irritare vota a ſubdito emiſſa de licentia anteceſſoris, cum per hujuſmodi licentiam minime tollatur poteſtas illius dominativa, quam ad irritandum habet; poteſt etiam ſubditus ſine cauſa licite voti irritationem a ſuo Prælato petere, utitur enim jure ſuo: ita *comm. D. D.* votum tamen ſubditi confirmatum a Prælato majori nequit irritari ab inferiori.

7. Poteſt Prælatus Localis irritare votum, quod ſubditus emiſit animo illud implendi cum fuerit liber; v. g. pro tempore, quo extra Conventum, vel extra Ordinem fuerit: ratio eſt, quia hujuſmodi votum etiam de præſenti cadit ſub dominio Prælati, qui quidem ſupra ſubditum habet ſemper plenam poteſtatem ad irritandum; ita taliter ut ſic irritatum, pro futuro tempore amplius non convaleſcat, cum omnem vim ligandi amittat; quod etiam procedit in dubio, an tempore ſubjectionis, aut libertatis votum fuerit emiſſum: prout cum communi docet Ledeſma *tom. 2. tract. 19. cap. 7. dub. ult.* Sanchez apud Dianam *p. 9. tract. 8. reſol.* 15.

8. Vota a ſubditis emiſſa de exequendo aliquo conſilio evangelico, ut de eleemoſyna elargienda, de parcendo, & de orando pro inimicis, de non violandis præceptis Decalogi, vel Eccleſiæ, aut Regulæ, & ſimilibus, poſſunt a Superioribus Localibus irritari; nam hujuſmodi irritatio non eſſet diſpenſatio in prædictis, cum per eam ſolum intendant Superiores præfati tollere a ſubditis majorem obligationem, quam ipſi de illis ſervandis ſibi impoſuerunt: ita Palaus *de voto diſp. 2. p. 8. num.* 2. Fagundez *in 2. præcep. Decal. lib. 2. cap.* 34. Bordon. *tom. 1. reſol. 14. num.* 2. Lezana *tom. 1. cap. 18. num.* 54. & alii.

9. Non habent dicti Superiores poteſtatem irritandi Novitiorum vota, ſive in ſæculo, ſive in Religione ab eiſdem emiſſa; ratio eſt, quia nondum perfecte ſunt ſubditi, niſi conſenſus ipſorum, vel etiam Magiſtrorum accedat, tunc enim & Prælati, & Magiſtri poterunt ea irritare; ſuſpendere quoque poſſunt vota Novitiorum perſonalia, quæ impediunt Religionis obſequia, & ſic ſuſpenſa, non obligabunt, donec per profeſſionem extinguantur; ſi vero non impediant, vel ſint realia, v. g. de diſtribuenda eleemoſyna de propriis bonis, aut quid ſimile, ſuſpendi nullatenus poſſunt, nam Prælati ſuper iis dominativam non habent poteſtatem; vota tamen omnia a Novitiis in anno probationis emiſſa, etſi a Superioribus ſint ſuſpenſa, reviviſcunt, ſi non profiteantur: ita cum D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 2. ad* 1. docent *comm. D. D.*

10. Poteſtas irritandi, commutandi, ac diſpenſandi, qua Superiores Locales fruuntur, poteſt etiam extra pœnitentiæ Sacramentum ab eiſdem exerceri, cum privilegia ad id conceſſa, non ſint reſtrictiva; ubi enim lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus; prout cum multis tenent Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 43. num. 16. & lib. 8. de Matrim. diſp. 34. num.* 29. Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto*. In commutationibus tamen, vel diſpenſationibus virtute litterarum Apoſtolicarum, aut Sacræ Pœnitentiariæ faciendis, præmittenda proculdubio eſt confeſſio Sacramentalis, qua peracta, executio facultatis immediate eſt facienda, nam in dictis litteris apponitur clauſula: *Audita Confeſſione, & non aliter, nec alio modo*. Poteſt prætерea dicta facultas aliis delegari: ut docent *cit. D. D.* ſed a delegato id faciendum eſt in actu Sacramentalis Confeſſionis, ut dictum eſt in cap. præced. num. 14.

11. De jure communi, & ex poteſtate ſpirituali, quam Superiores Locales in ſuos ſubditos habent, poſſunt eorum omnia vota ſimplicia ex juſta cauſa commutare, & diſpenſare; ut cum communi docent Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 10. num. 14. 15. & 16.* Navarrus *in Manual.*

cap.

cap. 12. *num.* 25. excepto voto tranſeundi ad ſtrictiorem, ſuper quo diſpenſare non valent, ut dictum eſt ſupra *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 8. & licet vota peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ nequeant a præfatis Superioribus commutari, vel diſpenſari, niſi in caſibus, in quibus Epiſcopi id facere poſſunt cum ſuis ſubditis; irritari nihilominus poſſunt, aut ex cauſa ſuſpendi, negando ſubditis licentiam peregrinandi, cum poteſtas irritandi, & diſpenſandi ſit inter ſe diſtincta, & una non impediatur ab alia: ita Miranda *tom.* 2. *q.* 32. *art.* 1. *concluſ.* 3. Portell. *V. voti diſpenſatio num.* 42. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 10. *nu.* 17. & alii.

12. Prælatus dubius de juſta cauſa ad diſpenſandum in votis, poteſt ad ſecuritatem aliquod onus facile injungere, non enim cogitur abſque onere diſpenſare, quandoquidem in diſpenſationibus Pontificiis id ſæpiſſime fit: quamobrem tutius erit partim uti diſpenſatione, & partim commutatione, cum difficilius ſit cognoſcere an ſubſit juſta cauſa ad diſpenſandum, quæ ſemper requiritur major, quam ad commutandum: ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *quæſt.* 4. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. & alii.

13. Poſſunt Superiores Locales diſpenſare in Novitiorum votis omnibus, in quibus poſſunt Epiſcopi erga ſuos ſubditos; idque conſtat ex poteſtate ſpirituali, quam in illos habent, & ex conceſſione Eugenii IV. per Bullam incip. *Etſi quaslibet*, Ciſtercienſibus facta, quæ habetur in *comp. privil. Mendic. V. Diſpenſatio* §. 27. ubi Abbates, Priores, ſive Superiores Monaſteriorum expreſſe nominantur, & per communicationem alii ceterorum Ordinum Prælati Locales eodem gaudent privilegio, quod quidem loquitur non ſolum de Novitiis, ſed etiam de Donatis, Oblatis, ſeu Tertiariis collegialiter viventibus; & de omnibus votis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, *Voto Religionis dumtaxat excepto*: ita Navarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 65. Sanchez *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 43. Joan. de la Cruz *in Epit. lib.* 1. *dub.* 20. *concluſ.* 3. & alii.

14. Subditorum vota juramento firmata, & juramenta promiſſoria in honorem Dei facta, quæ quidem ſunt quaſi quædam vota, a Superioribus præfatis irritari, commutari, ac diſpenſari poſſunt, nam hujuſmodi vota jurata non ſunt diſtinctæ ſpeciei; ergo qui poteſt tollere votum, quod eſt principale, poteſt a fortiori tollere juramentum, quod eſt acceſſorium; ut cum multis docent Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 53. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 14. *a num.* 14. Idem dicendum eſt de juramentis factis in favorem tertii in iis rebus, in quibus Religioſi ſunt ſubjecti Prælatis, de quibus diſponere non valent; in rebus vero, de quibus valide, & licite diſponere poſſunt, non cadit irritatio, nec commutatio; nec diſpenſatio in alterius præjudicium: ita *comm. D. D.*

15. Non poſſunt præfati Superiores abſque voti cognitione illud commutare, vel diſpenſare, dicendo v. g. *Diſpenſo tecum in omnibus votis ſimplicibus a te emiſſis*, vel *Commuto omnia vota tua ſimplicia in alia pietatis opera*; non interrogando prius quænam ſint illa vota, ad hoc ut commutatio, & præcipue diſpenſatio cum vera cauſa fiat, ſine qua erit invalida, & illicita, cum deficiente voti cognitione, neceſſario cauſæ cognitio deficiat; poſſunt tamen ſine voti cognitione, atque adeo ſine cauſa, vota irritare: dicendo: *Irrito omnia vota tua, quæ irritare poſſum*; cum ad hujuſmodi irritationem faciendam cauſa minime requiratur, prout dictum eſt ſupra *num.* 2. exceptis votis, quæ ab eiſdem Prælatis ſunt confirmata, aut de eorumdem licentia emiſſa, juxta dicta ſuperius *num.* 6.; ut cum communi tenet Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 16. *num.* 14.

16. Si

16. Si pro quiete, & exoneratione conſcientiæ ſubditi ſufficiat votum commutare, non poterit a Prælato illud diſpenſari, niſi in caſu, quo ſubditus plura emiſerit vota, pluribuſque obligationibus ligatus exiſtat, quibus recte ſatisfacere minime poſſit, ac proinde probabiliter timeat ruinam ipſius: ita Suarez *lib. 6. de voto cap.* 17. *num.* 18. Roder. *in ſumm. p.* 2. *cap.* 100. *num.* 4.

17. Poteſt ſubditus ſine cauſa, & abſque auctoritate Prælati commutare ſuum votum in evidenter melius, niſi a Sede Apoſtolica prohibeatur, quemadmodum ab eadem prohibetur tranſitus a laxiori ad ſtrictiorem Religionem abſque Prælati licentia; commutare tamen votum in æquale non poteſt ſubditus ſine cauſa, & Prælati licentia, alias non habebit rationem virtutis, & honeſtatis hujuſmodi commutatio; & multo magis requiritur cauſa, & licentia, immo & privilegium ad commutandum votum in minus æquale; ut conſtat *ex cap. Pervenit de jurejur.* & docent Corduba *in ſumm. q.* 49. Suarez *de voto cap.* 19. *num.* 3. & alii.

18. Cum poteſtas diſpenſandi ſit ample interpretanda, ut late probat Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 2. idcirco quando Prælatus dubitat de hujuſmodi poteſtate, adhibitis prius diligentia, & conſilio, poteſt cum ſubdito diſpenſare; quando vero verſatur dubium circa veram, & juſtam cauſam diſpenſandi, tunc ſi Prælatus abſque examine temere diſpenſat, mortaliter peccat, diſpenſatus tamen manet tutus in conſcientia; quod ſi moralem diligentiam adhibeat, & adhuc maneat dubius, poterit ſine peccato diſpenſare, deponendo dubium, in quo credendum eſt Eccleſiam piam matrem id concedere; prout tenent Sylveſt. *V. diſpenſatio quæſt.* 14. *num.* 20. *in fine*, Clavis Reg. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 25. Sa *V. Votum num.* 20. & alii.

19. Poteſtas commutandi, & diſpenſandi vota, non ſolum eſt activa, ſed etiam paſſiva, & commiſſiva, debetque exerceri a dictis Prælatis verbis claris, & vere ſignificantibus, quod facere intendunt; nulla tamen in hoc eſt forma præſcripta, ſed arbitrio prudentis relinquitur, & verbis in ſignificatione propria, & communi acceptis; verba autem clariora ſunt hæc: *Si cauſa expoſita eſt vera, ſeu ſi vera ſunt expoſita, diſpenſo tecum in hoc, vel illo voto; vel commuto hoc, vel illud votum a te emiſſum, in hac, aut illa pietatis opera &c.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS V.

De aliis Privilegiis Prælatorum Regularium.

CAPUT I.

De poteſtate, quam habent Prælati Regulares circa Benedictiones, ac Conſecrationes Rerum Eccleſiaſticarum.

1. Omnes Prælati Regulares, videlicet Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, & conſimiles, eorumque Vicarii, ſeu Præſidentes, illis abſentibus, ex ampliſſimis Sedis Apoſtolicæ privilegiis poſſunt benedicere Eccleſias, Cœmeteria, Corporalia, & alia ornamenta Eccleſiaſtica ad Divinum cultum, & ad uſus dumtaxat ſuos, in quibus Chriſma non intervenit, necnon Eccleſias, & Cœmeteria qualibet ſanguinis, vel ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per eoſdem in locis remotis, ubi Epiſcopus longe diſtat, videlicet per 40. milliaria, benedicta, auctoritate Apoſtolica reconciliare valent; quod quidem privilegium ad uſum etiam Monialium ſub regimine Prælatorum Regularium exiſtentium extenditur: prout conſtat ex Bulla Leonis X. quæ incipit: *Religionis honeſtas*, cum clauſula Conciliorum generalium revocatoria, & ex Bullis Julii II. Benedictinis, ac Minimis conceſſis, ut habetur in Bullario Emmanuelis Roderici, & in comp. privil. Mendicantium §. 11. *v. benedicere*, & in comp. Societ. Jeſu *eod. verb.* & ita docet Roder. cit. *tom.* 1. *q.* 19. *art.* 2. Quo indulto omnes Ordines Regulares per communicationem fruuntur; reſtringitur tamen uſus ipſius ad res Sacras in quibus Sacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio Monaſteriorum, ſeu Conventuum, & Eccleſiarum propriarum tantum, ex Decreto S. Rituum Congr. die 13. Martii 1632. edito, apud Lezanam *in ſumm. qq. R. R. tom.* 2. *v. Altare num.* 3. *v. benedictio num.* 8. de quo etiam mentionem facit Novarius *in lucerna Regular. v. benedicere*, & comp. Societ. Jeſu *eod. verb. num.* 3.

2 Cum ex Pontificali Romano, juſſu Clementis VIII. edito, ſacrum Chriſma ſolum requiratur in conſecratione Eccleſiæ, Altaris, Calicis, Pateuæ, & Campanarum; idcirco dicti Prælati, quibus conceſſum eſt quæcumque ad divinum cultum neceſſaria benedicere; poterunt procul dubio uti privilegio benedicendi Pixides, in quibus ſacri Chriſmatis unctio non exigitur: *ex Rubric. Pontif. Rom. de bened. vaſcul. pro conſerv. SS. Euchar.*

3. Guardiani Ordinis Minorum poſſunt Corporalia benedicere, quia licet, ut refert Miranda *tom.* 3. *q.* 40. *art.* 1. *concl.* 2. id per Capitulum Generale Meclinenſe ad ſolos Provinciales fuerit reſtrictum; in Capitulo tamen Toletano Generali anno 1583. celebrato, ex approbatione Cæremonialis Religionis, ut ipſe refert *art.* 2. conceditur

tur ipſis talis facultas; idem docet Roder. *tom.* 1. *q.* 19. *art.* 2. ubi probe advertit, quod facultas benedicendi prædicta Corporalia, aliaſque res ſacras, ut ſupra, conceſſa Vicariis, ſeu Præſidentibus, non extenditur ad quoſcumque, ſed ad illos dumtaxat, qui præſunt Conventibus in Guardianorum abſentia per ſpatium 24. horarum. Sic pariter facultate benedicendi præfata ornamenta Eccleſiaſtica gaudent ſimplices Sacerdotes, ſi tamen ad id per Capitulum Generale fuerint deputati; prout conſtat ex relata Conſt. Leonis X. Domos vero Prælati Regulares, quibus cura animarum non ineſt, in Hebdomada Sancta benedicere non poſſunt; *ex decreto S. Congr. ſub die* 2. *Julii* 1620. *in una Bononien.*

4. Abbates Regulares poſſunt conſecrare Calices, & benedicere Pixides, & alia vaſa Eccleſiaſtica, non ſolum ad uſum ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam alienarum, recepto tamen prius ſacro Chriſmate ab aliquo catholico Epiſcopo; ex privilegio Innocentii VIII. anno 1489. Abbatibus Ciſtercienſibus conceſſo, & a Gregorio XIII. ac Paulo V. confirmato, aliiſque Abbatibus communicato, ut habetur in comp. privilegiorum eorumdem *V. Communicatio §.* 1. 2. *&* 3. & docent Barboſa de poteſtate Epiſcopi *p.* 2. *allegat.* 26. *num.* 36. Miranda *tom.* 2. *q.* 40. *art.* 4. Portell. *V. Abbas num.* 3. Dixi, *Abbates Regulares*, nam Sæculares, etiamſi Mitræ, & baculi paſtoralis uſum habeant, non poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ privilegio ſe ingerere in illis benedictionibus, in quibus unctio Sacra requiritur, ex decreto S. Congreg. die 10. Novembris anno 1614. edito; prout refert Naldus *in ſumma V. Abbas num.* 4.

5. Poſſunt etiam Abbates Regulares Campanas ad uſum proprii, & alterius loci conſecrare, ut docet communis praxis, & conſuetudo; idemque dicendum de Altaribus portatilibus, de Corporalibus, de veſtibus ſacris, & ceteris rebus ſacris, cum id nullibi interdictum reperiatur; & licet privilegium de Campanis conſecrandis non concedatur expreſſe in Bulla præfata Innocentii VIII. hoc tamen colligitur ex privilegiis Urbani II. & Pauli III. quæ referuntur ab Aſcanio Tamburino *de jure Abbatum tom.* 7. *diſp.* 23. *q.* 13. & a Renato Chopin. *lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 18.

6. Prælati Mendicantium, aliorumque Ordinum Regularium, qui non ſunt Abbates, non communicant, neque communicare poſſunt in privilegiis plura conſecrandi, in quibus uſus Pontificalium requiritur, quo dicti Prælati non Abbates carent; in iis enim, & ſimilibus non fit communicatio, prout docent Miranda *tom.* 2. *q.* 40. *art.* 4. Hieron. Roder. *in comp.* alter. Roder. *reſol.* 13. *num.* 3.

7. Ubi Epiſcopus Diœceſanus ter requiſitus a Regularibus Prælatis cum debita reverentia, & inſtantia, eorum Eccleſias, Altaria, Calices, Campanas, & alia ſimilia conſecrare recuſaverit ſine cauſa legitima, poterunt in tali caſu ab alieno Epiſcopo prædicta petere, atque recipere juxta conceſſionem Leonis X. in Concilio Lateranenſi factam, quæ habetur *in ſupplem. fol.* 26. *conceſſ.* 69. & refertur in comp. privil. *V. Benedicere §.* 16. idem conceſſit Sixtus IV. Carmelitis, ut conſtat ex eodem compendio *§.* 6. quod quidem privilegium non adverſatur decretis Concilii Tridentini *ſeſſ.* 6. *de Reform. cap.* 5. cum conceſſio in prædicto Lateranenſi Concilio facta, ſit multum conformis ad jus commune, & ad id quod habetur *in cap.* 1. *de ſupplenda neglig. Prælat.* ubi Alexander III. in quodam ſimili propoſito ſtatuit, *ut ſi Epiſcopus tertio cum humilitate, & reverentia requiſitus, Abbates Regulares benedicere renuat, liceat eiſdem Abbatibus proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.* Idem dicendum eſt, quando

talem

talem conſecrationem noluerit Epiſcopus Diœceſanus gratis exhibere : ex conceſſione Sixti IV. in comp. privil. *V. Benedicere §. 5.*

8. Non ſolum Prælati Regulares, ſed etiam ſubditi miſſi ad terras remotiſſimas infidelium ad fidem Chriſti prædicandam poſſunt ibidem Eccleſias, Hoſpitalia, & alia pia loca ſine alicujus præjudicio erigere ; veſteſque Sacerdotales, Pallas, Corporalia, Calices & Cæmeteria (ſi Epiſcopus non adſit) benedicere, & profanatas Eccleſias reconciliare : ex conceſſione Gregorii XIII. quæ habetur in Bullario Emmanuelis Roderici *fol.* 807. *num.* 36. *&* 37. & Pauli III. *in Bull.* 8. *a num.* 36. *uſque ad* 40. in favorem Societatis Jeſu facta, quo privilegio ceteri Regulares per communicationem fruuntur, ſi in terris remotiſſimis pro converſione infidelium exiſtant. Id vero quod in dicta conceſſione ponitur (ſi Epiſcopus non adſit) ſolum eſt intelligendum pro conſecratione Calicis, quem Prælatus Mendicantium conſecrare non poteſt, nec non pro benedictione Corporalium a Sacerdote non Prælato facienda ; nam Prælatus non indiget licentia Epiſcopi ad Corporalia benedicenda, ſicut indiget pro Calice conſecrando, ſi Epiſcopus abſens non ſit ; quo tamen abſente, illum tum Prælatus, tum Sacerdos ſubditus in dictis regionibus conſecrare poterunt ; poterit pariter præfatus Sacerdos ibidem Corporalia benedicere deficiente Epiſcopo, non vero ſi ille poſſit adiri : ita Portell. *V. Benedicere num.* 3. Cand. *tract.* 10. *de ſacrif. Miſſæ cap.* 22. *reſol.* 11.

C A P. II.

De poteſtate, quam habent Prælati Regulares, mittendi ſuos Subditos ad Ordines ſuſcipiendos.

1. PRælati Regulares Generales, & Provinciales (nam quoad Locales videnda ſunt uniuſcujuſque Ordinis ſtatuta, eorumque reſtrictiones, limitationes, vel facultates) poſſunt ſuis ſubditis Regularibus concedere litteras dimiſſorias ad effectum ſuſcipiendi Ordines ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſunt Conventus, ſeu Monaſteria, vel etiam a quolibet alio, eo modo, quo mox dicetur, abſque dimiſſoriis Epiſcopi Diœceſani ; idque conſtat ex pluribus privilegiis a Benedicto IX. Innocentio III. & Eugenio IV. in Bulla incip. *Etſi quaslibet*, apud Cherub. *tom.* 1. Monachis S. Benedicti conceſſis : eamdem quoque facultatem Ordini Minorum Alexander IV. conceſſit in Bulla, quæ incipit : *Convenit ut Sacer*, & ſucceſſive Alexander VI. Leo X. & Paulus III. huiuſmodi privilegium aliis Ordinibus Regularibus elargiti ſunt, ut videre poterit Lector in comp. privil. Mendicant. *V. Ordines §.* 11. in comp. privil. Ciſterc. §. 2. & in comp. Societatis Jeſu *§.* 1. *eod. tit.*

2. Præfata facultas adhuc viget, etiam poſt Concilium Tridentinum, ubi *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. ſtatuitur : *Neminem poſſe ordinari, niſi a proprio Epiſcopo* ; nam Clemens VIII. eam conceſſit Congregationi S. Benedicti Valliſoletanæ, apud Steph. Quarant. *V. Ordo prope finem* ; & conſtat ex declaratione S. Congr. ejuſdem Concilii ad omnes Regulares extenſa, prout ſequitur : *De mandato SS. D. N. Clementis divina providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ*

in Decreto S. Congr. Concilii Trident. continentur, cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito, itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis, Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia aſſcriptus, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dummodo tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes, vel Sedes Epiſcopalis vacaret. Verum cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterio nullius Diœceſis, hujuſmodi dimiſſorias concedendas eſſe ad Epiſcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo Diœceſano ſuperius præſcripta ſunt. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio SS. D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrent. In quorum &c. Dat. Romæ die 15. *Martii* 1596. Decretum referunt Mattheuc. *official. quoad Ordines num.* 2. & Barboſa *p.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 7. *num.* 18.

3. Concluſio prædicta colligitur etiam ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 8. ubi cum dicit, quod *nullus etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu ordinetur, etiam ſtatutis temporibus, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur*, intelligendum eſt de Generalibus, Provincialibus, aliiſque Prælatis Regularibus, cum negari non poſſit eoſdem eſſe ſuorum ſubditorum Ordinarios, qui de ipſorum probitate, vita, & moribus atteſtari poſſunt; non vero Epiſcopi Diœceſani, qui nec Regularium Ordinarii ſunt, nec de illorum vita, & moribus teſtimonium ferre queunt: ita Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 3. Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.* 2. *allegat.* 7. *num.* 31. Diana *de dub. Regular. tract.* 2. *reſol.* 6. & alii.

4. Ex delegata poteſtate ab Apoſtolica Sede emanata poſſunt Abbates Ordinum Monachalium ſuis ſubditis dumtaxat Regularibus Ordines minores cum prima tonſura conferre, dummodo tamen ſint Sacerdotes, & jus habeant Mitram, & baculum deferendi; *ex cap. cum contingat de ætat. & qualit. & cap. Abbat. de privil. in* 6. poſſuntque viciniorem Antiſtitem rogare, qui prædictos Ordines ſuis ſubditis Regularibus conferat, licentia alterius minime requiſita: prout dictum eſt *num.* 2.

5. Abbates prædicti cujuſcumque Congregationis habentes etiam jura Epiſcopalia, vel quaſi Epiſcopalia, uſumque Mitræ, & baculi, & benedicendi, non poſſunt primam tonſuram, nec alios minores Ordines, niſi ſuis ſubditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Inſtituti, etiamſi habeant litteras dimiſſorias ſuorum Superiorum Regularium, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum Diœceſis fines ipſi Regulares ordinandi exiſtunt, & multo minus perſonis Sæcularibus, etiam ſubjectis dictis Abbatibus, vel habentibus litteras dimiſſorias ſuorum Ordinariorum: ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de Reformat.* per quam deciſionem ceſſant quæſtiones, & difficultates de Abbatibus exemptis, invitatis ab aliis Abbatibus pariter exemptis, an poſſent ordinare Mo-

nachos

Digitized by Google

nachos alterius Monaſterii non ſibi ſubjectos, ac Novitios, quod quidem facere olim erat eis conceſſum: *ex cap. Abbates de privil. in 6.* ſed quod noviſſime ſit revocatum, non eſt amplius diſputationi locus: prout patet ex declaratione S. Congr. ejuſdem Concilii die 23. Novembris 1641. facta, ut refert Lezana *in ſuo conſulto* 22. *num.* 26. *ſ.* 3. & docet Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 28. *art.* 9. *concl.* 2. Donat. *tom.* 4. *tract.* 3. *q.* 135. *num.* 9.

6. Poſſunt Abbates etiam non benedicti exercere munus conferendi tonſuram, Ordineſque minores ſubditis ſuis dumtaxat Regularibus; ex privilegiis Eugenii IV. ac Julii II. Congregationibus Caſſinen. Ciſtercien. & Montis Oliveti conceſſis; ubi habetur, quod licet munus benedictionis eiſdem Abbatibus non impendatur, omnibus tamen, & ſingulis honoribus, præeminentiis, prærogativis, juribus, & inſigniis, Abbatibus benedictis competentibus fungi poſſint; prout refert Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 28. *art.* 9. *concluſ.* 3.

7. Diſpenſare in interſtitiis non pertinet ad Prælatos Regulares, ſed ad Epiſcopum ordinantem, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. ubi poſtquam dixit, quod per temporum interſtitia Ordines conferantur, ſubdit: *Niſi aliud Epiſcopo magis expedire videbitur*; & infra *cap.* 13. ejuſdem ſeſſionis loquendo de Diaconatu, ait: *Niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat*. Præterea S. Congregatio ejuſdem Concilii, ut refert Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 2. *q.* 25. ad tollendam omnem dubitationem declaravit: *Superiores Regulares non poſſe diſpenſare ſuper interſtitiis Regularium ordinandorum, ſed id pertinere ad Epiſcopum ordinantem, qui tamen quoad cauſam diſpenſandi judicium ſuum formare debet ex atteſtatione Superiorum Regularium*: & ita docent Bellarm. *in obſerv. doctr. ad cap.* 11. Trident. *ſeſſ.* 23. Paſſarellus *in comp. privil. fol.* 22. Miranda *tom.* 1. *q.* 38. *art.* 7. Sorb. *in comp. privil. Mendicant. V. Ordines Sacri*. Idcirco Prælati Regulares mittentes ſubditos ad Ordines ſuſcipiendos, in litteris dimiſſoriis, ſi indigeant, debent D. Epiſcopum ordinantem rogare, ut ſuper interſtitiis dignetur diſpenſare ob ſuæ Eccleſiæ neceſſitatem, & utilitatem, utpote, quia Sacerdotibus indigent, ad hoc ut Eccleſiæ deſerviant, & oneribus Miſſarum ſatisfaciant.

8. Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis Regularibus, ut extra tempora a jure ſtabilita Sacros Ordines ſuſcipere valeant, dummodo id fiat tribus Dominicis, vel feſtis continuis, aut interpollatis: ex privilegiis Eugenii IV. pro Benedictinis, & Alexandri VI pro Ordine S. Hieronymi, ut habetur in comp. privil. Mendic. *V. Ordines Sacri ſ.* 9. & 11. quibus per communicationem omnes aliæ Religiones fruuntur; nec id eſt revocatum per Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. nec per conſtitutionem Sixti V. contra male promotos, quæ incipit: *Sanctum, & ſalutare*, apud Cherub. *tom.* 2. quia poſtea ad tollendum omne dubium, id de novo conceſſit Societati Jeſu Gregorius XIII. apud Bullarium Cherub. *tom.* 2. quod ad omnes communicantes extenditur, & præcipue ad Fratres Minores, quorum privilegia ex certa ſcientia, & de poteſtatis plenitudine confirmavit, ac de novo conceſſit Clemens VIII. nec non Paulus V. per ſuam Bullam datam Romæ Kalendis Decembris 1609. etiam per viam communicationis, quæ confirmatio ex certa ſcientia habet vim innovandi conceſſiones, & indulta a S. Sede revocata; ſed de hoc non eſt amplius nec diſputationi, nec dubitationi locus, cum noviſſime Benedictus Papa XIII. in Concilio Provinciali Romano, currente Anno Sancto 1725. in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica celebrato, præfata privilegia ſubſiſtere declaraverit, *cap.* 2. *fol.* 26.

9. Abbates, aliique Prælati inferiores habentes territorium exemptum, cum poteſtate viſitandi, ac Synodum congregandi, poſſunt concedere litteras dimiſſorias ad Epiſcopum viciniorem Clericis Sæcularibus, eiſdem pleno jure ſubjectis, non obſtante Tridentino, quia cum hi nulli Epiſcopo ſint ſubditi, non eſt alius a quo petere poſſunt; & ita declaravit S. Congregatio in favorem Carthuſianorum apud Barboſam *in collect. Bullar. V. Abbas n.* 4. & docent Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 2. *q.* 26. *num.* 1. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 95. *& p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 143. *in fine.*

10. Poſtremo advertendum eſt, pœnas appoſitas in Decreto S. Congregationis relato ſupra *num.* 2. eſſe tantum comminatorias, & non incurri ipſo facto; illa vero tria, quæ Prælatis Regularibus in eo Decreto interdicuntur, nempe mittere ſubditum ad Epiſcopum alienum, illum transferre de familia ex una in aliam Diœceſim in hunc finem, & differre ordinationem illius in tempus abſentiæ proprii Epiſcopi, vel vacationis ab ordinationibus, eſſe ſingula prohibita ſub mortali; & ſub pœnis prædictis tenent Diana *p.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 58. & Peyrinus *de Prælato q.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. quia in omnibus eſt materia gravis, & præjudicatur proprio Epiſcopo, niſi excuſet bona fides, aut nimius examinatorum rigor: ſed Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 67. *num.* 39. cenſet, culpam mortalem, & pœnas locum habere tantum in primo caſu, quia nullum præjudicium infertur Epiſcopo ab exemptis, ſi alio mittantur ſive de familia, ſive ad recipiendos Ordines, quando ab ipſo non conferuntur; an hæc opinio Bordoni ſit probabilis, alii judicent.

CAP. III.

De poteſtate Prælatorum Regularium circa Miſſarum reductionem.

1. Quamvis non pauci D. D. inter quos Bonacina *tom.* 1. *de Sacram. diſp.* 4. *q. ult. punct.* 7. *§.* 2. *num.* 11. & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, alleg.* 29. *num.* 5. doceant privilegium Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de Reform.* conceſſum Epiſcopis, & Generalibus Ordinum Regularium, moderandi, ſeu reducendi Miſſarum numerum, non eſſe omnino extinctum per decreta de celebratione Miſſarum a S. Congreg juſſu Urbani VIII. anno 1625. edita, apud Cherub. *tom.* 4. (quibus abſolute prohibetur facultas illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicæ licentia) ſed moderatum, & reſtrictum ad poſſe reducere Miſſarum onera ſuſcepta ante Tridentinum, ſecus autem poſt illud, aut impoſita in limine fundationis alicujus Beneficii, vel Capellæ: verumtamen, quia ſtylus curiæ Romanæ urget in contrarium, & quia prædallegata Decreta S. Congr. retrahuntur, & extenduntur ad præterita onera, etiam impoſita ante Tridentinum, ut eadem S. Congregatio multis in locis declaravit, & præcipue *in reſponſ. ad* 6. *dub.* idcirco tenendum eſt, nulli prorſus ſine ſpeciali licentia præfatæ S. Congreg. licitum eſſe hujuſmodi onera moderari, ſeu reducere, ſive ante, ſive poſt Tridentinum ſint ſuſcepta, ac proinde dictum Tridentini privilegium omnino extinctum remanere.

2. Facultas conceſſa uni Conventui Regulari pro Miſſarum reductione, extendi non poteſt ad alios Conventus ejuſdem, vel alterius Religionis, contra Dianam *p.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 11. & Marchinum *de ſacr. Ordinis p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 20. referentes privilegium Urbani VIII. Conventui Minimorum Genuæ conceſſum; quia

quia Urbanus illud conceſſit per Breve particulare, & Brevia particularia aliis minime communicantur, ut alibi diximus; alioquin, cum frequentes hujuſmodi conceſſiones ad petitionem hujus, vel illius Conventus emanent, quælibet illarum pro omnibus ſufficeret, & ſic recurſus ad S. Sedem tolleretur, magnaque confuſio ſequeretur: hinc die 10. Novembris 1646. opus præfati Marchini ſuſpendi fecit, & Diana opinionem ſuam retractavit *p.* 10. *tract. 16. reſol.* 67. prout refert Lezana *tom.* 5. *p.* 2. *num.* 78. *fol.* 967. & *tract.* 4. *V. Miſſa num.* 31. Neque his obſtat aliud privilegium ejuſdem Urbani Minoribus Conventualibus conceſſum, quia id fuit eis datum per modum conſtitutionis, & conſtitutiones unius Religionis non extenduntur ad alias, neque communicantur; præterea loquitur de reductione facienda in primo Capitulo Generali, & non alias: ergo ſi alia reductio poſt dictum Capitulum ſit facienda, ad S. Sedem proculdubio recurrendum eſt.

3. Superiores Regulares, diminutis notabiliter fructibus Capitalium pro Miſſis celebrandis legatorum, non poſſunt numerum illarum reducere, vel minuere; ratio eſt, quia S. Congr. *in* 1. *dub.* conſulta, an quando ita tenue eſt legatum, ut non ſit qui velit onus illi injunctum ſubire, & ſi recurratur ad Pontificem, totum, vel magna pars redditus in neceſſariis expenſis conſumenda ſit, poſſit per Epiſcopum loci, vel Prælatum Regularem reduci, ac minui? reſpondet, quod ab iis, ad quos pertinet ad S. Sedem pro moderatione recurrendum ſit, ut docent Tambur. *in opuſc. de Sacrif. Miſſæ lib.* 3. *cap.* 1. *§.* 2. *num.* 1. Lezana *V. Miſſa num.* 37. Diana *p.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 65. Vide Conſtit. Innoc. XII. ſuper celebrat. Miſſar. 23. Novembris 1697. editam apud Mattheuc. *Offic. Curiæ cap.* 10.

C A P. IV.

De poteſtate Prælatorum Regularium æconomica circa temporalia.

1. PRælati Regulares quantumvis privilegiati nequeunt abſque licentia S. Congr. Concilii bona immobilia, & mobilia pretioſa Monaſteriorum, ſeu Conventuum alienare, ſeu dominium rei directum, vel indirectum, utile, uſumfructum, poſſeſſionem, aut jus in alterum transferre, etiam retento dominio directo; ſub qua prohibitione comprehenduntur donationes, venditiones, pignorationes, locationes, ſeu conductiones ultra triennium, impoſitiones cenſuum, receptiones pecuniarum ad cambium cum ſolutione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, hypothecæ & infeudationes, contractus emphyteutici, niſi in caſibus a jure expreſſis, &c. prout habetur in Extravag. Pauli II. incip. *Ambitioſæ*; in qua ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnes prædicti contractus prohibentur: vide Bullam *tom.* 1. Bull. Cherub. *pag.* 329. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 35. *art.* 18. Barb. *in collect. Bull. v. Domus* Bonac. *tract. de alienat. bon. Eccleſ. quæſt. unica punct.* 2. *num.* 1. Roder. & alii.

2. Neque alienari poſſunt, ut dictum eſt, ſine præfata licentia bona mobilia pretioſa, illa ſcilicet, quæ ſervando ſervari poſſunt, ut colligitur ex dicta Extravag. *Ambitioſæ*; illa autem bona dicuntur ſervando ſervari poſſe, quæ per triennium durant, uſu non conſumuntur, vel fructificant, ut ſunt vaſa aurea, vel argentea, grex pecudum, armentum boum &c. ut docent Bonac. *de contr. diſp.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 4. *num.* 4. & *in tract. de alienat. bon. Eccleſ. diſp.* 2. *quæſt. unica punct.* 2. *num.* 2. Barb. *de poteſt. Epiſcopi alleg.* 19. *num.* 39. Peyr.

Digitized by Google

tom. 1. *privil.* in Conſtit. Julii II. *num.* 10. & alii.

3. Prohibitum eſt pariter Regularibus Prælatis transferre bona unius Monaſterii in aliud, loquendo de bonis immobilibus, aut mobilibus pretioſis, quæ ſcilicet ſervando ſervari poſſunt, cum hujuſmodi translatio ſit quædam alienationis ſpecies, ut docet Bonac. *de alienat. bon. Eccleſiaſt. diſp.* 2. *q. unica punct.* 2. *num.* 9. quare aliqua privilegia Religionum, quibus id permitti videtur, de quibus Roder. *tom.* 2. *q.* 125. *art.* 9. & Peyrinus *tom.* 1 *privil. Minim.* in Conſt. 2. Julii II. *num.* 76. quoad ea bona transferenda manent revocata per Decretum S. Cong. Concil. quo revocantur omnia privilegia Regularium in ordine ad alienationes prædictorum faciendas: Lezana *tom.* 2. *cap.* 19. *n.* 56. Idem dicendum de permutationibus, commutationibus, præcariis, juribus, actionibus, Oratoriis, & Capellis Eccleſiæ, aliiſque bonis immobilibus, & incorporabilibus, quæ in generali prohibitione comprehenduntur: ut docent Quaranta *in Summ. Bullar. v. alienatio, num.* 15. Riccius *in praxi for. Eccleſiaſt. deciſ.* 64. Sylveſter *v. alienatio quæſt.* 10. Bonac. *loc. cit. num.* 12.

4. Alienari tamen poſſunt a Regularibus Prælatis abſque S. Congr. licentia mobilia non pretioſa, v. gr. vinum, oleum, frumentum, veſtes tritæ & alia hujuſmodi, nec non mobilia etiam pretioſa, quæ tamen ſervando ſervari non poſſunt, ſcilicet, quæ non durant triennio, &c. ut dictum eſt ſupra *num.* 2. prout colligitur ex dicta Extravag. *Ambitioſæ*, in qua expreſſe conceditur alienatio illorum, quæ ſervando ſervari non poſſunt, & docent Molina *de contract. diſp.* 465. *num.* 1. Riccius *in praxi for. Eccleſiaſt. deciſ.* 62. *reſol.* 59. *num.* 2. Pecunia vero, quæ deſtinata eſt ad emptionem ſtabilium, cenſuum, vel mobilium pretioſorum, aut eſt fructifera, qualis eſt pecunia in montibus, vel cenſibus collocata, inter bona immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, connumeratur, ac per conſequens ſine dicta licentia alienari non poteſt: ita Sylveſt. Bonac. & Quaranta *relati ſupra*, quos poterit Lector conſulere circa caſus, qui in hac materia juxta Extravag. prædictam, & S. Congr. Decretum occurrere poterunt.

5. Non effugiunt pœnas Extravagantis, & Decreti S. Congr. illi Prælati Regulares, qui res Monaſteriorum, ſeu Conventuum alienant, vel contractum celebrant alienationis, dicentes id facere ſalvo Sedis Apoſtolicæ, aut S. Congr. conſenſu; ratio eſt, tum quia proteſtatio eſt contraria facto, tum quia quoties aliquid pertinet ad formam actus, debet actum ipſum præcedere, conſenſus autem Sedis Apoſtolicæ pertinet ad formam alienationis rerum Eccleſiaſticarum; prout docent Quaranta *in ſumm. Bullar. v. alienatio num.* 8. & 9. Bonac. *de alienation. bonor. Eccleſiaſt. diſp.* 2. *q. unica punct.* 4. *n.* 5. Peyrin. *tom.* 1. *privil. Minim.* in Conſt. 9. Julii II. *num.* 14. Si tamen non tradatur poſſeſſio rei alienatæ, non incurruntur dictæ pœnæ, quia tunc poſſeſſio manebit apud Monaſterium, & ille cui tradenda eſt talis res, ſolum habebit jus ad illam, & conditionatum, non autem abſolutum, vel jus in re, donec conſenſus Sedis Apoſtolicæ habeatur.

6. Advertendum, quod licet jure communi ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiratur juris ſolemnitas, quæ continet quatuor, ſcilicet, auctoritatem Prælati, tractatum circa alienationem faciendam, conſenſum Capituli, & ſubſcriptionem ſingulorum, ſaltem per Notarium ut notat Quaranta, & Peyrinus *loc. cit.* verumtamen, quia nonnullæ Religiones habent privilegia ad alienationes ſine prædicta ſolemnitate faciendas, qualiter Carmelitæ habent a Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit,

Digitized by Google

cipit, *Ex incumbenti*, apud Cherub. *tom.* 2. facultatem illas faciendi, dummodo ſint in commodum, & utilitatem Conventuum, accedente etiam conſenſu, & ratihabitione Generalis; inſuper Religioſi Societatis Jeſu alium etiam modum ſolemnitatis habent ab eodem Gregorio XIII. illis præſcriptum, de quo Molina *de contr. diſp.* 468. *§. quarta concluſio*; idcirco quælibet Religio juxta formam privilegiorum, quæ poſt Extravag. *Ambitioſæ*, a Sede Apoſtolica impetravit, poteſt prædictas alienationes facere, habita tamen licentia ejuſdem S. Sedis, vel S. Congreg. nam Decretum præfatum ſolum revocat privilegia Regularium, quantum ad faciendum alienationes ſine dicto conſenſu, non quantum ad alia, quæ ad illarum ſolemnitatem pertinent.

7. Non requiritur conſenſus S. Congr. in alienatione, quæ fit ex neceſſitate juris illam præcipientis, & propterea ea non egent Fratres Minores de corpore Obſervantiæ, dum per Syndicum Apoſtolicum alienant res, eis relictas, vel donatas, nam id faciunt ex præſcripto Regulæ, prout a S. Cong. Concilii fuit reſolutum, & refert Nicol. *elucubrat. lib.* 2. *tit.* 1. *de alienat. rer. Eccleſiaſt. num.* 20. ubi idipſum tradit fuiſſe deciſum favore P. P. Theatinorum. Advertat Lector, quod alii plures caſus ad hanc materiam pertinentes brevitatis gratia hic omittuntur, propterea conſulere poterit D. D. qui de ea fuſe pertractant, præſertim Mattheuc. *Official. quoad res Eccl. & Monaſter. non alienandas cap.* 45. *per totum*.

8. Poſtremo advertendum eſt, quod Innocentius XI. in ſua Conſtit. quæ incipit: *Alias*, die 16. Septembris 1683. edita confirmavit Decretum a S. Congr. Epiſcop. & Regular. ſub die 4. Maii 1680. editum, circa ſupellectilia Eccleſiaſtica a Fratribus Minoribus tam Obſervantibus, quam Reformatis, aliis non commodanda, niſi aliquibus ſervatis, ut infra: *S. Congr. injungendum cenſuit, prout præſentis Decreti tenore injungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus Provincialibus, Localibus, eorumque ſubditis, ſub pœna privationis Officiorum Ordinis immediate incurrenda, ne ullo umquam tempore, quavis occaſione, vel prætextu, ad inſtantiam, & preces cujuſvis indulgeant, aut conſentiant ſuppellectiles, vaſa, ornamenta, veſtes, atque omnis generis res, ſpectantes aliquo modo ad eorum Eccleſias, Capellas, Altaria, Oratoria, Sacriſtias, extra illa ad uſum, vel Officium cæterorum diſtrahi, aſportari, ſeu aliis ab ipſis Fratribus Minoribus commodari, quin prius acceſſerit conſenſus, ſaltem ultra duas partes totius Capituli cujuslibet reſpective Conventus per ſecreta Suffragia, ſingulis vicibus præſtandus, necnon a Patre Miniſtro Provinciæ authentice confirmatus, & ita ſervari mandat.*

Digitized by Google

TRACTATUS VI.

De Confeſſariis Regularibus erga Regulares.

CAPUT I.

De poteſtate, quam habent Confeſſarii Regulares, abſolvendi Religioſos ejuſdem Ordinis a peccatis, & cenſuris.

1. Confeſſarii Regulares pro Regularibus non indigent approbatione Epiſcoporum ad audiendas eorumdem Confeſſiones, nam quoad hoc, Tridentinum non innovavit jus commune antiquum; Concilium enim *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* approbationem Ordinarii in Confeſſariis exigit ſolum relate ad Sæculares, non vero ad Regulares, quorum inſtitutio pertinet ad ſuos Prælatos habentes in utroque foro juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quam utpote Judices Ordinarii, aliis delegare poſſunt; ut cum communi docent Suarez *tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 1. *num.* 4. Miranda *tom.* 1. *q.* 45. *art.* 11. *concl.* 2. Unde Generalis pro toto Ordine, Provincialis pro tota Provincia, & Superior Localis pro ſuo Conventu poſſunt Confeſſarios inſtituere, dummodo id propriis ſtatutis non repugnet. Guardiani Ordinis Minorum Obſervantium, & Reformatorum id facere prohibentur per ſtatuta *cap.* 7. *§.* 1. ubi dicitur: *Nulli liceat Fratrum Confeſſiones audire, neque ad iſtud munus idoneus reputetur, niſi a Generali, vel Provinciali prævio debito examine approbetur, & facultatem in ſcriptis obtineat.* De aliis autem qualitatibus, & requiſitis, quibus Confeſſarii noſtri Ordinis præditi eſſe debent, agitur ibidem per totum.

2. Legati Summi Pontificis ſive a latere, ut ſunt Cardinales, ſive Dativi, ut ſunt Prælati, qui ſimpliciter in legationem mittuntur, poſſunt ſuam juriſdictionem in Regulares, & alios exemptos in ſua dumtaxat Provincia exercere, atque adeo veluti Judices Ordinarii omnium Religioſorum Confeſſarios pro eiſdem Religioſis inſtituere, & facultatem in reſervata concedere; prout conſtat ex ipſorum litteris patentibus, & docent omnes Canoniſtæ, quibus inhærent Sylveſt. *v. Confeſſor* 1. *q.* 1. Navarr. *in cap. placuit de pœnit. diſtinct.* 6. *num.* 62. Sanchez *de Matrim. tom.* 1. *diſp.* 28. & alii. Legati autem nati, qui prætextu ſuarum Eccleſiarum legatione funguntur, ut ſunt nonnulli Archiepiſcopi, præfata juriſdictione in Regulares carent: ita Abbas *in cap.* 1. *de offic. leg. in v. univerſos, & cap.* 1. *de verb. ſignif. p.* 1. *tom.* 2. *reſol.* 17.

3. Quod dictum ampliat Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 26. *num.* 10. ubi docet, poſſe Regulares uti tali facultate, etiam extra Provinciam Legati concedentis, eamque durare perpetuo, cum ſit privilegium perſonale, quod afficit perſonam, eamque comitatur quocumque ierit, habeatque rationem gratiæ factæ, quæ non expirat, mortuo, vel amoto ab officio concedente; dummodo

hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi facultas fuerit conceſſa indefinite, & tempore, quo dicti Regulares intra limites illius Provinciæ collocationem habebant: *ex cap. quoad translationem de offic. leg.* ubi Gloſſ. *in v. reſervata.*

4. Confeſſarii Regulares approbati ut ſupra, poſſunt Religioſos ejuſdem Ordinis abſolvere ab omni peccato, & cenſura non reſervatis, nam a reſervatis numquam poſſunt extra neceſſitatem abſolvere, niſi a ſuis Prælatis ſpecialem habeant facultatem, vel delegatam in aliquo caſu particulari, pro una, aut altera vice, vel delegatam ad univerſitatem caſuum reſervatorum, qualem habent Pœnitentiarii Conventuum, ſeu Monaſteriorum per ſtatuta, vel per Superiores deputati juxta Decretum Clementis VIII. de caſuum reſervatione.

5. Præfati Regularium Confeſſarii, etiamſi ſint Pœnitentiarii ordinarii, atque approbati ab Ordinariis locorum ad audiendas ſæcularium Confeſſiones, non poſſunt Religioſos ſui Ordinis abſolvere a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, neque in votis, & multo minus in irregularitatibus diſpenſare virtute privilegii a Paulo III. Societati Jeſu conceſſi, per Bullam, quæ incipit: *Cum inter cunctas*, relatam per extenſum a Caſarub. *in comp. privil. Mendicant. fol.* 545. ubi Confeſſariis præfatæ Societatis ampla tribuitur facultas abſolvendi quoſcumque fideles, ad eos accedentes, a quibuſcumque caſibus (exceptis in Bulla Cœnæ contentis) diſpenſandi quoque, ſeu potius commutandi vota quæcumque per eos emiſſa (exceptis quinque Papæ reſervatis) quia revera ſententia affirmativa omni prorſus caret probabilitate, cum hujuſmodi conceſſio facta fuerit in ordine ad Sæculares, non autem in Ordine ad Religioſos ejuſdem Ordinis, ut ex textu apparet, & ex multis oſtendit Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 9. *tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 1. *in fine*, & docent Roder. in addit. Summ. Moral. *tom.* 4. *cap.* 12. *concluſ.* 2. & Portell. *v. Confeſſio erga fratres n.* 16. qui poſtquam opinionem negativam ſuſtinet, ſubjungit: *Proinde videat Confeſſor Regularis quid poſſit erga ſuos fratres, juxta ſua privilegia, vel ſtatuta.* Dixi, *Religioſos ſui Ordinis*, nam de aliis dicetur infra. Nonnulla alia privilegia a D.D. relata, quibus aſſerunt, poſſe Confeſſarios Regulares ſuos Conſubditos in aliquibus anni feſtivitatibus abſolvere ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, & diſpenſare ſuper irregularitatibus (exceptis homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum) vel ſunt revocata, vel dubia, vel ſaltem ad id faciendum requiritur expreſſa Prælatorum licentia, cum qua toties quoties abſque alio privilegio poſſunt dicti Confeſſarii abſolvere, & diſpenſare juxta delegationem, ſeu conceſſionem. Videas Portell. *v. Confeſſor erga fratres a num.* 18. *& ſeqq.*

6. Poſſunt prædicti excipere Confeſſiones Religioſorum aliorum Ordinum, ſuppoſita expreſſa licentia ſuorum Prælatorum, & ſecluſa conſtitutione, ſeu ſtatuto Ordinis in contrarium; nam Prælati Regulares oves proprias, cui voluerint Paſtori, alias idoneo, poſſunt committere: ſi autem fuerint ab Ordinariis locorum approbati, poterunt cum præfatis aliorum Ordinum Religioſis uti eiſdem facultatibus, quibus uti poſſunt cum ſæcularibus tam quoad abſolutiones, quam quoad diſpenſationes. Si vero licentia Prælatorum fuerit limitata, v. g. ut non poſſint ſubditi extra Ordinem abſolvi a reſervatis, vel a cenſuris, aut diſpenſari ab irregularitatibus, in tali caſu Confeſſarii electi tenentur ſe continere intra limites conceſſionis; quinimmo ad abſolutionem, vel diſpenſationem obtinendam in caſibus præfatis, neceſſaria eſt Superiorum licentia expreſſa, nam verba generalia non ſufficiunt, cum in generali conceſſione non veniant caſus ſpeciales: ex cap. *Si Epiſcopus, de pœnit. in* 6. & docent Navarrus in Manual. *cap.* 27. *num.* 261. Roder. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 27. Suarez *de*

Digitized by Google

de Relig. tom. 4. *lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 3. Donatus *tom.* 4. *tract.* 5. *q.* 10. Miranda *tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *concl.* 2. Idcirco debent interrogare, an habuerint licentiam confitendi, & qualem.

7. Non poſſunt Prælati Regulares aſtringere ſubditos ad ſibi confitendum, cum confeſſio inducta ſit a Chriſto Domino libera ad utilitatem pœnitentium, & non ad eorum detrimentum; & licet olim de jure communi, & ex privilegiis tenebantur ſubditi confiteri ſuis Prælatis, tamquam propriis Sacerdotibus, vel aliis de ipſorum licentia, ut probat textus *in cap. Omnis de pœnit. & remiſſ. peccat.* poſtea tamen aliter ſancitum fuit per Conſtitutionem Clementis VIII. pro caſuum reſervatione anno 1593. editam; ubi dicitur: *Non liceat Superioribus Regularium Confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, aut proprio motu id ab ipſis petierint.* Quod etiam S. Congregatio Concilii juſſu Urbani VIII. anno 1624. approbavit, & innovavit, comprehendens omnes Superiores tam majores, quam minores, & præcipiens eis id ſub mortali.

8. Confeſſarii Regulares non deputati Pœnitentiarii, ſi pro aliquo caſu particulari reſervato recuſent Superiores ſive Provinciales, ſive Locales eiſdem petentibus facultatem concedere, poterunt licite illa vice etiam facultate non obtenta, Religioſos pœnitentes abſolvere, abſque onere ſe poſtea præſentandi; nam in tali caſu auctoritate Apoſtolica abſolutionem impendunt: ut conſtat expreſſe ex dicta Conſtitutione Clementina de caſuum reſervatione: *tom.* 4. *Bullar. Cherub. fol.* 274. immo id toties licite poſſunt facere, quoties dicti Superiores irrationabiliter facultatem negant; ſecus autem, ſi rationabiliter: nam in quibuſdam caſibus, nempe ob bonum proximi, ut ſi peccatum ſit tale, quod vergat in perniciem aliorum, vel ob bonum ipſius pœnitentis, ne ob facilitatem obtinendæ facultatis, occaſionem accipiat perſeverandi in peccato, vel etiam ad vitandam infamiam, aut grave damnum communitatis, poſſunt juſte facultatem denegare; quandoquidem Superiores magis tenentur bono communi, quam particulari providere: ita Bonac. *de pœnit. diſp.* 5. *q.* 7. *p.* 5. *ſ.* 2. *num.* 19. Candidus *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 68. Lugo *de pœnit. diſp.* 20. *num.* 41. Coton. *lib.* 2. *controv.* 7. *cap.* 5. *num.* 152. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 126. Gobat. *tract.* 7. *pag.* 478. *num.* 705.

9. Confeſſarium eligere, eique, ut libet, peccata confiteri, non poſſunt Regulares ſubditi abſque licentia ſui Prælati, neque ex privilegio Bullæ Cruciatæ, quæ quidem in hoc quoad Regulares per Romanos Pontifices S. Pium V. Gregorium XIII. Clementem VIII. & noviſſime Urbanum VIII. in Bulla incip. *In Specula militantis Eccleſiæ*, apud Cherub. *tom.* 4. *pag.* 438. in favorem omnium Prælatorum Regularium revocata fuit, qua revocatione viſa a P. Diana, mutavit ſententiam ſuam affirmativam, quam antea mordicus ſuſtinebat *in* 3. *p. tract.* 2. *de dub. regul. reſol.* 94. Neque in caſu, quo ſubditus reperiatur in Conventu, ubi nullus ſui Ordinis Sacerdos exiſtat, aut non niſi aliquis male affectus, & ſuſpectus de revelatione ſigilli, quia tunc poteſt a Prælato licentiam petere; quod ſi Prælatus abſit, & adiri nequeat, nec ſit alius Sacerdos Ordinis approbatus, atque urgeat neceſſitas celebrandi, vel communicandi, ad vitandum ſcandalum, vel infamiam, eliciat actum contritionis, & quam primum Confeſſario ſuo legitimo confiteatur, juxta Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7.

10. Religioſi itinerantes, vel extra Conventum manentes poſſunt quibuſcumque Confeſſariis Regularibus, aut Sæcularibus confiteri, de licentia tamen ſuorum Superiorum, etiam Localium, & dummodo deſit eis copia Confeſ-

Digitized by Google

Confeſſarii ſui Ordinis, ſecus invalide confitentur, exceptis neceſſitatis caſibus, prout conſtat ex privilegiis Innocentii VII. conſtitut. incip. *Pervenit.* apud Confectium *fol. mihi* 32. Sixti IV conſt. incip. *Supplicari*, apud eumdem Confectium *fol.* 78. & in comp. privileg. Ord. Minor. *V. Abſolutio ordinaria quoad fratres §.* 35. Sunt & alia hujus generis privilegia, quæ referuntur a Roder. *tom.* 1. *q.* 62. *art.* 4. & 5. Miranda *tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. Peyrino *tom.* 1. *de ſubdito q.* 1. *cap.* 21. Bordon. *p.* 1. *reſol.* 34. *num.* 2.

11. Præfata licentia non requiritur quod ſit expreſſa, ſed abunde ſufficit, ſi ſit tacita, aut præſumpta, vel interpretativa; etenim Prælatus concedens ſubdito facultatem itinerandi, cenſetur omnia illa concedere, ſine quibus itineratio commode fieri nequit: ſed ſubditus Religioſus non poteſt commode itinerare, vel extra Conventum manere abſque electione Confeſſarii, cum debeat Sacramenta frequentare; ergo præſumendum eſt, hujuſmodi facultatem illi concedi in licentia itinerandi, vel extra Conventum manendi: præterea, quia dicta privilegia nihil dicunt de licentia expreſſa, ſed tantum requirunt licentiam, quæ ſive ſit tacita, ſive expreſſa, licentia eſt, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: ita tenent S. Antonin. *p.* 3. *tit.* 24. *cap. final. §.* 1. Sylveſt. *V. Confeſſor* 1. *n.* 10. *q.* 11. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 39. *n.* 35. Miranda *tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *concl.* 1. *in fine* Navarr. *tom.* 3. *diſt.* 6. *de pœnit. in cap. placuit n.* 62.

12. Virtute tamen dictæ licentiæ a Prælatis generaliter factæ, non poſſunt itinerantes, vel extra Conventum manentes per Confeſſarios a ſe electos a reſervatis abſolvi, niſi id eiſdem expreſſe fuerit conceſſum; ut conſtat ex cap. *Si Epiſcopus de pœnit. in* 6. ubi dicitur, quod caſus reſervati non veniunt in generali conceſſione, niſi in ſpecie concedantur; & ex *Juris regula* 81. *in* 6. ubi habetur, *quod in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus*; cum rationabiliter poſſit præſumi, nullum Prælatum reperiri, qui ſuis ſubditis iter facientibus concedat facultatem confitendi reſervata extra Religionem, & præſertim Presbyteris Sæcularibus, ex quo Religio poſſit infamari, & regularis diſciplina contemni. Sed quia hac de re non poteſt certa regula aſſignari, idcirco debent Prælati prudenter advertere, quod moraliter loquendo, non poteſt negari, quin neceſſarium ſit ut in hac parte conſulatur Religioſis per plures dies itinerantibus, & Confeſſariis ſui Ordinis indigentibus, necnon confitendi reſervata, ſi opus fuerit, licentiam expreſſam petentibus; nam ex negatione gravia ſcandala, incommoda, ac detrimenta in animarum perniciem poſſent oriri: quamobrem non ſint duri, nec difficiles Prælati in hujuſmodi licentia concedenda; nec nimis faciles, ſi ponderatis circumſtantiis prudenter prævideant, illam poſſe deſervire plus ad deſtructionem, quam ad ædificationem: prout docent Longus *p.* 1. *de caſib. reſerv. ſect.* 3. *art.* 5. *in fine*, Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 19. Donat. *tom.* 4. *tr.* 5. *q.* 20. *n.* 6. & 7. Hæc dicta ſint de reſervatorum confeſſione in ordine ad obtinendam abſolutionem directam, nam pro indirecta, conſtituti in urgenti neceſſitate non indigent præfata licentia.

13. Neque ex vi præfatæ licentiæ poſſunt itinerantes, vel extra Conventum manentes eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem a nullo Superiore approbatum; ratio eſt primo, quia in omnibus præfatis privilegiis eligendi Confeſſarium, habetur ut eligendus ſit idoneus, & diſcretus, numquam vero cenſebitur talis juxta regularia ſtatuta, niſi ſit a ſuo Superiore approbatus; nam cum Religioſus per votum obedientiæ factus ſit juris alterius, bene ſequitur, quod licet ſit Sacerdos diſcretus, & idoneus, adhuc tamen ſine ſui Prælati licentia non poteſt, neque Regularium ſui Ordinis, nec alterius, neque Sæcularium confeſſiones excipere.

Se-

Digitized by Google

Secundo, quia in omni Religione bene ordinata reperitur ſtatutum, quo Regulares prohibentur, ſine licentia ſuorum Prælatorum, etiam Religioſorum ſui Ordinis Confeſſiones Sacramentales audire. Tertio, quia mens Summorum Pontificum concedentium prædicta privilegia itinerantibus eligendi Confeſſarium, numquam fuit eximere eos quoad iſtum articulum a ſubordinatione, & obedientia ſuorum Prælatorum; ergo ſicut per eadem privilegia numquam itinerantibus fuit integrum, independenter a ſuis Prælatis, eligere ſibi Confeſſarium, ita a pari, & Confeſſarius electus in vim dictorum privilegiorum non poterit independenter a ſuo Prælato, ſe eligentis Confeſſiones excipere, cum utrobique eadem ſit ratio, nempe voti obedientiæ, & ne proprio Prælato fiat injuria. Idem a fortiori dicendum eſt de Presbytero Sæculari, qui ſine approbatione ſui Ordinarii prædictorum Confeſſiones audire non valet: hæc eſt ſententia verior, & probabilior, quam, contra nonnullos, tuentur Miranda *tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *Concluſ.* 1. Peyrinus *tom.* 1. *de ſubdito q.* 1. *cap.* 21. *verſ. dico* 6; Portell. *V.* Confeſſor erga Fratres *n.* 14. Pellizar. *tom.* 2. Manual. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 8. *n.* 10. *& q.* 9. *n.* 11. Roder. *tom.* 1. *q.* 62. *art.* 4. & alii.

14. Duo Sacerdotes ſimplices Regulares iter facientes de licentia ſuorum Prælatorum habentium poteſtatem inſtituendi Confeſſarios; valide ad invicem poſſunt confiteri, & Laicus pariter cum ſocio Sacerdote ſimplici, ſi id propriis ſtatutis non repugnet; hæc quoque concluſio procedit, etiam ſi dicti itinerantes poſſint eligere extraneum approbatum Sæcularem, vel Regularem; ratio eſt, tum quia Prælati prædicti concedentes licentiam Sacerdotibus ſimplicibus ad itinerandum, concedunt eis omnia, quæ ad iter faciendum neceſſaria ſunt, & præcipue quoad Sacramentum pœnitentiæ, juxta privilegia relata, cum conceſſo principali, concedatur etiam acceſſorium: tum quia eo ipſo, quod Sacerdos ſocius itineris eligitur ab alio ſocio Sacerdote, vel Laico ad excipiendam ejus Confeſſionem, intelligitur pro ea vice approbatus virtute dictorum privilegiorum, & licentiæ inſimul itinerandi; limita tamen primo, quod non poſſint ſe invicem a reſervatis abſolvere, ut dictum eſt ſupra *n.* 12. limita ſecundo, id nequaquam procedere, ubi Confeſſarii approbati ejuſdem Ordinis commode haberi poſſunt. Dixi, *ſi id propriis ſtatutis non repugnet*; nam in noſtro Minorum Ordine non habent Guardiani poteſtatem inſtituendi Confeſſarios, cum id per ſtatuta *cap.* 7. eis prohibeatur, & ad Generalem, vel Provincialem dumtaxat ſpectet; idcirco Religioſi itinerantes cum ſola licentia Guardianorum, vel aliorum Superiorum Localium non habentium auctoritatem Confeſſarios inſtituendi, ſi voluerint confiteri, debent ſemper Sacerdotem approbatum eligere: ita Peyrinus *tom.* 1. *de ſubdito*, *q.* 1. *cap.* 21. Bordon. *p.* 1. *reſol.* 34. *q.* 1. *n.* 4. Portell. *V. Confeſſor. erga fratres n.* 14. Donat. *tom.* 4. *tract.* 5. *q.* 24. & alii.

15. Religioſus itinerans cum ſocio Confeſſario poteſt eidem confiteri in Monaſteriis Ordinis, per quæ ambo tranſeunt, quamvis ibi diutius commorentur, & ſint extra propriam Provinciam, dummodo ad eamdem redituri ſint; quia in tali caſu non dicuntur vagari extra Diœceſim ſuæ Religionis, cum Religio non claudatur certis terminis Localibus alicujus certæ Diœceſis, & conſequenter ſemper pertinent ad actualem ſubjectionem Prælatorum ſuæ Provinciæ, ad quam ſunt redituri, ut docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 2. Secus autem dicendum, ſi ad eam redituri non ſint, cum in tali caſu deſinant eſſe itinerantes, & cenſeatur domicilium mutaſſe, & per conſequens itinerantium privilegium amiſiſſe, prout docet Donat. *tom.* 4. *tract.* 5. *q.* 25.

16. Itinerantes, & hoſpites Regulares non poſſunt audire Confeſſiones Fratrum Conventus alterius Provinciæ, per

per quam tranſeunt, abſque approbatione Generalis, vel Provincialis illius Provinciæ (ſalvis tamen ſtatutis ſpecialibus cujuſcumque Religionis;) etenim apud nos Fratres Minores id omnino ſervandum eſt, prout docet Corduba *in cap. 7. Regulæ q. 2. punct. 3.* Bordon. *tom. 1. reſol. 4. q. 1. num. 5.* & conſtat ex ſtatutis generalibus *cap. 7.* & ex commentariis Sanctorii in dicta ſtatuta *eod. cap. q. 9.* ubi dicitur, quod Confeſſarii approbati a Generali poſſunt audire Confeſſiones Fratrum in toto Ordine, approbati a Provinciali, ſine reſtrictione ad locum, & perſonas, in tota Provincia, & non in aliena abſque approbatione illius Provincialis.

17. Religioſi itinerantes, vel extra Conventum manentes poſſunt per Confeſſarios Conventuum alienæ Provinciæ, ſed ejuſdem Ordinis, ad quos declinant, abſolvi a caſibus reſervatis in ſua Provincia, ſi in aliena, per quam tranſeunt, reſervati non ſint; etenim præfati itinerantes debent judicari ſecundum leges loci, in quo morantur, ut conſtat ex Marimagno Sixti IV. incip. *Regimini univerſalis Eccleſiæ:* apud Cherub. *tom. 1.* & docet Suarez *de pœnit. diſp. 30. ſect. 1. num. 4.* Contra vero, ſi accedant ad alienam Provinciam innodati aliquo caſu in ea reſervato, licet in propria hujuſmodi caſus reſervatus non ſit, non poſſunt abſolvi niſi a Confeſſariis habentibus facultatem ordinariam, vel delegatam in reſervata, nam reſervatio afficit directe Confeſſarium, & indirecte pœnitentem: ita cum communi Lezana *p. 1. Summ. cap. 19.*

18. Religioſi data opera itinerantes, eo fine præciſe, ut extra Ordinem poſſint confiteri, non gaudent itinerantium privilegiis, eorumque confeſſio eſt invalida; tum quia fraus, & dolus nemini patrocinari debet, *cap. Sedes Apoſtolica, de reſcriptis:* tum quia privilegia non ſunt trahenda in conſequentiam, *cap. 8. de privil. & regul. 28. jur. in 6.* ergo privilegium conceſſum itinerantibus non extenditur ad vagantes præciſe; tum demum, quia privilegia præfata conceduntur, modo Religioſi fraude non utantur, ut expreſſe dicit Leo X. apud Sorbum in comp. privil. *V. abſolutio ordinaria quoad Fratres §. 23.*

19. Regulares, qui pro objecto primario intendunt exire e Provincia, vel Conventu ad prædicandum, vel ad aliud utile, & honeſtum negotium peragendum, licite poſſunt privilegiis itinerantium uti, cum ſint vere itinerantes, dum actu ſunt extra Provinciam, vel Conventum: ratio eſt, quia ſicut valide eligunt Confeſſarium peccantes ſub ſpe veniæ, & abſolutionis obtinendæ, virtute Bullæ alicujus, vel Jubilæi, electionem Confeſſarii concedentis, ita a pari præfati Regulares differentes Confeſſionem ad tempus ut ſupra, valide, & licite dictis privilegiis frui poſſunt; etenim in præſenti caſu non interveniunt fraus, & dolus, cum iter primario, & per ſe aſſumatur ab illis ad negotia honeſta peragenda, ſecundario vero, & acceſſorie arripiatur ad Confeſſarium eligendum: ita Navarrus *conſil. 6. de conver. conjug.* Bord. *p. 1. conſil. reſol. 36. q. 21. num. 63.* Donat. *tom. 4. tract. 5. q. 41.* Beja *p. 2. caſ. 29.* & alii.

20. Fugitivi, & Apoſtatæ nequeunt privilegio itinerantium uti; tum quia durante apoſtaſia & fuga cunctis ſuæ Religionis privilegiis privantur; tum etiam quia electio Confeſſarii conceditur dumtaxat iter facientibus de licentia ſuorum Prælatorum; ſed fugitivi, & apoſtatæ vagantur Prælatis ſuis invitis, ergo &c.: limita vero, id non procedere in appellante, vel legitime recurrente ad Superiorem majorem, etiam invito inferiore, nam is poteſt Confeſſarium eligere, cum jam cenſeatur habere ſaltem præſumptam itinerandi licentiam ab eodem, ad quem recurrit; neque hæc concluſio repugnat Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 4. de Regular.* nam

quod

Digitized by Google

quod ibi dicitur, debet intelligi de recurſu illegitimo: ut docent Navarrus *comment. 2. de Regul. num. 61.* Bord. *p. 1. reſol. 34. q. 8. n. 16.* Donat. *tom. 4. tract. 5. q. 33.* & alii.

21. Tam Religioſi data opera itinerantes, vel extra Conventum manentes, quam apoſtatæ, & fugitivi, aliique non gaudentes itinerantium privilegio, ut dictum eſt, in neceſſitate poſtea conſtituti vel celebrandi, vel communicandi, ad vitandum ſcandalum, vel infamiam, poſſunt extra Religionem, vel Provinciam confiteri Confeſſariis Regularibus, aut Sæcularibus, cum neceſſitas faciat licitum quod alias eſſet illicitum: vide Portell. *v. Confeſſor erga Fratres §. 12. circa quod*. Vide ſupra *num. 12. in fine*.

22. Regulares ſubditi neque de licentia expreſſa ſui Prælati poſſunt ſe ſubjicere Epiſcopo loci, in quo degunt, ad hoc ut ab eo abſolvantur, vel diſpenſentur a caſibus, cenſuris, vel impedimentis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, niſi in caſu neceſſitatis, & deficientibus Prælatis proprii Ordinis: ratio eſt, tum quia Prælati Regulares vel de jure communi, vel ex privilegiis poſſunt in ſuos ſubditos totum illud, quod Epiſcopi poſſunt in ſuos Clericos, ut conſtat ex ſupra relatis reſolutionibus *de poteſt. Præl. Regul.* ergo inutile foret adire Epiſcopum pro abſolutione, aut diſpenſatione a præfatis quoad forum conſcientiæ, dum quod quæritur intus habetur, fruſtra enim fit per plura, quod æque bene poteſt fieri per pauciora; tum etiam quia Regulares ſine licentia Papæ, cui immediate ſubjiciuntur, nequeunt privilegio ſuæ exemptionis renunciare in Religionis præjudicium; *ex cap. ſi Papa, de privil. in 6. & ex Clement. penult. de ſent. excomm.* tum demum quia jus antiquum, & privilegia, quibus Epiſcopi poterant olim de licentia Prælatorum Regularium exercere juriſdictionem ordinariam, etiam ſtrepitoſam in Monaſteriis, hodie non poſſunt amplius habere locum, ob tot privilegia poſteriora a Sancta Sede Regularibus conceſſa, quibus univerſaliter, & omnino a poteſtate, & juriſdictione Epiſcoporum exempti reperiuntur: ita contra nonnullos tenent S. Antonin. *p. 3. tit. 24. cap. ult. §. 1. ver. & nota*, Miranda *tom. 2. q. 7. art. 2. concluſ. 2.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 11. num. 7.* Portell. *v. Epiſcopus in addit. num. 4.* Hieronym. Roder. *in comp.* alter. Roder. *reſol. 3. num. 15.* Donat. *tom. 4. tract. 5. q. 11.* & alii communiter.

23. Ad lucrandum Jubilæum non tenentur Regulares eligere Confeſſarium ab Epiſcopo loci approbatum, ſed ſufficit, quod, concurrentibus ceteris, eligant Confeſsarium ſui Ordinis, a ſuo dumtaxat Superiore legitime admiſſum; nec nocent illa verba, quæ in Bulla Jubilæi exprimuntur, nempe, *ut poſſint eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum*; nam ſicut nomine Ordinarii, reſpectu Sæcularium, venit Epiſcopus loci, ita reſpectu Regularium venit Prælatus Regularis; verba enim prædicta pro Regularibus appoſita ſunt cumulative, & ampliative in favorem ipſorum, non privative: ita ut poſſint, ſi velint, peccata ſua confiteri vel Confeſſario a proprio Prælato, vel ab Ordinario loci approbato, quod eis vigore Jubilæi cenſetur indultum, idque in favorem animarum, ut probabilius docent Bordonus *tom. 1. reſol. 34. q. 18. num. 45.* Bonac. *de pœnit. diſp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. num. 25.* Boſſius *de Jubil. ſect. 3. caſ. 3. n. 10.* Zambellus *v. Jubilæum num. 29.* Diana *p. 2. tract. 17. reſol. 47.* Advertendum tamen, quod quamvis Regulares poſſint tempore Jubilæi eligere Confeſsarium extra Ordinem ab Epiſcopo loci approbatum, adhuc tamen tenentur petere licentiam a ſuis Prælatis, ſecus Jubilæum non lucrantur, quia ſine tali licentia invalide confitentur; prout Gregorius XIII. expreſse declaravit, ut refert Roder. *tom. 1. q. 62. art. 4.* vide ſupra *num. 9.*

24. Regulares omnes cujuſcumque Religionis poſſunt abſque licentia ſuorum Superiorum, immò invitis ipſis, liberè confiteri Pœnitentiariis D. Papæ, & etiam à reſervatis in Religione ab eiſdem abſolvi, non obſtantibus Conſtitutionibus, ſeu ſtatutis quibuſcumque in contrarium, ut conſtat ex facultatibus dictorum Pœnitentiariorum; Papa enim eſt Supremus omnium Regularium Prælatus, ideoque poteſt concedere, ſicut de facto concedit, ſuis Pœnitentiariis hujuſmodi auctoritatem.

25. In Monaſteriis, ſeu Conventibus, ac Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſſunt tam Prælati Regulares, quam Confeſſarii eorumdem Monaſteriorum, ſeu Conventuum, & Collegiorum, etiamſi ab Ordinario loci non ſint approbati, audire Confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi vere ſunt de familia, & continui commenſales; non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt, & commenſales non ſunt, prout conſtat ex Bulla Clementis X. quæ incipit: *Superna Patris familias*; anno 1670. edita, apud Lantuſcam *tom. 6. Bull. Rom.* neque ſub tali conceſſione comprehenduntur juvenes proximè Religionem ingreſſuri, ut docet Diana *p. 3. tract. 2. reſol.* 46. ſed ejus ſententia poſt præfatam Clementinam corruit. Idem dicendum de Militibus Sancti Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & ſimilibus, qui verè Religioſi non ſunt, contra Bordonum *tom. 1. conſil. reſol. 36. q. 26. n.*70. & pari modo de infirmis in hoſpitalibus Fratrum S. Joannis de Deo, vulgò *Bonfratelli*, degentibus, quos idem Bordon. *reſol. 36. q. 21. n. 63.* falsò ſupponit eſſe de familia dictorum Fratrum, quam opinionem communiter D. D. refellunt; nam omnes prædicti tenentur confiteri Confeſſariis ab Epiſcopo approbatis, & ita deciſum eſſe à S. Congr. docet Sperellus *p. 1. deciſ. 2. nu.* 123. Barboſa *allegat.* 25. *n.* 46. Averſa *de Sacram. pœnit. q.* 16. Gavantus *in Manual. Epiſcop. v. Confeſſarius, nu.* 25. *&* 26. & alii. Novitii tamen ſacro habitu jam induti, validè, & licitè poſſunt confiteri Prælatis Confeſſariis præter deputatos ad eorum Confeſſiones audiendas, nam in favorabilibus Religioſi ſunt: *eſt ſent. comm.*

26. Confeſſarius Regularis, qui petit facultatem a Superiore abſolvendi ab aliquo reſervato, ſive ſub generali ſermone verborum, v. g. dicendo: Eſt quidam ex noſtris, qui indiget veſtra auctoritate; placet ne vobis illam mihi concedere? ſive dicendo: Rogo te, ut des mihi facultatem pro abſolvenda una perſona a reſervatis, poteſt ex vi talis licentiæ conceſſæ uti ea facultate pro ſe ipſo, niſi fortè Confeſſarius ſit moraliter certus Superiorem intendere ei dare facultatem dumtaxat activam, tunc enim non poſſet cum tali certitudine morali, niſi imprudenter, & inutiliter operari: ita Bordon. *p. 1. reſol. 39. q. 24. n. 63.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol. 126. ex tract. 4. de Sacram. reſol.* 142. Villalob. *tom. 1. tract. 9. diffic. 64. n.* 4. & alii, *& patet ex ſtylo Sacræ Pœnitentiariæ*.

27. Confeſſarius Regularis, qui petit facultatem a Prælatis majoribus Generali, vel Provinciali abſolvendi aliquem Religioſum a reſervatis, poterit, obtenta licentia, illum abſolvere etiam a reſervatis commiſſis poſt obtentam facultatem; nam petitio, & conceſſio tacite intelliguntur de ſimilibus caſibus, qui poſt dictam conceſſionem, bona fide, ſubiiciuntur clavibus: prout docent Bonacina *de legib. diſp. 1. q. 3. p. 7. §. 1. n.* 11. Præpoſitus *in 3. p. q. 9. de reſerv. dub. 3. n.* 22. Diana *p. 4. tract. 4. reſol.* 109. & alii. Secus autem dicendum, ſi hujuſmodi facultas obtenta fuit a Superioribus Localibus non habentibus a jure auctoritatem ordinariam in reſervata, ut ſunt Guardiani Ordinis Minorum, & ſimiles juxta regularia ſtatuta, qui cum non poſſint concedere facultatem generaliter abſolvendi a reſervatis, ſed dumtaxat ab aliquo reſervato particulari, idcirco non ſufficit ea facultas ſemel obtenta, ſed toties quoties petenda eſt.

28. Re-

28. Regulares, quibus verbo, vel ſcripto abſolute, & abſque limitatione temporis vel loci conceſſa eſt a legitimis Superioribus facultas abſolvendi ab omnibus, vel ab aliquibus reſervatis in Ordine, ea uti poſſunt mortuis, vel amotis ab officio dictis Superioribus, cum gratia facta non expiret morte concedentis, niſi per Succeſſorem revocetur. Secus autem dicendum de Pœnitentiariis pro Conventibus in tabella Capituli, vel Congregationis deputatis, juxta Decretum Clementis VIII. de caſuum reſervatione, nam auctoritas iſtorum durat pro tempore dumtaxat, quo in dicta tabella adſcripti ſunt, & lecti; & ſolum in Conventu, ubi ſunt de familia, cum non ſit perſonalis, ſed localis, ſcilicet per totum diſtrictum Civitatis, vel loci ubi Conventus ſitus eſt, per quem Guardianus ſuam juriſdictionem extendit; ita Sanctorus *comment. in ſtatut. Ord. Min. ſtat. 3. cap. 7. q. 2. pag.* 517. *&* 18.

29. Confeſſarii Pœnitentiarii Conventuum non ſolum poſſunt ab omnibus reſervatis in Religione abſolvere, ſed etiam a cenſuris illis annexis, niſi id per ſtatuta prohibeatur: ratio eſt tum quia favores ſunt ampliandi, tum etiam, quia alias facultas illa foret inutilis, tum item quia conceſſo principali, ideſt caſu, intelligitur conceſſum acceſſorium, ideſt cenſura; tum tandem, quia talis eſt praxis Religionis; ut docent Suarez *de cenſ. diſp. 7. ſect. 4. n.* 13. Navarrus *in ſumm. cap.* 27. *n.*261. Portell. V. *caſus reſerv. nu.* 3. & eſt communis. Dixi, *niſi id per ſtatuta prohibeatur*; nam cum per ſtatuta generalia Ordinis noſtri *cap.* 7. excommunicatio Canonis, *Si quis ſuadente*, ſit reſervata Provinciali, idcirco nedum præfati Pœnitentiarii, verum etiam Guardiani ab ea abſolvere prohibentur per hæc verba: *Ab excommunicatione contracta ob violentam manuum injectionem poſſint Guardianus, vel eo abſente per diem naturalem, Vicarius abſolvere, ſi Miniſtri præſentia intra triduum haberi non poſſit; quod de percuſſione atroci, vel ſubditi in Prælatum numquam intelligendum eſſe decernimus*. Quod dictum eſt de Pœnitentiariis quoad abſolutionem a caſibus reſervatis, & cenſuris, intelligendum pariter eſt de Confeſſariis non Pœnitentiariis, qui quidem, obtenta a Prælato facultate ad abſolvendum ab aliquo caſu reſervato, poſſunt etiam abſolvere a cenſura annexa; niſi aliter Prælatus ſe explicet, & niſi ſtatutis repugnet: Vide infra *tract. 6. cap. 3. num.* 5.

30. Præfati Pœnitentiarii Conventuum, qui revera ad univerſitatem caſuum reſervatorum ſunt delegati, poſſunt uti paſſive eadem auctoritate; quam habent ad abſolvendos fratres a reſervatis; ratio eſt primo, quia ſic inſtituti cenſentur quaſi Ordinarii, idcirco poſſunt ſubdelegare in favorem ipſorum; ſecundo, quia æquum non eſt illos ſitire, qui potum aliis elargiuntur; tertio, quia hujuſmodi delegati non debent eſſe deterioris conditionis quam ceteri conſubditi, quos a reſervatis poſſunt abſolvere, ergo non ſolum activa, ſed etiam auctoritate paſſiva, numquam tamen commiſſiva, perfruuntur; ultimo, quia talem præſumitur eſſe voluntatem Prælatorum majorum, qui ſcientes hanc doctrinam, eam tolerando approbant; prout docent Cajetanus 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *in fine* Graffius *in append. ad lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 45. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 20. *n.* 72. Peyrin. *tom.* 2. *de privil. q.* 3. *cap.* 2. *n.* 27. *not.* 12. & alii. De Delegatis in aliquo caſu particulari pro una vice tantum, vide ſupra *n.* 26.

CAP. II.

Explicantur breviter undecim caſus in Decreto Clementis VIII. enumerati.

1. CAſus comprehendit *Veneficia*, *Incantationes*, *ſortilegia*; per hæc tamen non veniunt omnia peccata mortalia ſuperſtitionis, ſed illæ tantum ſpecies, quæ prædictis nominibus ſignificantur; nempe *Veneficii* nomine veniunt

veniunt vana quædam media, quibus quis intendit nocere proximo in perſona, vel in rebus, & hoc ſubſidio dæmonis expreſſe, vel tacite invocati; ad hæc reducuntur omnia mala, quæ eodem ſubſidio hominibus inſeruntur, ut dolores, infirmitates, paſſiones amoris, odii &c. arte dæmonis excitatæ tempeſtates, & ſimilia. *Incantationis* nomine venit opus magicum, quo ope dæmonis fiunt mirabilia, apparet cœlum horridum procellis ſonantibus, palatia ameniſſima, viridaria; item deſertæ ſolitudines, ſerpentes &c. Interdum incantatio eſt maleficium reddens aliquem ſtolidum, & inſenſatum. *Sortilegii* nomine veniunt ſortes factæ ad occultum, vel futurum aliquod contingens divinandum; eſt autem triplex, ſcilicet diviſorium, conſultorium, & divinatorium; ſub eo tamen non comprehenduntur conſultationes ſagarum, neque aſtrologia judiciaria, neque veneficia ad curandos morbos, ut volunt aliqui, quia hæc proprie, & in rigore non ſunt veneficia.

2. Caſus eſt, *Apoſtaſia a Religione*; quæ juxta Pontificis Decretum debet intelligi in vero, & proprio apoſtata a Religione, & ſic in Religioſo illo, qui expreſſe, vel tacite profeſſus deſerit Religionem, quam profeſſus eſt, ſine tranſitu ad aliam, & cum animo non revertendi ad ſuam, de quo loquitur titulus *de apoſtatis*: ita Sanchez in Decal. *lib. 6. cap.* 8. *num.* 2. Navarr. *notab. in conſil.* 1. *de apoſt.* Lezana *de oblig. Regular. cap.* 16. *num.* 12. & alii.

3. Caſus eſt, *Nocturna, & furtiva è Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam animo non apoſtatandi facta*: nocturna dicitur, quæ fit tempore, quod intercedit inter ſerotinum, & matutinum crepuſculum excluſive; ut docet Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 42. *n.* 2. furtiva vero, quæ fit inſcio Superiore, vel etiam eo vidente, ſed non reſiſtente; requiritur tamen quod ſit ſecreta aliis aut cum effectu, vel in affectu, licet deinde manifeſtetur; unde quomodocumque Prælatus conſentiat ſive juſte, ſive injuſte, non erit caſus hic comprehenſus: ita Bord. ſupra *n.* 3.

4. Caſus eſt, *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale*: per hanc intelligitur omnis actus juridicus acquirendi, vel alienandi, aut conſumandi nomine proprio in materia notabili, abſque licentia Superioris, minime vero expenſio cum licentia etiam ad fines inhoneſtos, & uſus ſuperfluos, nam etſi hoc peccatum ſit contra paupertatem, non eſt tamen proprietas; includitur etiam furtum ex bonis Monaſterii, non ratione detrimenti Monaſterio illati, nam hic caſus octavo loco ſeorſim poſitus eſt, ſed quatenus eſt diſpoſitio, ſeu actus dominii exercitus ſine licentia. Circa quantitatem, quæ requiritur ad conſtituendum Religioſum proprietarium ſub mortali reſervato, variant Doctores; communior tamen opinio tenet, quod ſufficiat quantitas trium Juliorum parum plus, vel minus, quæ regulariter ſufficit ad conſtituendam materiam gravem in furtis.

5. Caſus eſt, *Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo*: tunc incurrit Religioſus hunc caſum reſervatum, quando juridice interrogatus falſum deponit in judicio Regulari, ſcilicet coram judice, vel Prælato ſui Ordinis, aut legitimo, ut Nuntio, Epiſcopo, vel ejus delegato, etiam Laico in caſibus permiſſis; minime vero in privatis conventionibus, & arbitriis, nec in judiciis, in quibus via juris non ſervatur: ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *tr.* 8. *cap.* 18. *n.* 7. Pellizar. *tract.* 6. *cap.* 1. *nu.* 27.

6. Caſus eſt, *Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto*; unde procurare eſt ſtudioſe, & voluntarie agere per ſe, vel per alium; aut conſulendo, vel auxilium præbendo ut abortus ſequatur, etiamſi non ſequatur, dummodo fœtus ſit animatus, nam ſi animatus non ſit,

Digitized by Google

etiamſi animatus exiſtimetur, non facit ad hunc caſum: & quia D. D. communiter docent, marem die 40. animari, & feminam die 80. idcirco qui ante 40. diem abortum procuraverit, caſum hunc reſervatum non incurrit: Bord. cit. *reſol.* 45. *n.* 7.

7. Caſus eſt, *Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus:* ut falſificatio ſit reſervabilis, requiritur ut ſit doloſa per ſubſcriptionem, aut ſignaturam mendacem, factam ad imitationem manus, aut ſigilli Officialium, quo nomine venit Superior Localis, quocumque nomine nuncupetur, & ejus Superiores, ut Generalis, & Provincialis, quia etiam iſti ſunt Officiales Conventus, quatenus Conventus eſt pars, & membrum Provinciæ, & Religionis: item Miniſtri, ut Procurator, Cellerarius, Sacriſta, aliique habentes aliquam adminiſtrationem, & ut tales ſcribentes, & ſignantes. Falſificantes autem ſigillum, hoc eſt, furto verum ſigillum ſubripientes, & ſimile fabrefieri facientes, non comprehenduntur donec reipſa eo utantur, neque comprehenditur ille, qui bona fide litteras ſuas ſigillo Officialis ſignat, carens proprio, cum non peccet, ſaltem mortaliter; comprehenditur tamen qui falſificat manum impreſſam, ſi enim Prælatus ſubſcriptionem typis formare ſolet, & ſubditus eam doloſe imitatur, incidit in hunc caſum, quia nihil refert qualem falſificet, dummodo falſificet manum, ideſt ſubſcriptionem, quæ facit publice fidem: Suarez *ubi ſupra num.* 9.

8. Caſus eſt, *Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale*. Unde juxta decretum, furtum de rebus Sæcularium non eſt reſervabile, niſi tamquam actus proprietatis, qualis eſſe deſineret, ſi fieret de conſenſu Prælati; ſub rebus Monaſterii comprehenduntur etiam res ad uſum Religioſorum particularium permiſſæ, prout tenent Coriolan. *p.* 2. *caſ.* 8. *dub.* 5. *n.* 13. Suarez *ubi ſup. n.* 11. & Pellizar. *ubi ſup. nu.* 33. nam bona hujuſmodi in omni rigore bona ſunt Monaſterii. Circa quantitatem requiſitam ad reſervationem, vide ſupra *caſ.* 4.

9. Caſus eſt, *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus*; ſub quo comprehenduntur omnes actus cujuſcumque ſpeciei luxuriæ perfectæ, & completæ, quales ſunt fornicatio, ſtuprum, adulterium, inceſtus, Sacrilegium, pollutio, Sodomia, & beſtialitas; immo comprehenditur pollutio peccaminoſa ex cooperatione tantum mentali, abſque ulla actione corporali, & ex aſpectu libidinoſo feminæ nudæ, vel etiam ex cogitatione turpi quomodocumque voluntarie orta, quia ipſa pollutio, quæ reſervatur, externa eſt, mortifera, & voluntaria, ut ſupponimus, & opus conſummatum. Secus ſi quis inciperet copulam, & eam non perficeret ſemen non effundens, vel turpia pateretur, non ſe polluens: ut docent Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 48. *n.* 22. Suarez *ſupra n.* 2. & alii.

10. Caſus eſt, *Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ*. Sub nomine gravis percuſſionis venit verberatio cum ingenti dolore abſque ſanguinis effuſione, & ſic diſtinguitur a vulneratione; præterea percuſſio poteſt eſſe gravis ſecundum ſe, ut eſt debilitatio membri, cicatrice relicta, dentifragium, depilatio in magna quantitate, truncatio digiti; vel per accidens, ratione perſonæ, ut ſi ſit Superior, vel in dignitate conſtituta, aut Sacris induta, vel in Sacris conſtituta; item ratione loci, ut ſi fiat in Eccleſia, coram Superiore Locali vidente, vel majore viſitante. Circa quæ notandum eſt, poſſe eſſe percuſſionem cum emiſſione ſanguinis, quæ non ſit vulneratio, ut ſi pugno percutiantur nares, vel frangatur dens, id enim non accidit ſine effuſione ſanguinis; idem dic, ſi pugno, vel baculo pars contundatur, & excorietur, ſicque aliquid ſanguinis prodeat, nam vulneratio proprie eſt quæ fit armis pungentibus,

vel

vel ſcindentibus; ob quod truncatio digiti, ſi gladio fiat, vulneratio, non percuſſio dicenda erit: Bordon. *ſupra reſol.* 49. *num.* 5.

11. Caſus eſt, *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores*. Circa quæ requiritur omnis actio poſitiva retardans litteras; unde ſi quis curſorem inveniat velociorem, quo litteræ illæ præveniantur, non erit impedimentum, nec retardatio litterarum hic expreſſa. Item ſubditi tantum ad Superiorem, & contra. Ubi notandum, nomine Superiorum non venire Protectorem, vel Legatum a latere, aliumve hujuſmodi, nam in proprietate ſermonis Superiores dumtaxat Regulares hic intelliguntur; neque erit caſus reſervatus, aperire litteras familiares ad Superiores miſſas continentes annuntiationem Nativitatis Domini, vel negotia communia, ſed quæ ſcribuntur, & reſcribuntur tamquam Superiori, & a Superiore, ſpectantes nimirum ad regimen: Bordon. ſuper *reſol.* 50. *num.* 48. Fagundez 2. *præcep. Eccl. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 25. Pelliz. *cit. cap.* 1. *num.* 39. Advertat Frater Minor Strictioris Obſervantiæ, quod præter undecim caſus præfatos, ſunt & alii quatuor reſervati pro Provinciis reformatis in Decreto Clementis VIII. non contenti, videlicet.

1. *Inobedientia contumax*. Scilicet quando Superior trina monitione præmiſſa tribus diſcretis temporibus per diem naturalem facta, præcipit ſubdito ut obediat, & ipſe obedire renuit, nec ſufficit una tantum monitio pro tribus, ſed debent eſſe tres monitiones diſtinctæ, ut interim reſipiſcere valeat.

2. *Qui in Religionis detrimentum, & infamiam aliquid extra Religionem patefaciunt*. Ligantur hoc caſu, qui diviſiones inter Fratres, Prælatorum depoſitiones, vel privationes, & peccata in Ordine correcta, vel corrigenda, diſſenſiones, & diſcordias in detrimentum, & infamiam Ordinis, quoquo modo extra divulgaverint. Vide Santorum de Melphi *comment. in ſtat. Ord. Cap.* 7. *ſtat.* 5. *pag.* 514.

3. *Falſo, & ſcienter quempiam accuſantes, & infamantes*. Tres conditiones requiruntur ad incurrendum hunc caſum. 1. ut crimen impoſitum ſit falſum, nam ſi eſt verum, quamvis ſit occultum, non incurritur. 2. ut crimen imponatur cum animo lædendi graviter famam. 3. ut crimen ſit ex illis, quæ pœnis gravioribus puniri ſolent, prout ſunt crimina hæreſis, ſimoniæ, homicidii, &c.

4. *Libellos famoſos facientes, fieri procurantes, inducentes, conſulentes, proiicientes, vel publicantes*. Libellus famoſus eſt ſcriptura in contumeliam alterius edita, & cum caſus ſe ſatis declaret, non eſt immorandum; ſolum adverto, non incurri ſine effectu publicationis, etiamſi proiiciatur, affigatur, & divulgari procuretur, ſi divulgatio ad aliorum notitiam non veniat, reſpicitur enim proximi infamatio, qua non ſecuta, non eſt caſus reſervatus.

Pro Provinciis Regularis Obſervantiæ ſunt 19. caſus reſervati, de quibus fuſe tractat Santorus *cap.* 7. *ſtat.* 5. *pag.* 521.

C A P. III.

De approbatione, quam a locorum Ordinariis debent habere Regulares ad audiendas Sæcularium Confeſſiones.

1. QUamvis Sacerdotes in ſua Ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, & Regulares ad audiendas Sæcularium Confeſſiones juriſdictionem ab Epiſcopis non obtineant, cum hujuſmodi juriſdictio immediate a Sede Apoſtolica eiſdem tribuatur per Clementinam: *Dudum de Sepulturis*; & per extravagantes Bonifacii VIII. *Super Cathedram*; & Joannis XXII. *Frequentes*: a Tridentino non revocatas, ut cum communi docent Navarrus *in* Man. *cap.* 27. Roder. *tom.* 1. *q.* 59. *artic.* 1. & 2. nihilominus

tamen idem Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 15. de Reformat.* decernit, *nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Unde clare colligitur, non poſſe Regulares abſque prævia Epiſcopi approbatione Sæcularium Confeſſiones audire. Quoad Confeſſiones aliorum Regularium audiendas, vide ſupra *tract. 6. cap. 1. n. 6. & tract. 4. cap. 3. n. 7.*

2. Poſt Tridentinum etiam Gregorius XV. Conſt. *Inſcrutabili*, & Urbanus VIII. Conſt. *Cum ſicut accepimus*, revocarunt omnes facultates, & privilegia ad audiendas Sæcularium Confeſſiones Regularibus conceſſa, ita ut nullis, ſive Superioribus, ſive ſubditis, etiam Societatis Jeſu, ad id ſine dicta approbatione ſuffragari poſſint: prout habetur in Bullar. Cherub. *tom.* 4. Deinde Innocentius X. Conſtit. *Cum ſicut*, apud eumdem Cherub. confirmavit Decretum Sacræ Congreg. cui committebatur examen ſuper Controverſiis inter Epiſcopum Angelopolitanum, & Patres Societatis Jeſu Provinciæ Mexicanæ ortis, ubi declaravit: *Prædictos Religioſos nequaquam poſſe in Civitate Angelopolitana ſine Epiſcopi approbatione Confeſſiones Sæcularium audire.*

3. Sub Decreto Tridentini, aliiſque Apoſtolicis comprehenduntur Doctores, Lectores, & Magiſtri in Theologia, ſive in Jure Canonico, ut conſtat ex Bulla S. Pii V. incip. *Romani Pontificis*, apud Confectium *fol.* 228. ubi innovando Conſtitutionem Leonis X. incip. *Dum intra mentis arcana*, ſtatuit, Decretum Tridentini de approbatione Regularium ad audiendas Confeſſiones Sæcularium ab Epiſcopo facienda, obſervari debere ab omnibus Regularibus quorumcumque Ordinum, etiam Lectoribus, & in S. Theologia Magiſtris, etiam a Generalibus, vel Provincialibus expoſitis, & jure merito, tum quia non omnes Lectores, & Doctores ſunt docti; tum etiam quia multi in Theologia Scholaſtica eminent, in Morali vero claudicant; nec obſtat dicere, quod idem S. Pius in ſua præcedenti Bulla incip. *Etſi Mendicantium Ordines*, aliter declaravit; nam reſpondetur, quod Conſtitutio ſubſequens relata ſupra correxit priorem, quam etiam Gregorius XIII. ejus Succeſſor per Bullam incip. *In tanta negotiorum mole*, procuIdubio revocavit, & ad terminos ejuſdem Tridentini reduxit; prout habetur in Bull. Cherub. *tom.* 2. ita docent Suarez *tom.* 4. *in 3. p. D. Thom. diſp.* 28. *ſect.* 4. Lezana *in Summ. cap.* 19. *num.* 6. Donat. *tom.* 4. *tract.* 4. *q.* 3. & alii *comm.*

4. Pari modo ſub præfatis Decretis, & Conſtitutionibus comprehenduntur Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Rectores, ceterique Prælati Regulares, non habentes juriſdictionem Ordinariam in Sæculares; quia licet Tridentinum non exigat dictam approbationem ab habentibus Parochiale beneficium, adhuc tamen Prælatura Regularis non eſt beneficium Parochiale Sæcularium, quod poſtulat idem Tridentinum; deinde in citato loco Tridentini nullum reperitur diſcrimen inter Prælatos Regulares, & ſubditos, ergo utrique ſub Decreto comprehenduntur, nam ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; præterea neque quoad hoc poſſunt dicti Prælati allegare exemptionis privilegia, nam illa omnia quæ Tridentino adverſantur, manent revocata, immo & damnata ab Alexandro VII. cum propoſitione 36. ita De Lugo *de pœnit. diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 9. Donatus & alii *comm.*

5. Non ſufficit, ut Regulares ſe præſentent Epiſcopo, ſed requiritur ex Tridentino, ut ab eo approbationem obtineant; ita ut is, qui confitetur

Regu-

Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo non approbato e præcepto annuæ Confeſſionis minimè ſatisfaciat, prout decrevit Alexander VII. damnans ſequentem propoſitionem 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Ex dictis, & ex Conſtitutione Clementis X. quæ incipit: *Superna Patris familias*, apud Lantuſcam *tom. 6.* Bullar. manifeſte patet, eſſe a Tridentino, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus revocatam in hac parte Clementinam *Dudum de Sepulturis:* ubi Regularibus a ſuis Superioribus electis, & Epiſcopo præſentatis, ſed ab eo non approbatis, concedebatur ut libere, & licite Sæcularium Confeſſiones audirent, & beneficium abſolutionis eiſdem impenderent.

6. Neque peccata venialia, vel mortalia alias ritè confeſſa poſſunt Regulares ſine dicta approbatione in Confeſſione audire, ut conſtat ex Decreto S. Congr. Concilii de Communione quotidiana, juſſu Innocentii XI. ſub die 12. Februarii 1679. edito; ubi in fine dicitur: *Non permittant, ut Venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti, non approbato ab Ordinario; ſi Parochi, aut Confeſſarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes, etiam Societatis Jeſu, ſecus egerint, ſciant D. O. M. rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, & rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam attributa*. Nec obſtat dicere, quod nemo tenetur venialia confiteri, nam eo ipſo quod illa confiteantur, fiunt materia apta ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ad recipiendam formam abſolutionis Sacramentalis, quæ profecto invalide profertur a Secerdote, in quem ipſe Ordinariam, aut delegatam juriſdictionem non habet; Regulares enim a Papa juriſdictionem accipiunt, ſed ſuppoſita ſemper Epiſcopi approbatione, ſive pro mortalibus, ſive pro venialibus abſolvendis: ita Felix Panorm. *in exam. Confeſſar. tom. 1. p. 4. de Miniſtro Sacram. Pœnit. nu.* 3240. Donat. *tom. 4 tract. 4. q. 4.* & alii *comm.*

7. Regulares in una Diœceſi approbati, non poſſunt ex vi illius approbationis in alia Diœceſi Sæcularium Confeſſiones audire, ſi etiam in iſta approbati non ſint, tametſi pœnitentes ſint ſubditi illius Epiſcopi, a quo approbationem obtinuerunt: ut conſtat ex cit. Conſtit. Clementis X. quæ incipit: *Superna*. In Diœceſi tamen, in qua ſunt approbati, poſſunt omnium ex aliis Diœceſibus ad eam confluentium Sæcularium Confeſſiones audire, prout S. Congr. Concil. decrevit, teſte Fagnano, *Capit. de pœnit. & remiſſ.* cum Regulares ex Clementina, *Dudum de ſepult.* habeant juriſdictionem a Papa, quæ ad aliquod territorium non eſt limitata, ſed Orbis univerſus eſt ſua Diœceſis, *ex cap. cuncta per Mundum*; & licet antecedenter ad approbationem ſit per Tridentinum ſuſpenſa, approbatione tamen accedente juriſdictionis hujuſmodi ſuſpenſio tollitur: ut docent Laym. *lib. 5. tract. 6. cap.* 10. *n.* 19. Confect. *ſum. Privil. Ord. Mend. tit.* 17. *cap.* 4. & alii *commun.*

8. Regulares, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumve examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis perſonarum, admitti debent in propria Diœceſi. De ceteris vero, qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipſos cum limitata facultate, prout ipſis Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere: ut conſtat ex Bulla Gregorii XV. incip. *Inſcrutabili*: apud Cherub. *tom. 3.* & ex alia Clementis X. quæ incipit: *Superna*, apud Lantuſcam *tom. 6.* Bullarii.

9. Si licentiæ generaliter, & abſque temporis limitatione conceſſæ,

L 3 & de-

& delegatæ fuerint, per mortem, vel amotionem concedentis non expirant, etiamſi concedens deceſſerit, vel amotus fuerit priuſquam quis Confeſſiones excipere incæperit; ut docent communiter D. D. quas Epiſcopus, qui eas conceſſit, revocare non poteſt: bene vero ſi eas conceſſerint, aut ipſius Generalis Vicarius, vel Epiſcopi prædeceſſores; ut conſtat ex cit. Bulla: *Superna*, per hæc verba: *Regulares vero ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine, ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ab ejus Vicario, aut ab anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocare, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat; de qua tamen neceſſe non eſt ut in actis conſtet, nec eam tenetur Epiſcopus ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit. Accedente tamen rationabili cauſa, ut ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam Sedes Apoſtolica oneratam eſſe vult, poteſt in tali caſu Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut ab audiendis Confeſſionibus repellere*: ubi etiam habetur, quod abſque Sedis Apoſtolicæ judicio non poſſint ab Ordinariis omnes ſimul unius Conventus Confeſſarii audiendi ſæcularium confeſſiones facultate privari.

10. Epiſcopus ſucceſſor poteſt Regulares in Diœceſi ab anteceſſore approbatos, iterum examinare, & quos minus idoneos cognoverit reprobare; ut habetur in conſt. S. Pii V. incip. *Romani Pontificis*: apud Cherub. *tom.* 2. idem etiam decrevit Urbanus VIII. die 20. Auguſti 1629. & colligitur pariter ex præcitata Clementina: fruſtra enim jus haberet examinandi, ſi non poſſet Prædeceſſoris ſui conceſſiones revocare.

11. Poſſunt Capitulum Sede vacante, vel Vicarius Capitularis ex juſta cauſa revocare facultates præfatas poſt mortem Epiſcopi approbantis; tum quia Capitulum Sede vacante poteſt omnia exercere, quæ de jure communi pertinent ad juriſdictionem ordinariam Epiſcopi, exceptis nonnullis expreſſe a jure prohibitis, ut docet Barboſa *p.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 36. *n.* 9. ergo ſicut Epiſcopus, ita pari modo Capitulum ex cauſa eas revocare poteſt; tum etiam, quia ſicut Capitulum Sede vacante poteſt approbare, & exponere Confeſſarios per Vicarium a ſe electum, ut cum communi docet Barboſa *in collect. ad cap.* 15. *Trident. ſeſſ.* 23. *n.* 28. ita a pari poterit illos reprobare, & ab audientia Confeſſionum removere, cum hujuſmodi actiones ſint correlativæ: nec dictis obſtat privilegium Prædicatoribus, ac Minoribus a Clemente IV. conceſſum, quod refert Rodericus *tom.* 1. *Bullarii pag.* 36. nam vel cenſetur revocatum per Tridentinum *loc. cit.* vel eſt intelligendum, quod id ſine juſta cauſa facere non poſſit.

12. Ad audiendas etiam Confeſſiones eorum, qui de tertio Ordine vocantur, requiritur in Regularibus Ordinarii loci approbatio; ut conſtat ex decreto S. Congr. Epiſcop. & Regul. ſub die 20. Decembris 1616. edito, tenoris ſequentis: *S. Congr. ſtatuit, non poſſe Regulares audire Confeſſiones Sacramentales, ſive Virorum, ſive Mulierum tertii Ordinis, quæ De pœnitentia dicuntur, niſi ab Ordinario approbati fuerint ad Confeſſiones Sæcularium audiendas*: ut refert Peyrinus de privileg. Regul. *tom.* 1. *ad conſt.* 4. *Sixti IV. §.* 7. *n.* 39. Pro audiendis autem Confeſſionibus illorum Sæcularium, vel Oblatorum, ac Tertiariorum, qui vere ſunt de familia, & continui commenſales eorumdem Regularium, dicta approbatione non indigent, ut conſtat

ex cit.

ex cit. conſt. Superna: ſed ſufficit ſola approbatio Prælati Regularis: vide *n.* 25. *præced. cap.*

13. Non poſſunt Regulares in vim Bullæ Cruciatæ electi, pœnitentes Sæculares in Confeſſione audire, eoſque abſolvere, niſi ſint approbati ab Ordinario loci, in quo pœnitentes degunt; cum Bulla Cruciatæ Sanctæ nihil novi juris inducat, nullumque privilegium contineat quoad approbationem Confeſſariorum contra formam Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X.; ut conſtat ex Bulla Innocentii XII. quæ incipit: *Cum ſicut non ſine gravi*, die 19. Aprilis 1700. edita; ubi etiam decernitur, quod neque ad hoc ſuffragari poſſit approbatio ſemel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, & Diœceſum obtenta, etiamſi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confeſſarios electos approbaſſent, ſubditi forent: Confeſſiones autem aliter factæ ſint irritæ, & invalidæ, ac Confeſſarii ipſo jure ſuſpenſi.

14. Confeſſarii Regulares, ſive ſint Pœnitentiarii D. Papæ, ſive ſint approbati ab Eminentiſſimo ejus Vicario, debent extra Urbem etiam approbari ab Epiſcopo loci, ſi velint Sæcularium Confeſſiones audire; ratio eſt, quia Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* loquitur generaliter, & abſolute abſque ulla limitatione: neque obſtat dicere, quod Regulares communicant in privilegiis non ſolum aliorum Ordinum Regularium, ſed etiam Congregationum Sæcularium; ſed Presbyteri Congregationis Oratorii Urbis, ibidem approbati ad audiendas Confeſſiones, poſſunt ubique abſque alia approbatione eaſdem excipere, ex privilegio Sixti V. confirmato per Gregorium XIII. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, apud Quarantam in Summ. Bullar. *fol.* 199. ergo ſimiliter Regulares eadem facultate fruuntur: nam reſpondetur, quod hæc opinio utpote falſa communiter reiicitur; ultra quam quod dato, & non conceſſo, quod Regulares communicent in privilegiis Congregationum Sæcularium, adhuc tamen non poſſunt amplius uti privilegio Presbyteris Congregationis Oratorii conceſſo, cum ſit abrogatum per Urbanum VIII. in ſua Conſtit. incip. *Cum ſicut accepimus*: apud Cherub. *tom.* 4. *fol.* 418. nec ſunt audiendi Jo: Antonius Novarinus *in* 2. *p. Bullar. n.* 3. & nonnulli alii contendentes, prædictum Presbyterorum Oratorii privilegium ſub Bulla Urbani VIII. revocatoria non comprehendi, nam per diametrum adverſatur textui dictæ Bullæ, prout legenti manifeſte patebit *in §.* 1. ejuſdem, ac per conſequens manet revocatum, ut contrarium Tridentini decretis.

15. Cum examen non ſit de forma approbationis, ut patet ex Tridentino *loc. cit.* idcirco poteſt Epiſcopus abſque eo Regulares approbare; peccabit tamen graviter, ſi imprudenter, ideſt ſine juſta cauſa, & recto judicio illud omittat; ut docet Barboſa *p.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 32. *n.* 2. Neque ſcriptura eſt de forma dictæ approbationis, nam in Tridentino *ubi ſupra* id non dicitur, & cum lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus: nihilominus tamen ad omnem bonum finem melius eſt eam in ſcriptis habere.

16. Quamvis ex privilegiis Apoſtolicis, præſertim ex Bulla Clementis X. incip. *Superna*, concedatur Regularibus ab Ordinario approbatis facultas audiendi Confeſſiones quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque fidelium, etiam infirmorum, abſque ulla Parochorum licentia, dummodo de Confeſſione infirmorum ab eiſdem audita Parochum illico verbo, vel ſcripto certiorem reddant, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, Romæ ipſo facto incurrenda, donec iterum examinentur; nihilominus tamen ſine eorum conſenſu, extra neceſſitatem, in eorum Eccleſiis Parochialibus a Confeſſionibus audiendis debent abſtineri ad vitandas diſſenſiones.

17. Licentia audiendi Confeſſiones ab Epiſcopo conceſſa ad libitum, ſeu beneplacitum, non poteſt ab eodem ſine juſta cauſa revocari; ratio eſt, quia hujuſmodi licentia conceſſa Regularibus non eſt proprie licentia, ſed approbatio dumtaxat perſonæ, & quaſi juſta ſententia, ſeu declaratio quod talis perſona eſt idonea ad Confeſſiones audiendas, prout deducitur ex verbis Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformat.* unde poſtquam Epiſcopus judicaverit Regulares eſſe idoneos Miniſtros Sacramenti Pœnitentiæ, ſtatim Papa illis concedit facultatem miniſtrandi dictum Sacramentum; ut patet ex Clementina: *Dudum de ſepult.* ſed ſententia lata ſecundum regulas juſtitiæ non poteſt revocari: *Quod enim ſemel placu t, amplius diſplicere non poteſt*, prout habetur in cap. *Quod ſemel de regul. jur. in 6.* ergo dicta approbatio facta, ut ſupponitur, modis debitis, licet ſit ad libitum, ſeu beneplacitum, non poteſt ab Epiſcopo concedente ſine magna cauſa revocari: vide ſupra *n. 9.*

18. Approbatio Regularium ad Confeſſiones audiendas ab Epiſcopis facienda eſt ſolum quoad litteraturam, quæ non eſt neceſſe ut ſit exacta, & conſummata, neque requiritur ut examinandi ſint magni Theologi, aut Canoniſtæ, ſed ſufficienter periti. Super vita autem, & moribus examinandi non ſunt, cum id ad Prælatos Regulares dumtaxat ſpectet, nam quamvis Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 15.* dicat, Regulares eſſe admittendos per examen, de quibus tamen ſit examen faciendum non dicit, unde relinquit antiquas Conſtitutiones Apoſtolicas in ſuo vigore, & præcipue Leonis X. Conſt. incip. *Dum intra mentis arcana:* apud Cherub. *tom. 1.* ubi *§. 6.* id expreſſe declaravit per hæc verba: *Poſſintque illi per eoſdem Epiſcopos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari.*

19. Regularis Parochus ab Epiſcopo approbatus ad animarum curam Monaſterio, ſeu Conventui annexam, ſi ab hujuſmodi cura a ſuis Superioribus amoveatur, poteſt audire Confeſſiones Sæcularium abſque nova approbatione ejuſdem Epiſcopi, qui illum ſemel idoneum judicavit: ratio eſt, quia jam fuit approbatus ſimpliciter, & abſolute, ut ſupponitur; ergo ſicut diximus ſupra *n. 9.* propter amotionem ab officio, ſeu beneficio curato, non ceſſat fundamentum ſuæ poteſtatis, niſi nova ſuperveniat cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat; hæc eſt verior, & communior ſententia, quam contra Bordonum docent Peyrinus *tom. 3. privil. cap. 4. n. 22. in addit. ad conſt. relat.* Leonis X. Riccius *in 3. p. praxis reſol. 192. n. 2.* De Lugo *diſp. 21. de pœnit. ſect. 1.* Donat. *tom. 4. tract. 4. q. 6.*

20. Cardinales, Epiſcopi, aliique Prælati exempti, Regularibus exceptis, non poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem ab Ordinario non approbatum, quia licet ante Tridentinum ex cap. *Ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.* poterant pro libito quemlibet Sacerdotem diſcretum abſque approbatione eligere, hodie tamen prohibentur id facere, non ſervata forma Tridentini, cum privilegium per dictum cap. *Ne pro dilatione*, eiſdem conceſſum, ab eodem Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 15.* quoad electionem ſine Ordinarii approbatione cenſeatur revocatum; & patet manifeſte ex declaratione S. Congr. Cardinalium apud Dianam *p. 8. tract. 1. reſol. 85.* & apud Bellarminum in dicto *cap. Trident.* inter declarationes Cardinalium in fine, ubi dicitur: *Cardinales non poſſunt ſibi eligere Confeſſarios non approbatos, per hoc decretum; ſicut nec Epiſcopi poſſunt ſecundum cap. final. de pœnit. & remiſſ. nec objectiones valent, quia Gregorius XIII. ita declaravit:* hæc ibi. Unde Epiſcopi poſſunt dumtaxat eligere Sacerdotem ſubditum, etiam extra Diœceſim, eumque pro ſe approbare, ſicuti approbare pro aliis ſubditis poſſunt: quod etiam locum habet in Cardi-

Digitized by Google

Cardinalibus, qui poſſunt eligere Sacerdotem commenſalem, cui tam ipſi Cardinales, quam eorum familiares confiteri poſſunt; ut habet praxis Romanæ Curiæ, Pontifice ſciente, & non contradicente: ita docent la Cru x *diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 23. *num.* 20. Diana *p.* 8. *tr.* 1. *reſol.* 85. Cotonius *lib.* 2. *controv.* 7. *cap.* 4. *q.* 3. & alii.

21. In Confeſſario Regulari ultra approbationem Epiſcopi requiritur etiam licentia ſui Prælati, ad hoc ut licite poſſit is Confeſſiones Sæcularium excipere: ratio eſt, quia Religioſus per votum obedientiæ non habet amplius velle, neque nolle; ut habetur in cap. *Si Religioſus de elect. in* 6. deinde quia in omnibus Religionibus bene ordinatis ita ſancitum eſt; in noſtro Ord. Seraphico patet ex Commentariis Sanctorii *cap.* 8. *ſtat.* 52. quod adeo verum eſt, ut Regularis nec quidem a venialibus, aut mortalibus alias rite confeſſis, licite, ideſt ſine peccato, abſque ſui Prælati licentia, abſolvere poſſit; quinimmo, ſi non ſolum ſine licentia Prælati, verum etiam ipſo contradicente, & prohibente Confeſſiones audire præſumat, peccabit graviter contra votum obedientiæ; quamvis regulariter loquendo, prædictæ Confeſſiones factæ Regulari ab Ordinario approbato, abſque licentia proprii Prælati, ſint validæ, cum reperiatur totum illud, quod requiritur ad valide Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum. Dixi, *regulariter loquendo*; nam ſi illa prohibitio, & ſuſpenſio a proprio Prælato facta, fuerit judicialis, manifeſta, & notoria, non ſolum peccabit mortaliter Regularis excipiendo Confeſſiones, ſed etiam earum abſolutiones erunt nullæ, atque invalidæ; dum ex communi ſententia notorie excommunicatus, vel ſuſpenſus, ac pro tali declaratus caret juriſdictione, & poteſtate ad proferendam ſententiam validam: ita Miranda *tom.* 1. *q.* 45. *concl.* 3. Navarrus *in Manual. cap.* 9. *num.* 6. quod probat per cap. *ad probandam, de re judicat.* Sylveſt. *V.* *Confeſſor.* 1. *§.* 15. *num.* 3. & alii.

22. Confeſſarii Regulares ſemel approbati ab aliquo Catholico Epiſcopo non poſſunt in locis per quæ tranſeunt, etiamſi in illis non adſint Ordinarii, nec Parochi reclament, fidelium Confeſſiones audire abſque approbatione, & licentia Ordinarii loci, ubi reperiuntur, juxta Decretum Tridentini relatum ſupra; nec valet allegare privilegium Gregorii XIII. Societati Jeſu conceſſum, relatum a Suarez *in* 3. *p.* D. Thom. *tom.* 4. *diſp.* 28. *ſect.* 7. *n.* 13. & quod per communicationem ad omnes alias Religiones extenditur, quia jam fuit revocatum, & extinctum per Conſtitutionem Urbani VIII. quæ incipit: *Cum ſicut accepimus*; relatam ſupra *num.* 14. & per Conſt. Clementis X. incip. *Superna*; utpote contrarium Tridentini Decreto. Secus autem dicendum de Regularibus Confeſſariis itinerantibus per mare, nam ibi poſſunt proculdubio abſque ullo privilegio Confeſſiones navigantium audire.

23. Ordinarii Locorum peccant contra juſtitiam, & ſunt tranſgreſſores Concilii Tridentini, & conſtitutionum Apoſtolicarum, ſi Sacerdotibus dignis, & idoneis approbationem ſine juſta cauſa negent; nam hujuſmodi approbatio non eſt gratia, ſeu privilegium, quod ex libera ipſorum voluntate dependeat, ſed ſolum eſt authentica declaratio, ſeu teſtificatio, perſonas habiles, & dignas eſſe ad Confeſſiones audiendas, quod quidem teſtimonium Sacerdotibus præfatis jure debetur; & præcipue Regularibus Ordinum Mendicantium a ſuis Prælatis Epiſcopis præſentatis, quibus ex Apoſtolicis privilegiis competit fidelium quorumcumque Confeſſiones audire, ideoque ex Summi Pontificis voluntate, ac tacito mandato, ſi idonei, & habiles reperiantur, approbatio debetur: ut conſtat ex variis S. Cong. Decretis relatis ſupra, & docent comm. D. D.

24. Peccant mortaliter Examinatores, ſicut Epiſcopi, ſi ex odio, ira, vel alia paſſione Sacerdotes habiles, & ido-

idoneos ad Confeſſiones audiendas non admittant; privant enim Eccleſiam bonis Miniſtris, eoſque reprobando contriſtant, ignominia afficiunt, & in exiſtimatione plurimum lædunt; & a fortiori peccant mortaliter, admittendo ad Confeſſiones perſonas non idoneas, immo ineptas, quæ ſavoribus externis ad id aſpirant; peccant etiam mortaliter, ſi examinandos præmoneant de punctis, de quibus eos in examine interrogare volunt, cum ita infideliter, & fraudulenter officium ſibi commiſſum exerceant: verum ſi alias examinandi eſſent evidenter idonei, & præ timore, vel naturali verecundia aſpectu examinatorum turbarentur, non videtur eos peccare mortaliter, qui de materia proponenda in genere præmonerent: Peyrinus *tom. 3. privil. Regul. in addit.* ad Conſt. Sixti IV. *cap.* 2. Riccius *in praxi*, *p.* 1. *deciſ.* 418. Garcia *de beneſ. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 72. Ledeſma *p.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. Cand. Berg. *tract.* 12. *cap.* 9. *reſol.* 37. & alii.

25. Poſtremo advertendum, quod Confeſſarii Regulares curare ſummopere debent, ut inoffenſo decurrant pede libros Auctorum, qui de examine, & approbatione ab Epiſcopis facienda pertractant, nam in diverſis diverſæ propoſitiones damnatæ, & contrariæ Apoſtolicis Conſtitutionibus reperiuntur, quæ ſi ad praxim deducerentur, Sacramentum Pœnitentiæ invalide proculdubio miniſtraretur; oportet enim in omnibus Sedis Apoſtolicæ judicio ſe ſubmittere, cum plura privilegia antiqua quoad approbationem Regularibus conceſſa, per moderna Decreta Apoſtolica, & S. Congregationis, vel revocata, vel ſaltem limitata ſint.

CAP. IV.

De Caſibus reſervatis, & an poſſint Confeſſarii Regulares ab eiſdem abſolvere pœnitentes Sæculares.

1. Quemadmodum omnis jurisdictio ad abſolvenda peccata ſacramentaliter, tam Ordinaria, quam delegata deſcendit a Summo Pontifice Chriſti Vicario, ut Eccleſiæ vinculum, & unitas per hanc dependentiam, & ſubordinationem conſervetur; ita poteſt ab eo limitari, ſeu limitata concedi quoad hæc, vel illa peccata omnium Chriſtianorum: & pari modo ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis inferioribus, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus quoad ſubditos ſuos; quod, tamquam de fide credendum, deciſum eſt in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *can.* 11.

2. Summus Pontifex ordinarie nullum peccatum ſuo tribunali reſervat, quod non habeat annexam cenſuram, ut patet evolventi Bullarium; propterea ſi Papa, vel ejus Pœnitentiarius aliquem abſolvat a ſola cenſura Bullæ Cœnæ, vel alia eidem reſervata, inferior Confeſſarius deinde in conſcientiæ foro abſolvere poterit a peccato illo, cui talis cenſura erat annexa; ſimiliter, ſi aliquis commiſit peccatum aliquod v. g. in dicta Bulla contentum, ſed ob ignorantiam non craſſam ſeu ſupinam, vel affectatam a cenſura Papali excuſatus fuit, ab inferiore abſolvi poterit: ita *comm. D. D.*

3. Cum reſervationis actus ſit localis, & reſtrictus ad ſuam cujuſcumque Epiſcopi Diœceſim, ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap. de caſuum reſervat.* idcirco Confeſſarii Regulares exiſtentes in Diœceſi Præneſtina poterunt abſolvere pœnitentes peccatis reſervatis irretitos in Diœceſi Tuſculana, etiam ſi abſolvendi a reſervatis facultatem non habeant, dummodo ea peccata reſervata non ſint in Diœceſi Præneſtina, & dummodo in fraudem reſervationis pœnitentes pro abſolutione obtinenda ad alienam Diœceſim non accedant: ratio eſt, quia reſervatio non afficit directe pœnitentem, ſed Confeſſarium; ideo licet facultas abſolvendi a reſervatis ſit adempta Confeſſariis Diœceſis Tuſculanæ, non tamen eſt adempta Confeſſariis Diœceſis Præneſtinæ: conſtat ex Bulla Clementis X. incip. *Superna*.

4. Irre-

4. Irretiti autem excommunicatione reſervata in Diœceſi Tuſculana, ſi accedant ad Confeſſarium exiſtentem in Diœceſi Præneſtina, non poſſunt ab eo abſolvi, non ſolum quia perſona cenſurata, ubicumque ſit, cum eo impedimento reperitur, ſed etiam quia Epiſcopus excommunicator, propter cauſam in ſuo foro cæptam, jus ſemper habet in excommunicatum, privative quoad alios; prout docent Layman. *in Theol. Moral. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 2. num.* 4. Mattheuc. *official. quoad abſol. a reſerv. num.* 4.

5. Confeſſarius Regularis, qui ab Epiſcopo obtinuit facultatem abſolvendi ab aliquo peccato reſervato, cui annexa eſt excommunicatio, poteſt etiam ab hujuſmodi excommunicatione abſolvere: ratio eſt, quia uno conceſſo, ea omnia, ſine quibus illud unum expleri non poteſt, intelliguntur conceſſa; ſed ſine abſolutione ab excommunicatione non poteſt Confeſſarius explere commiſſionem ſibi factam abſolvendi a peccato reſervato, cum abſolutio a cenſuris debeat præcedere abſolutionem a peccatis; ergo proculdubio abſolvere poteſt a cenſura peccato reſervato annexa: ita Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 45. *q.* 13. *&* *reſol.* 39. *q.* 22. & alii comm.

6. Habita facultate ab Epiſcopo abſolvendi ab omnibus caſibus, & cenſuris ſibi reſervatis, poterit Confeſsarius abſolvere etiam ab excommunicatione contracta propter abortum fœtus animati, effectu ſecuto; quia licet Bulla Gregorii XIV. quæ incipit *Sedes Apoſtolica*, apud Cherub. *tom.* 3. ordinet, quod ad abſolvendum a præfata excommunicatione, debeat Confeſsarius eſse ſpecialiter deputatus ab Ordinario; nihilominus tamen illa particula *ſpecialiter* ſolum eſt adjecta ad indicandum, non poſse Confeſsarium virtute alicujus privilegii abſolvere, niſi ea facultatis conceſſio ad hanc etiam abortus cenſuram extendatur, non enim ſufficit facultas abſolvendi ab aliquo caſu particulari, ab hoc diſtincto; facultas vero abſolvendi ab omnibus peccatis, & cenſuris Epiſcopo reſervatis, ſi diſtributive explicetur, proculdubio caſum abortus ſpecialiter comprehendit: ita Bonacina *de cenſuris tom. 3. diſp. 2. q. 2. punct. 10. num.* 15. *&* 16. Baſsæus *V. Abortum num.* 3. & alii. Notandum vero, quod Romæ dicta cenſura a quolibet Confeſſario Regulari ibi approbato poteſt abſolvi, quia illam Gregorius XIV. reſervavit ſolis Epiſcopis.

7. Regularis Confeſsarius, qui privilegium obtinuit a Sede Apoſtolica abſolvendi ab omnibus cenſuris, & caſibus reſervatis, nec licite, nec valide poteſt abſolvere a cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, & a caſibus Epiſcopo loci reſervatis (de quibus mox redibit ſermo) niſi de ipſis in conceſſione fiat expreſsa mentio: ratio eſt, tum quia verba generaliter prolata, generaliter accipienda ſunt, cum *ex regul.* 18. *juris in 6. in generali conceſſione non veniant ea, quæ non eſſet quis veroſimiliter in ſpecie conceſſurus*; tum etiam quia Papa cum dictam facultatem concedit, etiam in Jubilæis, ſpecialem de caſibus prædictis mentionem facit, ad deſignandum, quod ſi non adderetur clauſula illa particularis, nemo quantumvis privilegiatus ab illis abſolvere poſset; ut docet Navarrus *in Manual. cap.* 27. *de caſib. reſerv. num.* 255. & conſtat expreſse ex Decreto S. Congr. negotiis Epiſcoporum, & Regularium propoſitæ, ſuper abſolutione a præfatis caſibus edito, quod refert Stephan. Quaranta *V. Caſus reſervati*. Vide Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 10. *fol.* 170.

8. Regulares ad audiendas Sæcularium Confeſſiones in aliqua Diœceſi approbati, virtute ſuorum privilegiorum, & non obtenta ad id ab Ordinario loci facultate, nequeunt abſolvere pœnitentes a caſibus ipſi Ordinario reſervatis; prout liquet ex *cit. Decr.* & ex propoſitione 12. inter damnatas ab Alexandro VII. nec non ex Conſtitutione Clementis X. quæ incipit: *Superna*;

na; ubi dicitur: *Ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi a caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis*; & quoad hæc ipſis minime ſuffragantur jam acceptorum privilegiorum confirmationes, ut ibidem expreſſe dicitur. Poſſunt tamen abſolvere Sæculares ab illis caſibus, qui jure communi, vel conſuetudine Epiſcopis ſunt reſervati, ſi in tabella caſuum reſervatorum non ſint adnotati, nam de adnotatis dumtaxat in tabella intelligendum eſt ſublatam eſſe Regularibus facultatem, ſeu privilegium ab eis abſolvendi, prout notavit Viva *in expoſ. dictæ 12. propoſ.*

9. Tam Regulares, quam Sæculares Confeſſarii, qui abſque debita facultate a dictis caſibus reſervatis abſolvere præſumunt, ligantur pœna excommunicationis, privationis officiorum, dignitatum, aut Beneficiorum, & ad quæcumque officia, Prælaturas, & Beneficia in poſterum obtinenda ipſo facto inhabilitantur, ſuper quibus a nemine, niſi a Romano Pontifice, habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, præterquam in mortis articulo, poteſt impartiri; pœna autem imponitur præſumentibus, quod verbum requirit ſcientiam legis in abſolvente: ut conſtat ex relatis Decretis Apoſtolicis, & S. Congreg.

10. Poſtquam Confeſſarius advertit pœnitentem eſſe caſibus reſervatis irretitum, circa quos ipſe facultatem non habet, debet eum remittere ad Superiorem, vel ad habentem facultatem in reſervata, niſi forte ipſe Confeſſarius ex caritate velit ab eodem Superiore facultatem petere, qua poſſit pœnitentem abſolvere, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7.* ratio eſt, quia ad integritatem Confeſſionis pertinet, ut de omnibus mortalibus eadem fiat coram legitimo judice, qualis ille tantum eſt, qui poteſtatem habet de integra cauſa cognoſcendi, ut abſolutio ab eo rite pronuntietur; ut docent commun. D. D. Dixi, *niſi Confeſſarius ex caritate velit petere facultatem*; nam onus adeundi Superiorem non eſt gravamen Confeſſario impoſitum, ſed pœnitenti; unde ſi non poſſit pœnitens adire Superiorem, non propterea obligabitur Confeſſarius, quantumvis eo velit pœnitens uti.

11. In caſu urgentis neceſſitatis ad vitandum ſcandalum, vel infamiam, ſi Sacerdos ſacrificare debeat, vel Laicus communicare, & Superiorem diſtantem, aut valde occupatum adire non poſſint, vel non adſit alius Confeſſarius habens facultatem in reſervata, qui commode, & ſine nota adiri poſſit, tunc Confeſſarius abſolvere poteſt pœnitentem directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, impoſito onere pœnitenti præſentandi ſe Superiori, vel alteri habenti facultatem in reſervata, ut ab eiſdem quoque directe abſolvatur: niſi ipſe Confeſſarius malit, ut dictum eſt ſupra, petere a Superiore abſolvendi licentiam, perſona non nominata. Idem dicendum, quando pœnitens eſt innodatus aliqua cenſura quomodolibet reſervata, etiam in Bulla Cœnæ contenta; nam quæcumque cenſura jure tantum poſitivo Eccleſiaſtico arcet a ſumptione Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, idcirco ceſſat ejus obligatio in caſu impedimenti, vel magnæ neceſſitatis vitandi ſcandalum, vel ſervandi famam, quæ eſt de jure naturæ: quando alias pœnitens eſt diſpoſitus. Præciſa autem neceſſitate, & rationabili cauſa, numquam licet Confeſſario non habenti facultatem in reſervata abſolvere pœnitentem a non reſervatis, ipſumque mittere ad Superiorem pro reſervatis, quia id eſſet dimidiare Confeſſionem: ita Navarrus *in ſumm. cap. 9. num. 4.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. num. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3.* & alii commun.

12. Conſtitutus in articulo, vel periculo mortis probabili, ſi habeat peccata Epiſcopo reſervata, poteſt a Confeſſario,

feſſario, non habente facultatem in illa, abſolvi directe, ideſt ſine onere comparendi, ſi convaluerit; nam in eo articulo, vel periculo omnis caſus Epiſcopalis deſinit eſſe reſervatus: ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Si autem fuerit innodatus aliqua excommunicatione reſervata, ſive Epiſcopali, ſive Papali, poterit pari modo a Confeſſario in tali caſu abſolvi, indirecte tamen, ideſt cum onere ſe præſentandi coram Superiore, ſi convaluerit, præſtito tamen prius juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ, & de ſatisfacienda parte, ſi opus fuerit. Si vero excommunicatio ſit ex iis, a quibus Confeſſarius Regularis tamquam delegatus Papæ ex privilegiis, etiam extra mortis articulum, vel periculum, abſolvere poteſt; tunc abſolutio illius erit directa, ideſt, ſine onere comparendi, ſed cum juramento, vel ſaltem firmo propoſito de non committendo de cetero tale peccatum, & de ſatisfacienda parte, ſi opus fuerit: ita *commun. D. D.*

13. Confeſſarius, qui facultatem habet abſolvendi a reſervatis ſpatio aliquorum dierum v. g. quindecim copulative dierum tempore Jubilæi, poteſt abſolvere pœnitentem, qui intra tale tempus commiſit aliquod peccatum reſervatum, modo pœnitens intentionem habeat præſtandi ea omnia, quæ ad illius conſecutionem ſunt neceſſaria; cum toto illo tempore duret facultas abſolvendi a reſervatis: ut docent Navarrus *lib. 3. de ſent. excommun. conſ.* 43. *num.* 2. Graffius *lib. 9. deciſionum cap.* 15. *num.* 44. & alii plures apud Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 17. qui aſſerit id verum eſſe, etiamſi pœnitens peccatum commiſerit ſpe abſolutionis obtinendæ, non enim privilegium amittit, qui ex confidentia peccat. Si autem Jubilæum concedatur, ut poſſit lucrari in una dumtaxat ex duabus hebdomadis, & pœnitens, obtento Jubilæo in prima hebdomada, incidat in caſum reſervatum antequam elabatur ſecunda, minime a tali caſu abſolvi poterit; ratio eſt, quia facultas iſta lucrandi Jubilæum conceſſa fuit ſub forma disjunctiva, in prima ſcilicet, vel in ſecunda hebdomada, non vero copulative, aut indefinite, ut ſupra: tum quia facultas abſolvendi a reſervatis conceditur in ordine ad obtinendum Jubilæum, ſed Jubilæum jam fuit obtentum, reſervatio autem contracta eſt poſt obtentum Jubilæum, ergo hæc non poteſt amplius tolli occaſione Jubilæi: ita docent Lupus *comment. in cenſ. & caſ. reſerv. p.* 1. *diſp.* 21. *art.* 3. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 261. *in fine*, referentes declarationem S. Congr. Concilii 1620. editam, cui declarationi ſtandum eſt.

14. Regularis approbatus ad audiendas Sæcularium Confeſſiones, etiamſi facultatem in reſervata non habeat, poteſt in dubio facti cadentis ſub reſervationem abſolvere pœnitentem, qui dubitat ſe homicidium commiſiſſe, vel peccatum compleviſſe, vel mortaliter peccaſſe, vel ſufficienter actum externum compleviſſe &c. ratio eſt, tum quia in tali dubio melior eſt conditio poſſidentis; Confeſſarius enim approbatus eſt in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, de qua eſt certus, quod autem peccatum ſit reſervatum, eſt incertum; tum quia reſervatio eſt odioſa, odia vero non ſunt amplianda, ſed reſtringenda; tum etiam quia ſicut in foro externo non judicatur contra delinquentem, niſi adſit ſufficiens præſumptio in contrarium, ita neque in foro pœnitentiæ judicandum eſt contra pœnitentem, niſi contra ipſum extent præſumptio, & conjecturæ ſufficientes; idem enim eſt fori externi, & interni judicium, quando forum externum non nititur falſæ præſumptioni: ita Suarez *de cenſuris tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 6. *num.* 5. Sanchez *in ſumm. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 23. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 7. & alii, quos refert Bonacina *de reſtitutione diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *§. incidenti fol.* 358.

15. Si in dubio facti adſit ſufficiens præſumptio in contrarium, qualis eſt,

ſi quis

ſi quis exterius proferat hæreſim, & poſtea dubitet an illam ex animo protulerit, non poteſt abſolvi a Confeſſario non habente facultatem, hic enim præſumitur incurriſſe excommunicationem reſervatam, latam contra hæreticos, nam poſſeſſio ſtat pro hæreſi, quam conſtat eſſe prolatam, & forum exterius judicat hunc hæreticum, præſumens propoſitionem hæreticam protuliſſe animo conſentiente. Pari modo, Confeſſarius non habens facultatem in reſervata, abſolvere nequit in dubio facti, ſi in jure ita fuerit decretum, ut quando dubitatur, an percuſſio Clerici fuerit levis, mediocris, vel enormis; in hoc enim caſu percuſſio præſumitur enormis, & conſequenter Sedi Apoſtolicæ reſervata, prout docent præcitati Doctores.

16. Confeſſarius, qui proprie dubitat, manens ſuſpenſus, an habeat juriſdictionem circa peccata reſervata, non poteſt ab iis abſolvere, cum exponat ſe periculo impendendi abſolutionem invalidam, quia fieri poteſt, ut vere careat juriſdictione, & poſſeſſio ſtat pro peccatis, quæ conſtat eſſe reſervata; idcirco extra mortis probabile periculum, vel extra neceſſitatem, ut ſupra *num.* 11. & 12. non poteſt abſque lethali culpa abſolvere, niſi ad id facultatem obtineat: ita cum cit. D. D. Bonacina *de Sacram. diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. *§.* 4. *num.* 4 Secus autem dicendum, quando non proprie dubitat, ſed potius opinionem habet vere probabilem de juriſdictione, nam in tali caſu poteſt abſolutionem conferre, etiamſi adſit opinio probabilis in contrarium; cum ille, qui ſequitur opinionem vere probabilem Doctorum ſentientium, ipſum habere juriſdictionem abſolvendi a reſervatis, ſeu privilegium abſolvendi non eſſe revocatum, valide agat quæ agit, ac ſi re ipſa juriſdictionem haberet, & privilegium nondum eſſet revocatum, etiamſi forte opinio illa a parte rei non ſubſiſtat, nam in tali caſu Eccleſia piiſſima mater juriſdictionem ſupplet, ſicut eamdem ſupplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi intervenientibus habetur pro legitimo Judice, vel Parocho, cum non ſit talis: ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. Suarez *ſupra*, Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 26. *num.* 6. Reginal. *lib.* 1. *num.* 102. & 103. Bonac. Coninch. Henriq. & alii.

17. Confeſſarius, qui ex malitia, ignorantia, inadvertentia, oblivione, inconſideratione, vel bona fide invalide abſolvit pœnitentem a peccatis reſervatis, vel etiam a non reſervatis, debet eum admonere, & obtenta debita facultate revocare ad Confeſſionem valide faciendam, ſi abſque ſcandalo, & gravi ſuo detrimento id facere poſſit, tenetur enim damnum grave pœnitentis impedire. Si autem nequit eum admonere, aut ad ſe revocare ſine ſcandalo, & gravi detrimento, non tenetur admonere, vel revocare; ratio eſt, quia pœnitens poteſt in gratia conſtitui per novam Confeſſionem, quam creditur poſtea facturus, & per quam poteſt ſaltem indirecte abſolvi, ſi actum doloris univerſalis eliciat. Si vero non credatur facturus aliam Confeſſionem, aut forte non ſuſcepturus aliud Sacramentum cum debito dolore, tunc Confeſsarius tenetur pœnitentem admonere, etiamſi timeat grave detrimentum; nam pœnitens cenſetur eſse in extrema neceſſitate, in qua ſalutem animæ tenetur commodis temporalibus præferre: ita Navarrus *in ſum. cap.* 26. *num.* 14. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 5. & alii apud ipſum.

18. Confeſsarius non habens facultatem in reſervata, & in aliquibus caſibus abſolvens ab eiſdem, non incidit in pœnas relatas ſupra *num.* 9. primo, quando ille probabiliter ignorat caſum, a quo abſolvit, eſse reſervatum, utpote quia pœnitens non ſatis qualitatem peccati explicuit; ſecus autem, ſi ignoraret ignorantia affectata, v. g. ſi nollet legere caſus reſervatos, vel interrogare pœnitentem ne agno-

ſceret

ſceret veritatem. Secundo, non incidit, quando probabiliter exiſtimat ſe tunc abſolvere poſſe, quamvis poſtea animadvertat ſe non potuiſſe; vel quando bona fide, aut per oblivionem, inadvertentiam, vel inconſiderationem abſolvit, nam lex punit præſumentes, non vero prædictis modis operantes. Tertio non incidit, qui in dubio facti abſolvit, ut dixi ſupra *n.* 14. & licet in Decreto S. Congregationis ſuper abſolutione caſuum reſervatorum ſub prædictis pœnis abſolutio a reſervatis claris, vel dubiis prohibeatur, hoc tamen procedit ſolum in caſibus Bullæ Cœnæ: ita docent Homob. *de caſib. reſervat. p.* 1. *de cauſa finali caſ. reſer.* Sa *v. caſus num.* 5. Lupus *comment. in caſ. reſer. p.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. & alii.

C A P. V.

De poteſtate, quam habent Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati, abſolvendi virtute privilegiorum Sæculares pœnitentes a cenſuris, etiam reſervatis.

1. Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati nullibi poſſunt virtute privilegiorum abſolvere Sæculares pœnitentes 1. a cenſuris clare, vel dubie in Bulla Cœnæ contentis: 2. a Simonia reali, ideſt, ex utraque parte completa, in Ordine, Beneficio, & Religionis ingreſſu contracta; 3. ab omni læſione libertatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ in caſu publico, 4. a violatione interdicti poſiti a S. Sede, & a violatione clauſuræ Monialium ad malum finem in caſu publico; 5. a Presbytericidio publico juxta Decretum Clementis XI. anno 1711. editum; 6. delinquentes contra Conſtitutiones de electione Romani Pontificis editas; 7. tractantes de Succeſſore eligendo, vivente Romano Pontifice; 8. inquirentes per aſtrologiam judiciariam de ſtatu Chriſtianæ Reipublicæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis; 9. violantes juramentum, quod emittunt Officiales S. Congr. Rituum circa Sanctorum canonizationem; 10. revelantes ſecretum Sacræ Rotæ Romanæ contra formam Bullæ Urbani VIII. necnon ſecretum S. Officii juxta Decretum Clementis XI. 11. improbas perſonas odio, ira, vel alia indigna cauſa commotas, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitatas, mediate, vel immediate innoxios, & crimine puros Sacerdotes Confeſſarios apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulantes, juxta Conſtit. SS. D. N. BENEDICTI Papæ XIV. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*: die 17. Junii 1741. Pontificatus ſui anno 1. editam §. 4. 12. Confeſſarios extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere audentes: juxta præfatam Conſtit. §. 5. Etiam ad vitandum ſcandalum, vel infamiam poteſt idem Confeſſarius pœnitentem complicem valide, & licite abſolvere; illicite vero, ſed valide, ſi ſecluſa vera, & urgente neceſſitate abſolvat, & tunc excommunicationem Sum. Pont. reſervatam, aliaſque pœnas incurrit; prout in alia Conſt. 8. Februarii 1745. edita declaravit. 13. neminem ab homine nominatim excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum, vel pro tali declaratum, vel denunciatum, neque a peccatis, & cenſuris Ordinariis locorum reſervatis, vel ad forum contentioſum deductis, aut probabiliter deducendis abſque debita facultate abſolvere poſſunt.

2. Romæ, & extra Italiam Regulares ab Ordinario approbati poſſunt virtute privilegiorum (exceptis ſupra dictis caſibus) abſolvere Sæculares pœni-

pœnitentes ab omnibus aliis cenſuris occultis Papæ reſervatis, etiam ab illis ſex in Decreto Clementis VIII. anno 1602. edito, contentis; videlicet, 1. a violatione libertatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ, in caſu occulto tantum; 2. a violatione clauſuræ Monialium ad malum finem, in caſu ſimiliter occulto; 3. a duello; 4. ab injectione manuum violentarum in Clericum, dummodo non ſit ad forum contentioſum deducta; 5. a Simonia reali ſcienter contracta, dummodo non ſit in Ordine, Beneficio, & Religionis ingreſſu, ut dictum eſt ſupra; 6. a confidentia beneficiali occulta, & non completa, idque conſtat ex variis Summorum Pontificum privilegiis, quæ videri poſſunt in compendio privilegiorum Mendicantium *v. abſolutio quoad Sæculares*, & apud Bordonum *tom.* 1. *Conſil. reſol. 6. num.* 8. præſertim vero ex indulto Pauli III. Societati Jeſu conceſſo in Bulla, quæ incipit: *Cum inter cunctas*, anno 1545. edita, & habetur in Bullario ejuſdem Societatis *pag.* 20. & Emmanuelis Roderici *pag.* 320. & Jo: Baptiſtæ Confectii in collectione litterarum Apoſtolicarum *pag.* 151. & apud Cherubinum *tom.* 2. ut cum communi docet Pellizarius *tract. 6. cap.* 2. *num.* 3. conſtat quoque ex citato decreto Clementis VIII. apud Stephanum Quaranta *v. caſus reſerv. pag.* 162. & ex alio S. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium 18. Novembris 1628. juſſu ejuſdem Pontificis edito; apud Tamburin. *de jur. Abb. tom.* 2. *diſp.* 14. *q.* 15. *num.* 6. Cenſuræ extra Bullam Cœnæ a quibus dicti Regulares Confeſſarii tam Romæ, quam extra Italiam abſolvere poſſunt, in fine hujus capitis recenſentur: vide etiam ſupra *tract.* 6. *cap.* 2. ubi breviter explicantur caſus reſervati in Decreto Clementis VIII. Circa illos 6. caſus a Clemente VIII. reſervatos, ſcilicet:

1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ.
2. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem.
3. Injectio manus violentæ in Clericum.
4. Provocatio, & pugna in Duello.
5. Simonia realis ſcienter contracta.
6. Confidentia Beneficialis.

a quibus Confeſſarii Regulares in Urbe approbati poſſunt ibi Pœnitentes abſolvere; eſt advertendum, quod Clemens XI. die 11. Aprilis 1711. inhibuit tam præfatis Confeſſariis, quam Pœnitentiariis Baſilicarum Urbis, ne deinceps abſolverent a Presbytericidio publico, a violatione clauſuræ Monialium in caſu publico, a violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ in caſu publico; etiam in occulto, quando id ſit auctoritate publica: conſtat ex Bullario *tom.* 10. *pag.* 258.

3. Per violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli*, intelligitur, quod ab Eccleſiis, ac locis ſacris, & religioſis vi, fraude, aut dolo, ac indemnitatis promiſſione extrahantur rei ad ipſa confugientes, ut in eis ſacro fruantur aſylo, ac contra Judices, & Curiæ Miniſtros ſecuritate gaudeant; & quamvis relata Conſtitutio quoſdam excipiat, quibus immunitas non ſuffragatur, eſt nihilominus Judicibus laicis, ac juſtitiæ Miniſtris interdictum ex eis aliquem a præfatis locis ſine expreſſa licentia Epiſcopi extrahere ſub pœna excommunicationis Papalis ipſo facto incurrenda, & cum debito reſtituendi extractos eiſdem locis ſacris in individuo, e quibus fuerant abducti; quam excommunicationem incurrunt etiam violantes Eccleſiaſticam libertatem, id eſt exemptionem, ſeu privilegium exemptionis perſonis Eccleſiaſticis conceſſum. Vide Bonacinam *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 7. *punct.* 7. *ſol.* 201.

4. Nomine Clauſuræ Monialium venit illud ſpatium, quod intra januam Monaſterii ſemper clauſam continetur, ut clauſtrum, domus, hortus, & officinæ interiores: *ex cap. exiit de verb. ſignif. in* 6. ad quæ eſt cuilibet ingreſſus abſque debita licentia interdictus; & ex-

& extra quæ Moniales egredi nequeunt juxta Conſtit. Gregorii XIII. incip. *Deo ſacris*. Ad malum autem finem hujuſmodi clauſura violatur, cum quis dicta loca ad effectum venereum ingreditur; qui autem non ad hunc finem ingreditur ſine licentia, excommunicationem quoque Papæ reſervatam incurrit, quæ a Confeſſariis Regularibus privilegiatis ab Ordinario approbatis abſolvi poteſt.

5. Nomine Clerici, in quem manus violentæ iniiciuntur, veniunt 1. Clerici omnes ſæculares prima tonſura initiati, etiam conjugati, ſi cum una, & Virgine contraxerint, ac habitum clericalem, & tonſuram deferant: 2. Monachi, & hinc Religioſi omnes utriuſque ſexus: 3. Tertiarii, Donati, ſeu Oblati, vel in Communitate viventes, vel cum clauſtralibus ſub obedientia habitantes: 4. Tertiariæ virginalem, aut cœlibem vitam ſimpliciter voventes, tametſi ſeorſim, aut in propriis domibus, vel conſanguineorum, aut affinium ſuorum habitent, modo ad habitum per Superiores admittantur de licentia Ordinarii, cum aliis requiſitis a S. Congr. 5. Eremitæ, qui ſub ſpeciali obedientia Epiſcopi, vel alterius Prælati ex voto, vel pacto, alicui Eccleſiæ, Eremitorio, vel loco ſacro in Communitate, vel ſeparatim deſerviunt: 6. Equites S. Joannis Hieroſolymitani. Super caſibus 3. 5. & 6. Duelli, & Simoniæ conſule D. D.

6. Regulares ab Ordinario approbati ad audiendas Sæcularium confeſſiones extra Urbem, ſed intra Italiam, (ſub qua, ſaltem in odioſis, non comprehenduntur Inſulæ Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, & Melitæ, niſi quoad caſus in Bulla Cœnæ contentos, & Epiſcopis reſervatos, juxta ſententiam probabilem Tamburini *lib. 3. exped. Confeſſ. cap. 7. num. 16.* Dianæ *p. 3. tr. 2. reſol. 13.* & Bordoni *tom. 1. reſ. 6. num. 13.*) poſſunt abſolvere Sæculares pœnitentes ab omnibus caſibus occultis Papæ reſervatis (exceptis illis omnibus, qui ſupra *num. 1. & 2.* ſunt recenſiti, & qui Epiſcopis ſunt reſervati) prout conſtat ex privilegiis Apoſtolicis ſupra *n. 2.* relatis, & præſertim ex citata Bulla Pauli III. quæ incipit: *Cum inter cunctas*, in qua conceditur Religioſis Confeſſariis Societatis Jeſu ampla facultas abſolvendi quoſcumque fideles ad eos accedentes ab omnibus peccatis, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis excipiendis ut ſupra; quod quidem privilegium per communicationem ad omnes alios Confeſſarios Regulares ab Ordinario approbatos proculdubio extenditur: ita docent *commun. D. D.*

7. A cenſuris reſervatis, & etiam non reſervatis ad forum contentioſum deductis non poſſunt Confeſſarii Regulares virtute privilegiorum Sæculares pœnitentes abſque debita facultate abſolvere, niſi in articulo mortis, & tunc cum onere comparendi, & obligatione ſatisfaciendi parti læſæ, ſi opus fuerit; ut cap. præced. *num. 11. & 12.* dictum eſt, & dicetur infra: neque a cenſuris reſervatis locorum Ordinariis abſolvere valent: Romæ tamen ab iſtis, ſicut etiam a peccatis reſervatis, abſolvere poſſunt Confeſſarii Regulares ibi approbati, ſatisfacta prius parte, ſi opus fuerit; niſi fuerint ad forum contentioſum deductæ, & niſi eiſdem innodati accedant pro abſolutione obtinenda in fraudem reſervationis, ideſt, data opera, & eo præciſe fine obtinendi abſolutionem; prout conſtat ex ſæpius relata conſtitutione Clementis X. quæ incipit: *Superna*; in qua etiam habetur, quod abſolutio cujuſvis cenſuræ quomodocumque collata a Confeſſariis Regularibus privilegiatis, ſolum prodeſt pro foro interno, non autem pro externo.

8. Qui in una Diœceſi contraxit excommunicationem non reſervatam, latam ab Epiſcopo illius Diœceſis per ſententiam generalem, ſi poſtea mutet domicilium, ſeque transferat in aliam Diœceſim, poteſt jure communi ab-

M ſolvi

Digitized by Google

ſolvi a Confeſſariis Regularibus illius Diœceſis, ad quam ſe tranſtulit, ſatisfacta tamen parte, ſi quid ſit ſatisfaciendum; & dummodo hujuſmodi excommunicatio ad forum contentioſum non ſit deducta, vel lex aliqua particularis illius Diœceſis non obſtet; quæ regula valet etiam pro abſolutione aliarum Cenſurarum, ſuſpenſionis ſcilicet non reſervatæ, & interdicti perſonalis ſpecialis non reſervati; ſecus autem dicendum de interdicto locali, vel generali perſonali, de quo conſulantur D. D. ita docet Suarez *de cenſuris diſp. 38. ſect. 2. n. 6.* Cand. Berg. *tract. 22. cap. 9. reſ. 10.* & alii.

9. Confeſſarius Regularis, qui ab Epiſcopo obtinet facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus ipſi reſervatis, non poteſt abſolvere a cenſuris reſervatis, quæ caſibus reſervatis non ſunt conjunctæ: ratio eſt, quia caſus, & cenſuræ hoc modo ſumptæ ſeparantur ab invicem, & ſunt proculdubio diverſæ, & a diverſis non fit illatio; ut conſtat *ex cap. Ad audientiam*, & docent Navarrus *in Manual. cap. 27. num. 261.* Sanchez *in ſumm. lib. 2. cap. 11. num. 1.* Poteſt tamen abſolvere a cenſuris, quæ caſibus reſervatis ſunt conjunctæ, ut eſt illa, quæ abortum fœtus animati, effectu ſecuto, ſequitur; Epiſcopus enim concedens facultatem abſolvendi ab abortu prædicto, concedit quoque facultatem abſolvendi ab excommunicatione annexa, & ſibi reſervara, cum ſine tali facultate non poſſit Confeſſarius licite abſolvere a tali caſu, niſi a cenſura annexa abſolutionem præmittat, prout diximus *in cap. præced. num. 5. & 6.* quæ quidem regula ſolum procedit in conjunctis, ut in prædicto caſu de abortu, & in caſibus Summo Pontifici reſervatis, quibus ſemper eſt annexa cenſura: ita Lupus *comm. in cenſ. & caſ. reſ. p. 1. diſt. 8. diff. 2.*

10. Obtinens per Jubilæum, vel extra Jubilæum facultatem generalem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo poteſt abſolvere a caſibus in Bulla Cœnæ contentis, niſi de hujuſmodi Bulla mentio facta fuerit; ratio eſt, tum quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus: *ex cap. In generali de reg. jur. in 6.* tum quia caſus dictæ Bullæ ſpecialiter reſervantur, conſequenter indigent ſpeciali expreſſione; tum etiam quia ita uſu receptum eſt, nam privilegium, quod recedit a jure communi, non eſt ampliandum, ſed reſtringendum: *ex cap. odia, de reg. jur. in 6.* & ita docent Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 12.* Suarez *de cenſ. diſp. 21. ſect. 3. num. 3.* Navarrus, Covarrub. & alii apud ipſum.

11. Advertendum tamen, quod licet in Bulla Jubilæi excipiatur hæreſis a facultate generali abſolvendi, non propterea cenſentur excepti alii caſus hæreſim dumtaxat ſapientes, ut retentio, lectio, & impreſſio librorum hæreticorum, una cum aliis caſibus in primo articulo dictæ Bullæ contentis, dummodo non detur error in intellectu; ut cum multis docet Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 10.*

12. Quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel legatum, aut ejus delegatum, vel Epiſcopum, niſi cum magna difficultate, & mora, ratione impedimenti perpetui, vel etiam diuturni, nempe ægritudinis, paupertatis, fragilitatis ſexus, ut ſi fuerit mulier, pauper, ſenex, cæcus, infirmus, impubes, ſervus, & ſimiles, qui labores itineris ſuſtinere non valeanr; poſſunt Confeſſarii Regulares abſolvere præfatos ab omnibus cenſuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ contentis: ratio eſt, quia licet Bulla Cœnæ ſolum excipiat articulum mortis, Jus tamen Canonicum exceptionem ampliavit ad caſum neceſſitatis, ne pro dilatione pœnitentiæ periculum animarum immineat; aliter reſervatio, quæ pro bono caritatis introducta eſt, contra caritatem vergeret, & poteſtas retinendi peccata, data, ut loquitur Apoſtolus, in ædificationem, eſſet in deſtructionem.

ctionem. Idem dicendum eſt de conſtitutis in neceſſitate celebrandi, vel communicandi ad vitandum ſcandalum, vel infamiam; prout dictum eſt ſupra *cap. præced. num.* 11. ibi videatur.

13. Advertendum tamen eſt primo, quod qui laborant impedimento perpetuo adeundi Pontificem, legatum, vel delegatum, aut Epiſcopum, poſſunt abſolvi directe a Confeſſariis Regularibus, ideſt ſine onere comparendi, neque recurrendi ad illos, ſive per nuntium, ſive per epiſtolam, nam a jure ad id non obligantur; ut docent cum multis Trullench *in Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 8. Dicaſtillo *de pœnit. tract.* 8. *diſp.* 11. *dub.* 16. *num.* 270. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 98. tenentur tamen prius, vel quamprimum poterunt, parti læſæ ſatisfacere, ſi opus fuerit, vel per cautionem pignoratoriam, vel fidejuſſoriam, aut ſaltem juratoriam.

14. Advertendum eſt ſecundo, quod etiam in caſu impedimenti non perpetui, ſed tantum diuturni, & in caſu neceſſitatis celebrandi, vel communicandi ad vitandum ſcandalum, vel infamiam, poſſunt Confeſſarii Regulares abſolvere præfatis cenſuris innodatos pœnitentes, indirecte tamen, ideſt cum onere comparendi coram Pontifice, vel legato, vel Epiſcopo, aliove habente facultatem directe abſolvendi, ceſſante impedimento, vel ſaltem per nuntium, procuratorem, aut per litteras; debentque pœnitentes præfati a Confeſſariis ad id ſub juramento adſtringi ad reincidentiam, imponendo etiam ſatisfactionem, ut ſupra: ita Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. *§.* 5. *num.* 15. Diana *p.* 7. *tr.* 10. Bonac. Suarez & alii communiter.

15. Poſſunt præterea Confeſsarii Regulares abſolvere ab hæreſi, & ceteris caſibus Bullæ Cœnæ, ſi fuerint tantum interni, quia Eccleſia de facto non reſervat peccata mere interna, unde neque cenſura incurritur: 2. ab hæreſi, quæ ſit tantum externa, ob quam, ſi non ſit error in intellectu, cenſura minime incurritur: 3. poſsunt abſolvere eum, qui invincibiliter ignoravit caſibus prædictis eſse annexam excommunicationem, concurrente enim ignorantia ſive juris, ſive facti (dummodo non ſit craſsa, vel ſupina, vel affectata) cenſura non incurritur, cum ad eam incurrendam prærequiratur contumacia, ſeu legis contemptus; ubi vero lex eccleſiaſtica, imponens excommunicationem, ignoratur, ceſſat contumacia: 4. poſſunt præterea abſolvere a blaſphemia hæreticali, magia, nigromantia, ſollicitatione facta in Confeſſione, adoratione dæmonum, vana obſervantia, maleficio, veneficio, ceteriſque ſuperſtitionibus, ac delictis in edictis Inquiſitorum contentis, dummodo non detur error in intellectu liber, & pertinax contra fidem, cum hujuſmodi peccata, etſi graviſſima, non ſint reſervata; ſed ſolum adeſt obligatio denunciandi ea delicta Inquiſitoribus, quæ quidem intra menſem ſub pœna excommmunicationis latæ ſententiæ præcipitur fieri ab iis, qui ſciverint, vel audiverint præfata delicta: vide auctores, qui *de denunciatione facienda* tractant.

16. In articulo, vel periculo mortis probabili quilibet ſimplex Sacerdos, quamvis ſit degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, dummodo habeat debitam intentionem, poteſt a cenſuris, & peccatis reſervatis abſolvere, quando non patet aditus ad Superiorem, cui cenſuræ, & caſus ſunt reſervati; vel ſi patet, non niſi cum periculo ſcandali, aut infamiæ pœnitentis; abſolutio tamen a cenſuris in dicto caſu ſemper debet impendi a Sacerdote ſimplici, vel etiam a Confeſſario approbato non habente facultatem, cum conditionibus relatis ſupra *num.* 14. ſcilicet, ut pœnitens præmittat juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſi convaluerit, ſub pœna reincidentiæ, & de ſatisfacienda parte læſa, ſi opus fuerit; quæ quidem conditiones pro abſolu-

lutione peccatorum reſervatorum, quibus non eſt annexa cenſura, non requiruntur in dicto articulo, in quo omnis caſus deſinit eſſe reſervatus: ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. prout dictum eſt *in cap. præced. num.* 12. & ita docent commun. D. D. Advertendum tamen, quod ſi pœnitens deſtitutus ſit ſenſibus, ita ut non poſſit ab eo juramentum extorqueri, vel nullus ſatisfactionis, aut cautionis ſit locus, impendenda eſt ei abſolutio, quia ad impoſſibile nemo tenetur: *l. impoſſib. ff. de reg. juris.*

17. Quando ſimul adeſt Sacerdos ſimplex, & alius approbatus alicui exiſtenti in articulo mortis, tunc abſolutio reſervatorum & non reſervatorum impendi debet ab approbato, ſive hic habeat facultatem abſolvendi a reſervatis, ſive non, nam in hoc caſu ceſſat neceſſitas, propter quam confeſſio fieri poteſt cuilibet ſimplici Sacerdoti; & hoc verum eſt, etiamſi Sacerdos approbatus ſit in alia Diœceſi, & non in Diœceſi pœnitentis, cum potiori jure gaudeat, quam Sacerdos nullibi approbatus; prout colligitur ex Tridentino *loco citato*, veterem conſuetudinem Eccleſiæ confirmante: veteri autem conſuetudine receptum erat, ut quilibet Sacerdos abſolveret in articulo mortis, quando non aderat copia Superioris, vel Sacerdotis ad audiendas Confeſſiones approbati; ut patet ex Concilio Carthaginenſi III. *Can.* 32. & docent Ugolinus *de cenſuris tab.* 1. *c.* 4. *§.* 5. Sanch. *in ſumm. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. Molina *tom.* 4. *diſp.* 63. *num.* 7. Coninch. *de pœnit. diſp.* 8. *dub.* 12. *num.* 90. & alii plures apud ipſos. Quod tamen non procedit, quando Sacerdos ſimplex cœpit audire Confeſſionem exiſtentis in dicto mortis articulo, nam is poteſt, adveniente poſtea Sacerdote approbato, reliqua peccata audire, & abſolutionem ab omnibus impendere, nam illius juriſdictio non ceſſat in caſu propoſito, eo quod res non ſit integra: *ex cap. relatum de offic. Judic. deleg.* & ita docent Sanchez *in ſumm. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 8. & alii. Neque procedit, quando ſimul concurrunt Sacerdos ſimplex non excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel irregularis, aut hæreticus, & Sacerdos approbatus, ſed excommunicatus, aliiſque pœnis, & impedimentis Canonicis irretitus, nam in tali caſu Confeſſio facienda eſt Sacerdoti ſimplici; ita cum comm. Vaſquez *de pœnit. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 19. Denique adverte, quod abſolutus a cenſuris in articulo mortis a non habente facultatem, remanet bene abſolutus, etiamſi Sacerdos ex ignorantia, oblivione, inadvertentia, vel etiam ex malitia non imponat pœnitenti onus ſe præſentandi, & ſatisfaciendi ut ſupra *num.* 16. nam Eccleſia non irritat aliter factum: ut docent comm. D. D.

Caſus reſervati in Bulla Cœnæ Domini.

1. Hæretici cujuſcumque Sectæ, eorumque receptores, fautores, defenſores, eorumque libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes, & Schiſmatici.

2. Appellantes ab ordinationibus, ſeu mandatis Romani Pontificis ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Piratæ, curſarii, ac latrunculi maritimi, diſcurrentes mare Romani Pontificis, præcipue a monte Argentario uſque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defenſores.

4. Naufragantium Chriſtianorum cujuſcumque generis bona, etiam in litoribus inventa ſurripientes.

5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes, præterquam in caſibus a jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis.

6. Falſificantes litteras Apoſtolicas, aut falſo fabricantes.

7. Deferentes arma, aut alia uſui bellico

bellico idonea ad Turcas, & alios Chriſtiani nominis inimicos, vel hæreticos, per Sanctæ Sedis ſententiam expreſſe, & nominatim declaratos, vel ad Chriſtianæ Reipublicæ, aut Catholicæ Religionis ſtatum pertinentia in ejuſdem damnum illis annunciantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria convehunt Romam.

9. Ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel ab ea recedentes, ſua, vel aliorum opera lædentes, vel ſine juriſdictione vexantes auctoritative in Curia Romana commorantes.

10. Romipetas, & Peregrinos, etiam in Urbe morantes, vel recedentes, lædentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

11. Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter perſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sedis Apoſtolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos a ſuis Diœceſibus, territoriis, terris, ſeu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

12. Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis ſpoliantes per ſe, vel per alios, eos, qui pro negotiis ſuis ad Romanam Curiam recurrunt, aut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis deputatos.

13. Appellantes a gravamine, vel futura executione Litterarum Apoſtolicarum ad Laicam poteſtatem.

14. Executionem Litterarum Apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices Sæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas trahunt ad ſua Tribunalia, quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione utantur, quippe illorum, & Delegatorum judicia eludentes; ad Curiam Sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præſtantes auxilium.

17. Uſurpantes juriſdictionem, fructus, redditus, & proventus ad Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes, vel ea ſequeſtrantes.

18. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices, & quilibet Miniſtri, & Executores ſæculares, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas.

20. Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ immediate vel mediate ſubjectas, & illius juriſdictionem uſurpantes.

21. Qui abſque facultate a prædictis caſibus abſolvere præſumpſerit, excommunicationem incurret, quæ non eſt reſervata Summo Pontifici.

Adverte

1. Quod in tertio caſu Bullæ Cœnæ non comprehenduntur qui furantur in Fluminibus, aut in alio Mari, ſed in Mari Pontificio, neque qui ad alia pergentes, ſemel ex accidenti alterius Navis bona deprædantur; ſed qui ex profeſſo ibi rapinis dant operam, licet actu nihil furentur, neque Catholici inſequentes, & rapientes infidelium bona, neque ſi inter ſpoliatos, & ſpoliantes ſit Bellum, quia tunc non dicuntur Piratæ, ſed repreſſalia facientes.

2. In quarto caſu non comprehenduntur, ſi bona non ſunt Catholicorum; ſi quis capit cum ſuæ periculo vitæ, & aliter periiſſent; ſi ab hoſtibus incendio, ant vi demerguntur, vel ſi bona naufragantium ab alio capta ab eo dono, vel furto quis accipiat.

3. In quinto caſu comprehenduntur novæ Gabellæ, non antiquæ, niſi

quo ad novum augmentum ; item impoſitæ a non habentibus auctoritatem imponendi : eam habent Papa , Imperator , Reges , & Principes abſoluti in terris ſuis.

4. In ſexto caſu incurritur , ſi in litteris originalibus , aut authenticis Sedis Apoſtolicæ aliquid etiam minimum addatur, mutetur , deleatur circa verborum ſenſum ; non incurritur, ſi litteræ expiraverint , aut ſi error grammaticalis corrigatur.

5. In ſeptimo caſu non comprehenduntur qui vendunt arma infidelibus , ſed non deferunt.

6. In decimo comprehenduntur illi, qui Romam petunt, vel ibi commorantur devotionis , vel peregrinationis cauſa.

7. In decimoſeptimo non comprehenduntur , qui tales fructus mobiles furantur, ſicut alii fures , quia hi non dicuntur ſequeſtrare : nec uſurpare , nec qui bona perſonæ Eccleſiaſticæ uſurpant, illi provenientia, non ratione Eccleſiæ, Monaſterii, aut beneficii Eccleſiaſtici, ſed ratione Patrimonii , vel alterius tituli temporalis , & non Eccleſiaſtici.

Sequuntur excommunicationes Papæ reſervatæ extra Bullam Cœnæ.

18. *Contra omnes*, magis obviæ ſunt ſequentes : 1. in incendiarios. 2. in habentes litteras Apoſtolicas falſas , & non deſtruentes : item in falſarios litterarum Apoſtolicarum. 3. in effringentes , & ſpoliantes Eccleſias. 4. in communicantes eodem crimine cum excommunicato a Papa. 5. in vexantes eos, qui cenſuram in alios tulerunt. 6. in abſolutos ab excommunicatione ſub conditione, & non implentes. 7. in violantes interdictum Papale. 8. in dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admiſſionem in Religionem. 9. in ſimoniacos reales circa ordinem, vel beneficium . 10. in committentes ſimoniam confidentialem . 11. in impedientes executionem litterarum S. Pœnitentiariæ. 12. in dantes, & recipientes aliquid pro gratia, aut juſtitia apud Sedem Apoſtolicam. 13. in committentes duellum, atque ad id cooperantes , ſuadendo &c. 14. in mulieres ingredientes Monaſteria Regularium. 15. in impugnantes inſtitutum Societatis Jeſu. 16. in facientes jurare illicita, & contraria libertati Eccleſiaſticæ . 17. in rapientes bona Eccleſiaſtica; item exigentes tributa ab Eccleſiaſticis. 18. in violantes immunitatem Eccleſiaſticam , quoad fugientes ad Eccleſiam. 19. in docentes poſſe fieri Confeſſionem in abſentia. 20. in eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæreſeos; item in eos , qui in concionibus, aliiſque publicis actibus, ut lectionibus, concluſionibus , aſſerunt B. Virginem conceptam in originali. 21. in percuſſores Clericorum . 22. in violantes libertatem Eccleſiaſticam. 23. in violantes Clauſuram Monialium ad malum finem; item in ingredientes eamdem Clauſuram ſine legitima licentia. 24. in præſumentes abſolvere abſque debita facultate a caſibus Bullæ Cœnæ; item a caſibus reſervatis locorum Ordinariis. 25. in præſumentes conjunctim, vel diviſim defendere, edere, & prædicare propoſitiones a S. Sede damnatas, vel de eis diſputative, publice , vel privatim tractare , niſi forſan impugnando.

19. *Contra Clericos , & Religioſos* , ſunt ſequentes . 1. participantes in ſacris cum excommunicatis a Papa . 2. procurantes alienationem Eccleſiarum. 3. in concionatores , qui Scripturæ ſenſum a Doctorum interpretatione alienum , circa tempus Antichriſti, & extremi Judicii , aliaque ſimilia revelata prædicant . 4. in Parochos non implentes juramentum de reſidentia factum. 5. in Mendicantes tranſeuntes ſine debita licentia ad alium Ordinem præter Carthuſianum. 6. in Moniales exeuntes Clauſtra ſine licentia. 7. in Regulares introducentes

tes mulieres intra clauſtra ad malum finem ; item non ad malum finem . 8. in Regulares, qui ſine privilegio, vel ſpeciali licentia Parochi, Clericis, aut Laicis Sacramentum Euchariſtiæ, vel Extremæ Unctionis miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare præſumunt . 9. in inducentes ad jurandum ſuper ſepultura eligenda . 10. in prædicantes ficta miracula, ac nova, & falſa vaticinia . Hæ ſunt præcipuæ, quæ, præter illas in Bulla Cœnæ contentas, reſervatæ, & in uſu ſunt ; aliæ autem plurimæ uſu quodam, & conſuetudine ſunt abrogatæ ; aliæ vero ſpecialem ſtatum Eccleſiaſticorum concernunt, quas quilibet pro ſuo ſtatu inveſtigare debet, cum non poſſit hic dari notitia individua omnium cenſurarum, præſertim non reſervatarum ob earum multitudinem, & quia in dies fulminantur, mutantur, abrogantur . Circa abſolutionem earum tam Romæ, & extra Italiam, quam extra Urbem, & intra Italiam, videat Confeſſarius Regularis quæ diximus ſupra *num.* 1. 2. *&* 6. *præſ. cap.*

20. Suſpenſiones juris communis contra Epiſcopos, contra Religioſos, & contra Clericos plurimæ ſunt, idcirco ob earum multitudinem hic non recenſentur ; ſufficit enim Confeſſariis Regularibus ſcire, quod a ſuſpenſionibus non reſervatis occultis, & non deductis ad forum contentioſum poſſunt pœnitentes ſæculares abſolvere in foro conſcientiæ tantum ; a reſervatis vero, vel ad forum contentioſum deductis abſolvere non valent, niſi ad id facultatem, ſeu privilegium habeant . Ab interdicto juris perſonalis particulari, ſi reſervatum non ſit, quivis approbatus abſolvere poteſt .

21. In nullis irregularitatibus ſive ex delicto, ſive ex defectu provenientibus, poſſunt Confeſſarii Regulares virtute privilegiorum cum ſæcularibus pœnitentibus, immo neque cum Regularibus diſpenſare, niſi eiſdem ſpecialis facultas committatur a Sede Apoſtolica, vel a S. Pœnitentiaria : vel etiam a ſuis Prælatis Regularibus ad diſpenſandum cum ſuis Confratribus ; quicquid dicant nonnulli, referentes aliqua privilegia in favorem Confeſſariorum Regularium, quæ quidem, etiamſi eſſent vera, in uſu tamen, & praxi non ſunt, neque Summi Pontifices erga ſæculares ita faciles ſunt in materia diſpenſationis ſuper irregularitatibus, cum neque in Bulla Cruciatæ, neque in Jubilæis pleniſſimis hujuſmodi facultatem umquam concedant . Nec obſtat dicere, quod Paulus III. in ſua Bulla, quæ incipit : *Cum inter cunctas*, apud Cherub. *tom.* 2. conceſſit Confeſſariis Societatis Jeſu, ut poſſent abſolvere ſæculares pœnitentes a pœnis Eccleſiaſticis, & quod per communicationem alii Confeſſarii Regulares eodem privilegio fruuntur ; nam reſpondetur, quod irregularitas non eſt pœna, ſed impedimentum Canonicum, quod etiam ab ignorante incurritur, & non tollitur abſolutione, ſed diſpenſatione : ultraquamquod etiamſi eſſent pœnæ, tamen ſecundum ſtylum Curiæ (qui in his legem facit) ſub generali clauſula abſolvendi a pœnis numquam venit irregularitas, ſicut nec depoſitio, neque degradatio ; prout docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 43. *tom.* 5. *de Cenſ. diſp.* 41. *de irregul. ſect.* 3. Portell. *V. Confeſſor num.* 33. Joan. a Cruce *in ſua Epitom. fol.* 128. Sylveſt. *V. diſpenſatio* 9. *q.* 10. Navarrus *in Manual. cap.* 27. *nu.* 254. & alii communiter . Neque in ullis Matrimonii impedimentis ſive dirimentibus, ſive impedientibus, quantumvis occultis, ſive ex licita, ſive ex illicita copula provenientibus diſpenſare valent, niſi ad id facultatem, vel privilegium habeant .

22. Poſſunt Confeſſarii Regulares approbari ab Ordinario de licentia ſuorum Prælatorum Generalium, vel aliorum Superiorum a dictis Generalibus ad id delegatorum, aperire litteras S. Pœnitentiariæ directas Magiſtris, ſive Doctoribus in Theologia,

Digitized by Google

vel jure Canonico, etiamſi ipſi non ſint Magiſtri, neque Doctores, dummodo ab Oratore ad id ſint electi; prout conſtat ex privilegio Gregorii XIII. Generali Societatis Jeſu conceſſo per Bullam, quæ incipit: *Exponi nobis*, relata in compendio dictæ Societatis *tit. Confeſſarius §. 3.* quod quidem extenditur ad omnes alios Ordinum Generales propter communicationem in privilegiis. Advertendum tamen, quod S. Pœnitentiaria ſolet nonnumquam dirigere ſuas litteras Confeſſariis ab Ordinario approbatis, etiam ſi Magiſterii, vel Doctoratus, aut aliis gradibus inſigniti non ſint, in hunc modum: *Diſcreto viro Confeſſario ex approbatis ab Ordinario ab Oratore eligendo*: ne pœnitentes, præſertim feminæ, cogantur circumire quærendo Confeſſarios præfatis gradibus inſignitos; igitur in tali caſu Confeſſarii Regulares ab Ordinario loci approbati, etiamſi licentiam prædictam a ſuis reſpective Generalibus non habeant, nec ſint graduati, ut ſupra, poterunt aperire dictas litteras, eaſque executioni mandare, quotieſcumque ab Oratoribus ad id electi fuerint. Advertant tamen Superiores Generales, vel alii ab eiſdem delegati, quod in hac deſignatione tenentur eſſe valde circumſpecti; non enim tantum negotium niſi doctis, & expertis Confeſſariis eſt committendum.

CAP. VI.

De facultate, quam habent Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati, commutandi, ac diſpenſandi virtute privilegiorum ſæcularium vota, & juramenta.

1. Facultas commutandi vota differt a facultate diſpenſandi in hoc, quod quando a jure conceſſa eſt ad commutandum, extenditur etiam ad diſpenſandum; quando vero per privilegium datur tantum facultas ad commutandum in aliquo voto, illa facultas non extenditur ad diſpenſandum; at e contrario, quando per privilegium datur facultas ad diſpenſandum in Votis, ea facultas extenditur etiam ad commutandum in eiſdem; prout docent Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 40. n. 108.* Suarez *de Relig. lib. 6. de Voto cap. 12. n. 10.* Sanch. *lib. 4. Moral. cap. 49. n. 28.* & alii: & cum utraque facultas exerceatur per actum juriſdictionis, & non dominii, idcirco Confeſſarii Regulares non poſſunt irritare ſæcularium vota; nam irritatio voti eſt relaxatio ejuſdem ab habente poteſtatem dominativam in voventem, quam proculdubio dicti Confeſſarii non habent: *eſt ſent. com.*

2. Ad commutandum votum in æquale aliqua cauſa requiritur, licet minor quam ad diſpenſandum; ſi vero fiat in melius, tunc nulla cauſa requiritur: diſpenſatio autem ſi ſine juſta cauſa fiat, invalida erit, quia per illam omnino votum tollitur, ipſiuſque obligatio relaxatur. Cauſæ autem juſtæ ad diſpenſandum ſunt v. g. imperfectio actus, vel levitas, ac facilitas ad vovendum, debilitas in vovente, vel difficultas notabilis in obſervatione voti, neceſſitas ejuſdem, bonum Eccleſiæ, utilitas communis, vel privata, & ſimiles ad diſpenſandum, etiam ſi ſint dubiæ, ſufficiunt, cum prudentia tamen: ita Sanchez *in Summ. lib. 4. cap. 46. n. 2.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 6. cap. 26. n. 6.* Sylveſter *v. diſpenſatio q. 14. n. 20. in fin.*

3. Non requiritur, ut opera, in quæ commutantur vota, ſint omnino, & mathematice æqualia, cum ſufficiat æqualitas viri prudentis judicio, ſecluſa tamen fraude, & ignorantia culpabili, præſertim quando virtute privilegii commutatio fit. In diſpenſatione vero, ſi dubitetur de cauſa juſta, tunc conſcientiæ ſecuritati conſulitur, ſi aliquod leve onus injungatur, ſicut in Pontificiis diſpenſationibus ſæpiſſime fit; idcirco tutius eſt partim uti diſpenſatione, & partim com-

Digitized by Google

commutatione, cum difficilius ſit cognoſcere an interveniat juſta cauſa ad diſpenſandum, quam ad commutandum, nam ad diſpenſandum requiritur ſemper major cauſa quam ad commutandum; in utroque vero prudentia requiritur: ita Sylveſter *v. votum* 4. *q.* 8. Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 12. *n.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 11. *q.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 7. & alii.

4. Poſſunt Confeſſarii Regulares virtute privilegiorum commutare omnia Vota ſimplicia ſæcularium ad ſe undequaque venientium in alia opera pietatis, exceptis tantum quinque Papæ reſervatis, ſcilicet Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Viſitationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ; ex conceſſione Eugenii IV. Benedictinis, & Pauli III. Presbyteris Confeſſariis Societatis Jeſu, ab Ordinario approbatis, facta, per Bullam, quæ incipit: *Cum inter cunctas*, apud Confectium pag. 151. & refertur in compendio ejuſdem Societatis *tit. commutatio* §. 1. quam conceſſionem extendit poſtea ad vota jurata Gregorius XIII. in Bulla, quam refert Bordonus *tom.* 1. *reſol.* 15. *nu.* 25. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 23. & Rodericus *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 4. dummodo commutatio in alterius præjudicium non fiat.

5. Debent præfati Confeſſarii vota commutare in æquale, vel fere æquale, aut ſaltem quod adeo notabiliter minus non ſit: ratio eſt, quia commutatio nihil eſt aliud, quam tranſitio quædam de uno onere in aliud, in favorem ejus qui vovit; unde ex una parte requiritur quædam æquitas, quia eſt actus juſtitiæ; ex altera vero parte, quia in favorem voventis ſit, eſt actus benevolentiæ, & ideo debet fieri in aliquid, quod alleviet, non autem tollat onus emiſſi voti. Æquale onus eſt illud, quod juxta prudentis arbitrium cenſetur æque gratum Deo, non autem æque grave, aut aſperum; ſic longæ peregrinationes rite commutantur in jejunia, frequentes communiones, confeſſiones, & id genus: ſiquidem non tantum vota realia commutantur in realia, ſed etiam in perſonalia, ſicut & perſonalia in realia commutari poſſunt. Nota, quod quando pro exoneratione conſcientiæ pœnitentis ſufficit illius votum commutare, non poteſt a Confeſſario illud diſpenſari, niſi in caſu quo pœnitens plura emiſerit vota, pluribuſque obligationibus ligatus exiſtat, quibus rite ſatisfacere minime poſſit, ac proinde probabiliter timeat ruinam ipſius: ut cum aliis docet Suarez *de Voto lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 18.

6. Si unus Confeſſarius advertat in pœnitente, votum ipſius fuiſſe ab alio Confeſſario in minus æquale commutatum, poterit acquieſcere, & ſtare opinioni Confeſſarii, qui votum commutavit, ſi ſciat illum eſſe virum doctum; ſi vero ſciat non eſſe talem, tenetur monere pœnitentem de errore, & facere debitam commutationem, ſi ſit ſpes quod pœnitens acquieſcat; ſi vero non ſit ſpes, & pœnitens ſit in bona fide, relinquat ipſum in illa, & diſſimulet.

7. Ex conceſſione facta Confeſſariis Societatis Jeſu a Paulo III. & Gregorio XIII. ut ſupra *n.* 4. qua ipſis indulgent, & per communicationem ceteris etiam Confeſſariis Regularibus, ut poſſint vota etiam jurata commutare, conſtat proculdubio eoſdem poſſe juramenta Deo, vel Sanctis facta pariter commutare, dummodò non ſint in præjudicium alicujus tertii; ſi enim ipſis conceditur commutatio votorum juratorum, in quibus duæ obligationes includuntur, a fortiori ipſis conceditur juramentorum prædictorum commutatio, in quibus una tantum adeſt obligatio: præjudicium autem tertii ſolum intervenit, quando a tertio juramentum eſt acceptatum, & non aliter: ita Miranda in Manual. *tom.* 1. *q.* 47. *art.* 4. Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 5. Peyrinus *tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 21. §. 1. & alii; advertentes, quod in dictis Confeſſariis non requiritur ſpecialis licentia ſuorum Superiorum, *ſi Jeſuitas excipias*, ad hoc, ut poſſint uti facultate ſive ad com-

Digitized by Google

commutandum, ſive ad diſpenſandum in votis, & juramentis, ſed ſufficit generalis illis data ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, & quod interveniat juſta cauſa.

8. Poſſunt præterea Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati, in votis Sæcularium diſpenſare, exceptis quinque Papæ reſervatis, ſcilicet: *Religionis approbatæ*, *Caſtitatis perpetuæ*, *& triplicis peregrinationis*, ut dictum eſt ſupra *n.* 4. juſta tamen cauſa interveniente, ſine qua diſpenſatio ſemper eſt invalida: idque conſtat ex pluribus privilegiis Pontificiis, præſertim Eugenii IV. Confeſſariis Ordinis S. Benedicti conceſſis, ut habetur in compendio privileg. Mendicant. 2. impreſſ. *V. abſolutio quoad ſæculares* 1. *§. ib. & V. diſpenſatio §.* 29. *& V. abſolutio quoad ſæculares* 2. *§.* 19. nec non Innocentii VIII. pro Confeſſariis Ordinis Minorum ab Epiſcopo approbatis, *prout habetur in monumentis ejuſdem Ordinis in* 1. *impreſſ. fol.* 65. *&* 2. *impreſſ. fol.* 69. *conceſſ.* 155. & in ſupplem. *fol.* 98. *conceſſ.* 533. & in compendio Societatis Jeſu *tit. de pœnitentia §.* 10. ubi dicitur, quod per facultatem conceſſam a Summis Pontificibus per ſuas Bullas Ordinibus Regularibus, poſſunt eorum Confeſſarii ab Ordinario approbati diſpenſare cum Sæcularibus in omnibus eorum votis, exceptis quinque Papæ reſervatis, ut ſupra, unde exceptio illa peregrinationis ultra duas dietas ab aliquo Pontifice poſita, per Pontifices poſteriores eſt abolita, ut in eodem compendio videre licet: ita Vincent. Candid. *tom.* 2. *diſq. moral. diſq.* 27. *dub.* 1. *pag.* 354. Bonac. *tom.* 2. *in Decal. diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 4. *a num.* 26. Navar. *in ſum. cap.* 12. *nu.* 80. Sanch. *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 8. *diſp.* 16. *a nu.* 1. Tambur. *in Decal. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *a nu.* 46. Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 3. 4. *&* 5. March. *in tribun. Sacram. tom.* 2. *tract.* 3. *tit.* 4. *q.* 4. *dub.* 4. *reſol.* 3. Miranda *tom.* 1. *q.* 47. *art.* 3. Anacletus, Felix Panormit. Henrix, & alii permulti.

9. Licet Confeſſarii Regulares per privilegia relata poſſint commutare, & diſpenſare cum Sæcularibus in omnibus votis Epiſcopis jure communi, & ordinario reſervatis, minime tamen id poſſunt facere in reſervatis eiſdem Epiſcopis jure ſpeciali, & in quibus induſtria perſonæ ſpecialiter videtur electa, prout docent Panormit. *in cap. verum, de foro compet. nu.* 9. Felinus *in cap. eam te, de reſcript. nu.* 17. & alii *commun.* Pro qua concluſione adnotare oportet, quod in votis Summo Pontifici reſervatis, ut ſupra, poſſunt aliquando Epiſcopi urgente neceſſitate diſpenſare, vel etiam interveniente impotentia morali, ratione cujus faciliter ad Summum Pontificem, vel ejus habentem auctoritatem non poteſt haberi acceſſus; ut v. g. in voto caſtitatis perpetuæ, vel peregrinationis ultramarinæ &c. quando urget periculum, & ſine ſcandalo, vel gravi incommodo ad Papam non poteſt haberi recurſus; prout expreſſe in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. hujuſmodi diſpenſationes præfatis Epiſcopis conceduntur ex benignitate Eccleſiæ, ne jugum Chriſti videatur eſſe grave; in his igitur Confeſſarii Regulares commutare, aut diſpenſare non poſſunt, ut docet cum communi Rodericus *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 6.

10. Poſſunt tamen præfati Confeſſarii Regulares aliquando commutare, & diſpenſare cum Sæcularibus in votis Papæ reſervatis, ratione alicujus circumſtantiæ, ob quam vere a rigoroſa reſervatione deficiant, ut quando non ſunt perpetua, abſoluta, & perfecta: unde diſpenſare poſſunt in ſequentibus, videlicet primo, in voto aſſumendi Sacros Ordines; 2. in voto non nubendi; 3. in voto non fornicandi, vel non tangendi mulierem; 4. in voto ſervandæ virginitatis, ſi fuit ſolum pro prima vice; 5. in voto Caſtitatis non perpetuæ, ad centum tamen annos judicatur perpetuum; 6. in voto caſtitatis emiſſo ex metu vere, & certo gravi, & injuſte incuſſo ad votum emittendum;

7. in

Digitized by Google

7. in voto Caſtitatis, quando dubitatur an ſit validum: 8. in voto promittendi caſtitatem; 9. in voto ingrediendi Religionem non approbatam a S. Sede; 10. in voto paupertatis, vel obedientiæ emiſſo in ſæculo, vel in Religione non approbata; 11. in voto ingrediendi Religionem militarem, excepta Hieroſolymitana, ſeu Melitenſi; hæc eſt vera Religio, de aliis controvertitur; 12. in voto ingrediendi arctiorem Religionem, quod poteſt cum cauſa commutari in latiorem; 13. in qualitatibus voti peregrinationis Papæ reſervatæ, ut qui pedeſter vovit peregrinari, poſſit in equeſtrem commutari; 14. in voto, quo quis promiſit perſeveraturum, & profeſſurum in Religione; nam votum Religionis reſervatum eſt illud, quo quis ſe obligat legitime Novitiatum ingredi, & ibi ſine fraude experiri, non autem ex juſta cauſa egredi; 15. in executione voti differendo ex juſta cauſa ingreſſum in Religionem, vel etiam differendo executionem in aliis votis Papæ reſervatis, dummodo non impediatur totaliter, vel æquivalenter executio; 16. in votis trium peregrinationum reſervatarum, nempe Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, non ex devotione, ſed ad alium finem emiſſis, ad finem autem devotionis præſumitur, ſi de fine alio expreſſe non cogitetur; 17. in voto non petendi diſpenſationem ab alio, quam a Summo Pontifice. In quibus omnibus juſta interveniente cauſa poſſunt prædicti Regulares Confeſſarii cum Sæcularibus commutare, vel diſpenſare; prout docent Bordonus *tom.* 1. *reſol.* 15. Vidal. *tit. de Voto inquiſit.* 3. *num.* 84. Tambur. *in Decal. lib.* 3. *cap.* 16. & alii.

11. Poſſunt pari modo dicti Confeſſarii virtute privilegiorum commutare, & diſpenſare cum cauſa vota pœnalia Sæcularium, ut v. g. quando quis vovet jejunare ſub pœna, quod non jejunando ſervabit perpetuo Caſtitatem; in tali caſu certum eſt, quod antequam jejunium tranſgrediatur, poteſt commutari, vel diſpenſari hujuſmodi votum jejunandi a prædictis Confeſſariis, cum votum jejunandi minime ſit Sedi Apoſtolicæ reſervatum, & idcirco facta commutatione, vel diſpenſatione, etiamſi non jejunet, minime tenetur ſub ratione voti caſtitatem ſervare, nam ſublato principali voto, ſublatum etiam remanet acceſſorium, id eſt votum pœnale perpetuæ caſtitatis; ut docent Navarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 43. Miranda *tom.* 1. *q.* 47. *art.* 6. Roder. Medina, Sotus & alii commun.

12. Poſſunt Confeſſarii Regulares ab Ordinario approbati ex commiſſione ſpeciali Provincialis diſpenſare ad petendum licite debitum conjugale cum conjugibus, qui poſt contractum Matrimonium inceſtum commiſerunt uſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis incluſive juxta Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 4. tam ex cognatione ſpirituali, quam carnali provenientem, prout ex variis privilegiis Apoſtolicis conſtat, præſertim Martini V. & Julii II. pro Benedictinis, necnon S. Pii V. pro Minoritis, ut refertur in comp. privilegiorum Mendicantium, & Societatis Jeſu *tit. diſpenſatio* §. 8. quod quidem privilegium habetur authenticum in Conventu Aracælitano in Archivio Commiſſarii Generalis Curiæ Romanæ, quo etiam aliorum Ordinum Confeſſarii Regulares per communicationem fruuntur: ita docent Lezana in Summa *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 6. *num.* 23. Candid. *tom.* 2. *diſquiſ.* 27. *art. unico*, *dub.* 9. Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 1. 2. 3. & alii. Advertendum tamen 1. quod ad hoc, ut quis prohibeatur petere debitum conjugale, requiritur, ut copula inceſtuoſa ſit completa, quia aliter non contrahitur affinitas: 2. hujuſmodi impedimentum non contrahitur a conjugibus per vim a conſanguinibus alterius conjugis violatis, & eſt probabile quod non contrahitur ab ignorantibus talem pœnam: 3. hu-

3. hujuſmodi licentia, ſeu deputatio Provincialis non expirat mortuo, vel amoto ab officio illam concedente, neque ſine juſta cauſa revocari poteſt; 4. teneantur Provinciales hoc negotium committere viris litteratis, qui ſciant modum in tali diſpenſatione ſervandum juxta conceſſionem S. Pii V. ultimo, hujuſmodi facultas non ſolum extenditur ad fideles illius Diœceſis, in qua eſt Regularis Confeſſarius ab Ordinario approbatus, ſed etiam ad omnes undequaque ad eam accedentes: ita Cand. *tom.* 2. *diſquiſ.* 27. *dub.* 11. Lezana *tom.* 3. *V. affinitas*, *num.* 5. Lucerna Regularis *V. diſpenſatio num.* 5. Bordon. *miſcell. deciſ.* 474. & alii communiter. Vide quod dictum eſt ſupra *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. in Generalium facultatibus.

13. Poſſunt pariter Regulares ab Ordinario approbati de licentia Provincialis expreſſa diſpenſare ad petendum licite debitum cum conjugibus, qui poſt emiſſum votum Caſtitatis Matrimonium abſque diſpenſatione contraxerunt, vel poſt contractum Matrimonium Caſtitatem voverunt, prout ex privilegiis Martini V. Julii II. & S. Pii V. ſupra relatis conſtat, & docent *cit. D. D.* Debent tamen Confeſſarii præfati monere pœnitentes, cum quibus diſpenſaverint ad petendum debitum, ut ſi alter eorum moriatur, ſuperſtes, qui dictum votum emiſit, remanet cum ſua obligatione, ita ut non poſſit poſtmodum abſque legitima diſpenſatione Matrimonium licite contrahere; & ſi de facto contrahat, poterit reddere, ſed non petere hujuſmodi debitum abſque nova diſpenſatione Papæ, vel Epiſcopi, aut alterius ex Confeſſariis Regularibus privilegiatis ab Ordinario approbatis, & ad hoc per Provinciales ſpecialiter deputatis: cauſa autem ad diſpenſandum ſufficiens eſt, ſi conjuges non poſſint ſe continere; deputatio Provincialis non expirat mortuo illo, vel amoto ab officio: vide quod dictum eſt in numero præcedenti, & *in tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. & *in tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 22.

14. Poſſunt etiam præfati Confeſſarii Regulares diſpenſare in voto numquam petendi diſpenſationem, vel petita, & obtenta, non utendi; tum quia hoc votum non eſt de exceptis, tum etiam quia Epiſcopus poteſt diſpenſare in hoc voto, ergo etiam Regulares Confeſſarii, nam ubi poteſt ille diſpenſare de jure communi, poſſunt & iſti approbati ab Ordinario, quamvis diſpenſare nequeant in votis de jure ſpeciali Epiſcopo reſervatis, etenim in his videtur ſpecialiter electa induſtria perſonæ, prout diximus ſupra *num.* 9. ita Roder. *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 6. Navar. *in ſumm. cap.* 12. *num.* 76. & alii. Advertendum tamen, quod commutatio, vel diſpenſatio votorum, & ad debitum conjugale petendum, ſemper eſt facienda a Confeſſariis Regularibus in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive per Bullam, ſive per Jubilæum, ſive virtute privilegiorum, vel Litterarum Apoſtolicarum fiat; nam Summi Pontifices tam in privilegiis, quam in Jubilæis, litteriſque præfatis ſemper apponunt clauſulam illam, *Audita prius Sacramentali Confeſſione*; ut recte, contra nonnullos, docent Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 31. *cap.* 28. *num.* 216. Filliuccius *p.* 2. *cap.* 10. *num.* 355. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *reſol.* 71. ubi etiam advertit, quod in hoc ſufficit Confeſſio involuntarie nulla ex defectu doloris, vel propoſiti, aut integritatis, dummodo ſit integra circa ea, de quibus petitur diſpenſatio; idem docet Suarez *tom.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 4. *num.* 9. *§. cum agitur*.

15. Quamvis propter infirmitatem rerum, & circumſtantiarum varietatem valde difficile ſit aſſignare regulas certas pro ſervanda praxi in commutatione votorum, & dignoſcenda qualitate materiæ in eis ſubrogandæ, cum totum negotium prudentum judicio remittendum ſit; nihilominus tamen, ut vir prudens habeat aliquod lumen ad melius judicandum in particularibus, operæ

operæ pretium duxi huc tranſcribere inſtructionem ad rem hanc ingenioſiſſime traditam a Thoma Tamburino *lib. 3. in Decal. cap.* 16. §. 6. ubi ſic habet.

Primo: Materiæ voti gravitas eſt ex ſe conſideranda, præſcindendo a vinculo voti; ratio eſt, quia in commutatione vinculum voti remanet, & ſolum transfertur in opus ſubrogatum, quare cum non ſit illud relaxandum, non erit opus hic illud in lancem adducere; non ſic in diſpenſatione, in qua vinculum voti omnino tollitur.

Secundo: Non eſt ſpectanda ſola excellentia virtutis, quam habet materia ſubroganda, ita ut melior ſit commutatio, quæ fiat in excellentiorem virtutis actum, ſed quod eſt melius ipſi voventi hic, & nunc, ſeu pro tempore, loco, & diſpoſitione ipſius. Si flagellationem v. g. ad domandam carnem voviſti, melius erit ſi votum hujuſmodi commutes in jejunia, quam in orationes, quia jejunium magis quam oratio, licet hæc ſit excellentior actus, ad carnis macerationem conducit; ideo in frequentiam Sacramentorum omnia vota commutari regulariter conſilium eſto, quia Sacramenta ad bonum voventis melius quam opera cetera, ſunt utilia.

Tertio: Expende item difficultatem implendi rem promiſſam, & rem ſubrogandam, & in peregrinatione pericula, labores, expenſaſque proprias pro eundo, & redeundo faciendas, quæ quidem expenſæ ex probabiliori ſententia cadunt intra votum peregrinandi, niſi expreſſe excluſeris, vel niſi mendicando ire promiſeris.

Quarto: Commutatio, licet convenientiſſimum ſit, non tamen eſt neceſſe, ut fiat in favorem ejus Sancti, vel Eccleſiæ, cui factum eſt votum, quia ſupponimus, promiſſionem ab ea Eccleſia nondum acceptatam legitime fuiſſe.

Quinto: Non eſt opus, ut votum perſonale commutetur in actionem perſonalem, vel reale in realem, neque ut actio ſubroganda ſit æqualis in duratione, vel numero, vel ut certo die fiat; poſſunt enim hæc aliunde compenſari.

Sexto: Quando dilatio nihil minuit de voto, nec multum intereſt implere votum die deſtinata, modica commutatione ſuppleri poteſt. Certe ego petenti commutari jejunium hujus diei in alium, præſcindendo ab aliqua particulari circumſtantia, facile concederem ſine alio ſupplemento, quia tunc dilatio parum, aut nihil demit de obſequio Dei.

Sed occurrit difficultas circa votum conditionale pœnale. Diximus in commutatione votorum exponendam eſſe gravitatem materiæ voti, ut illi per commutationem ſubrogetur opus æquale; cum ergo in voto conditionali pœnali adſit duplex materia, utraque ne eſt expendenda? Petrus v. g. vovit non ludere, quod ſi ludet, vovet dare eleemoſynam quamdam; adeſt hic pro materia voti ipſa eleemoſyna, adeſt ipſa negatio ludi, quæ per votum iſtud intenditur: in commutatione ergo bonitas non ludendi ſola, an etiam bonitas eleemoſynæ expendenda eſt?

Aſſero, ſi commutatio petatur, & facienda ſit poſt impletam conditionem, hoc eſt poſt ludum, utriuſque, nimirum bonitatis non ludendi, & bonitatis eleemoſynæ rationem habendam eſſe: ratio eſt, quia ex una parte, non ludere fuit res per votum directe promiſſa, ex alia vero parte, ipſa eleemoſyna, purificata conditione, hoc eſt poſito ludo, jam tranſit in rem abſolute promiſſam.

Si vero petatur ante impletam conditionem, variant D. D. nonnulli negant eſſe etiam expendendam pœnam, ideſt in caſu poſito, eleemoſynam, quia illa nondum eſt promiſſa, cum nondum purificata ſit conditio. Verum dico primo, eſſe expendendam, non ratione ſui, ſed ratione bonitatis directe promiſſæ; explico, & probo: Votum non ludendi eſt gravius, ſi referatur ad pœnam illam dandi eleemoſynam,

nam, quam ſi ad talem pœnam non referatur, gravius eſt enim ſic promittere: *Voveo non ludere; quod ſi luſero, voveo eleemoſynam*; quam ſolum ſic, *Voveo non ludere*, ergo non eſt mirum, eſſe expendendam illam pœnam, ut videatur gravitas totius voti, fateor tamen ejuſmodi pœnam, ſcilicet in caſu dicto eleemoſynam, non eſſe accipiendam hic ſecundum totam ſuam gravitatem: ratio eſt, quia cum nondum ſit incurſa, ſed a voluntate voventis, quoad futurum eventum, adhuc pendeat, multum a ſua gravitate deficit. Hactenus ex Tamburino, qui ibidem ſubiicit aliquas commutationes approbatas a D. D. ut nimirum facilius ad harum exempla praxim commutationum deducere valeat qui legit; ibi videantur.

C A P. VII.

De Monialium Confeſſariis, eorumque facultatibus.

1. Monialium Confeſſarii non ſufficit, ut alibi dixi, ſi ſint pro ſæcularibus approbati, ſed requiritur quod in ſpecie ſint approbati pro Monialibus; nec approbatus pro uno Monaſterio, aut pro una Moniali, vel pro una vice, cenſetur approbatus pro alio Monaſterio, vel pro alia Moniali, aut pro altera vice, expleta deputatione; ſed toties ab Epiſcopo debet approbari, quoties caſus deputationis contigerit, prout conſtat ex Bulla Clementis X. quæ incipit: *Superna Patris familias*; ſ. 2.

2. Approbatio Confeſſariorum Monialium, quæ Regularibus ſunt ſubjectæ, non ſolum a propriis Prælatis fieri debet, ſed etiam ab Ordinario loci, qui tamen deputare nequit quem vult, ſed hujuſmodi deputatio, ac præſentatio ad Superiores Regulares ſpectat, & ab eiſdem per proprias litteras patentales eſt facienda; ut patet ex Conſt. Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili*, apud Cherub. *tom.* 4.

3. Confeſſarius ad triennium a Superiore Regulari pro Monialibus deputatus, non poteſt ab Ordinario limitari ad annum, vel ad alium minorem terminum, ſed eſt vel ad triennium ab illo admittendus, ſi idoneus reperiatur, ſin minus, abſolute eſt reiiciendus; ex Decreto S. Congregat. Epiſcop. & Regul. in una *Catanen.* ſub die 4. Maii 1696. edito.

4. Triennio dumtaxat a die obtentæ Patentis Confeſſarii ordinarii Monialium durant, nec ad id munus eligi poſſunt curam animarum habentes, eoque elapſo, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, nequeunt amplius in eodem Monaſterio per aliud triennium Confeſſiones audire; poſſunt tamen pro eodem extraordinarii deputari, ex Decr. ejuſd. S. Congr. relatis a Nicol. Floſcul. *v. Moniales num.* 43. & *v. Confeſſarius num.* 36. Pro aſſumptis ex Ordine Minorum de corpore Obſervantiæ in ſtatutis Sambucanis *cap.* 11. ſ. 17. *num.* 5. ſic diſponitur: *Confeſſores & Vicarii Monialium non poſſunt durare ultra triennium in eodem Monaſterio, nec denuo inſtitui poſſunt, niſi triennio vacaverint.*

5. Qui in ſupplementum Confeſſarii ordinarii per dies, vel menſes aliquot munus extraordinarii in aliquo Monaſterio exercet, ſi Confeſſarii ordinarii mutatio contingat, poterit ad triennium, diebus, aut menſibus illis non computatis, in eodem Monaſterio pro ordinario deputari, quia cum ſimus in odioſis, S. Congr. Decretum eſt benigne intelligendum de deputatione ordinaria, minime de accidentali in ſupplementum. Fel. Pot. *tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 157. *num.* 1452.

6. Confeſſarii Monialium tam ordinarii, quam extraordinarii ætatem quadraginta annorum excedere debent, qui vitæ innocentia, doctrina, ac moribus caſtiſſimis probati ſint: Sanctorus *comment. in ſtat. general. cap.* 11. *ſtat.* 7. *q.* 3. & ſpecialiter pro Fratribus Minoribus Strictioris Obſervantiæ id decrevit S. Congreg. Concilii ſub Alexandro

xandro

Digitized by Google

xandro VIII. die 26. Novembris 1689.

7. Præter Confeſſarium ordinarium, alius extraordinarius ab Epiſcopo, aliſque Superioribus bis, aut ter in anno Monialibus offerri debet, qui omnium Confeſſiones audire teneatur: ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Regul.* & quamvis Moniales, ſi nolunt, eidem confiteri minime ſint adſtrictæ, cum hujuſmodi conceſſio ſit eis favorabilis, præceptum nihilominus Tridentini omnino eſt exequendum, niſi ipſæ de communi conſenſu juri ſuo cedere velint; Monacellus *Formul. part.* 2. *formul.* 4. *num.* 4. *tit.* 9. Advertendum tamen, quod illæ Moniales, quæ Confeſſario extraordinario confiteri renuunt, tenentur ſaltem eidem ſe præſentare, ut ab eo monita ſalutis recipiant, & actum ſubjectionis exerceant: juxta diſpoſitionem pro Monialibus Urbis editam ab Eminentiſſimo Cardinali Vicario, approbante Clemente XI. ſub die 12. Decembris 1708. impoſita Abbatiſſis, ſeu Primiceriis Monaſteriorum pœna privationis officii, & ceteris Monialibus illa privationis vocis activæ, & paſſivæ ad annum.

8. Sub eiſdem pariter pœnis prohibitum eſt Monialibus, ne tempore deputationis Confeſſarii extraordinarii confiteantur ordinario, in quem pœna ſuſpenſionis ab audiendis Monialium Confeſſionibus infligitur, ſi pro eo tempore ad Monaſterium, & Eccleſiam accedat. Idem pro Confeſſariis Ordinis Minorum de corpore Obſervantiæ diſponunt ſtatuta Sambucana *cap.* 11. *§.* 17. *num.* 12.

9. Per præfatum Tridentini Decretum non prohibetur, quin poſſit pluries extraordinarius deputari, ſed quoties opportunum judicaverit, poterit Prælatus Monialium paterna benignitate deputare; prout docet & fuſius probat, ac monet Pellizar. *de Monialibus cap.* 10. *num.* 250.

10. Confeſſarius extraordinarius deputatus pro uno Menſe ad audiendas confeſſiones Monialium alicujus Monaſterii ſemel in hebdomada, ſi in aliqua hebdomada non ſit ea licentia uſus, poterit ea uti alia hebdomada, ejuſdem tamen Menſis, non alterius, etiamſi ſequenti Menſe de novo pariter deputetur; ratio deſumitur ex verbis Bullæ Clementis X *Superna §.* 3. *Itidemque Confeſſarios extraordinarios ſemel deputatos, & approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi illarum Confeſſiones audire*: ex quibus verbis ſequitur, intra Menſem illum poſſe, quia pro eo non eſt expleta deputatio, ſed durat; pro alio vero Menſe, etiam immediato, deputatio Menſis prioris eſt expleta, & deputatio, quæ ſequi ſupponitur, eſt nova, unde non poteſt prioris Menſis approbatio, & licentia ad ſequentem Menſem extendi.

11. Extraordinarius deputatus ad audiendam ſemel Confeſſionem Monialis, ſi ex aliquo accidenti ad breve tempus reverſurus exeat, & redeat ad munus complendum, licite, & valide abſque nova licentia redit, & complet, quia id totum moraliter cenſetur unicus acceſſus, & actus. Idem dicendum de deputato ad excipiendam Confeſſionem Monialis ægrotæ, qui, peracta Confeſſione, egreſſus e Monaſterio ſtatim vocatur, eo quia ægrota ſit alicujus oblita peccati, licite, & valide abſque nova licentia poteſt redire, ingredi, & ejuſdem Confeſſionem complere, quia moraliter eſt unus ingreſſus, unaque Confeſſionis perfectio: ita Pellizar. *de Monial. cap.* 10. *ſect.* 3. *q.* 9. *num.* 260.

12. Confeſſarii tam ordinarii, quam extraordinarii Monialium negotiis temporalibus non ſe immiſceant, niſi urgens adſit neceſſitas; nec ad alios uſus, res, & negotia convertant ea loca, in quibus miniſtrantur Sacramenta; advertant pariter, extra actum Confeſſionis alloqui cum Monialibus eſſe ipſis interdictum ab Alexandro VII. in ſua 50. Conſt. incip. *Sacroſancti*: Bullar. *tom.* 5. in qua *§.* 6. habetur: *Præterea*

terea

Digitized by Google

terea interdicimus omnibus, & ſingulis Confeſſoribus, Concionatoribus, & Superioribus omnibus ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac officiorum &c. redintegratione nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus reſervata, colloquia quæcumque cum Sanctimonialibus prædictorum Monaſteriorum (comprehenſis etiam Abbatiſſis, Prioriſſis, & Officialibus) extra actum Confeſſionum, Concionum, aut Viſitationum hujuſmodi; adjecta &c. Quæ quidem prohibitio etiam ſocios, alioſque Regulares comprehendit.

13. Præfatis Confeſſariis minime licet ingredi Monaſterium Monialium ad effectum ſepeliendi Monialem defunctam, vel officium funeris peragendum, exceptis actibus, quos ad licitum ingreſſum in Clauſuram ſpecificat Alexander VII. in ſua 156. Conſt. quæ incipit: *Felici*. Nec conſuetudo aliqua poteſt excuſare a cenſura lata contra Clauſuræ Monialium violatores, nec ab ea, quæ habetur in litteris Alexandri, qui omnibus, & ſingulis, etiam conſuetudinibus, quoad ea, quæ ſtatutis in præcitata Conſtitutione adverſantur, expreſſe, & ſpecialiter derogat: ſublata cuilibet facultate, & auctoritate aliter judicandi, & interpretandi, ac adjecta clauſula Decreti irritantis: ita Sperellus *deciſ. 66. n.* 32. Gavant. in Manual. Epiſcop. *V. Monial. Clauſura num.* 40. Mattheuc. *Official. quoad Confeſſ. Monial. num.* 9.

14. Quamvis nonnulli affirment, Moniales unius Monaſterii poſſe vigore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium non approbatum pro ipſis, ſed tantum pro ſæcularibus, vel pro Monialibus alterius Monaſterii, eorum tamen opinionem utpote improbabilem ſequi non licet; ratio eſt primo, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus; *ex Regul.* 81. *juris in 6.* ſecundo, quia directe adverſatur Bullæ Clementis X. quæ incipit: *Superna*, ut ſupra *a num.* 1. & Bullæ Urbani VIII. quæ incipit: *In Specula*, ubi decernitur: *Nec Jubilæum, nec Bullam Cruciatæ Monialibus ſuffragari, quantum ad electionem Confeſſarii ex non approbatis ab Ordinario pro ipſis*: & tertio, quia id ſimiliter decrevit Benedictus Papa XIII. in Bulla Jubilæi anni ſancti 1725. ubi concedit Monialibus facultatem eligendi pro reſervatis Confeſſarios, ſed ex approbatis ad id a locorum Ordinariis. Advertendum tamen, quod reſervatio caſuum facta pro Monialibus non comprehendit puellas ſæculares in Monaſteriis detentas, quia non ſunt Moniales, neque Novitias, quia hæ in odioſis non veniunt nomine Monialium.

15. Tam Epiſcopi erga Moniales ſibi ſubditas, quam Prælati Regulares erga ſibi ſubjectas poſſunt caſus reſervare; ex Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. reſervatio tamen a Prælatis Regularibus debet fieri cum cauſa, & infra terminos Decreti Clementis VIII. incip. *SS. D. N. qui jam pridem*: quod habetur *in tom.* 4. *Bull. Cherub. poſt* 26. *Urbani VIII.* Poſſunt pariter Epiſcopi reſpectu Monialium ſibi non ſubditarum aliquos caſus ſibi reſervare, præſertim quoad illarum Clauſuram, tum quia *in cap.* 5. *Tridentini ſeſſ.* 25. *de Regul.* tribuitur ipſis facultas compeſcendi cenſuris, aliiſque pœnis inobedientes, & contradictores circa Clauſuram Monialium; tum etiam quia id poſſunt Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicę Delegati, etiam quoad quoſdam caſus expreſſos in Conſt. 18. Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili Dei providentia*, apud Cherub. *tom.* 4. nec privilegium exemptionis Regularium poteſt prædictam delegationem Apoſtolicam impedire: cum in prædictis non intelligantur exemptæ, ſed Epiſcopis ſubjectæ.

16. Confeſſarii ordinarii, & extraordinarii pro Monialibus legitime deputati poſſunt eas abſolvere a quibuſcumque peccatis, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ac in Bulla Cœnæ contentis, occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantum; prout con-

conſtat ex pluribus privilegiis Apoſtolicis; & præſertim Leonis X. qui in duplici Bulla authentica, quæ habetur in Monum. noſtri Ord. *in ſupplem. fol.* 42. *conceſſ.* 132. *& fol.* 43. *conceſſ.* 137. conceſſit Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis, aliiſque privilegium communicationis habentibus, ut in omnibus feſtivitatibus Domini Sabaoth, B. M. V. SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, Omnium Sanctorum, S. P. N. Franciſci, S. Claræ, S. Catharinæ V. & Martyris, & per totam Majorem Hebdomadam, poſſent Confeſſores earum ſive ordinarii, ſive extraordinarii a Prælatis deputati, ab omnibus peccatis, cenſuris, pœniſque Eccleſiaſticis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & exceſſibus quomodolibet commiſſis, occultis tamen, eas plenarie in foro conſcientiæ abſolvere, & congruam pœnitentiam injungere.

17. Præterea, ſecluſis quibuſcumque privilegiis, poſſunt Moniales ratione impedimenti perpetui, quo detinentur, a prædictis Confeſſariis abſolvi, quoties opus fuerit, ab omnibus peccatis, cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ac in Bulla Cœnæ contentis, & exceſſibus ut ſupra, occultis tamen, & in foro conſcientiæ tantum ad vitandum ſcandalum, vel infamiam; ratio eſt, quia quando nonniſi cum magna difficultate, & mora patet aditus ad Summum Pontificem, vel ejus Legatum, aut Delegatum, vel Epiſcopum, aut alios Superiores, ad quos reſpective de jure poteſtas abſolvendi ſpectat, poteſt quilibet pœnitens ab inferiore Sacerdote abſolvi, cum onere tamen comparendi coram eiſdem reſpective, ceſſante impedimento; prout habetur *in cap. Eos, qui de ſent. excomm. in 6. in cap. Mulieres, & in cap. Quamvis*: quia licet pro abſolutione a caſibus in Bulla Cœnæ contentis, aliiſque Summo Pontifici reſervatis, ſolum excipiatur articulus mortis; jus tamen Canonicum ad caſum neceſſitatis exceptionem ampliavit, aliter reſervatio, quæ pro bono caritatis introducta eſt, contra caritatem vergeret, & poteſtas retinendi peccata, data, ut loquitur Apoſtolus, in ædificationem, eſſet in deſtructionem: hinc ab Epiſcopis abſolvi poſſunt impuberes, Mulieres, Valetudinarii, pauperes, qui ob paupertatem non poſſunt iter agere, & quicumque diuturno impedimento detinentur: ergo ſi Epiſcopi poſſunt a præfatis caſibus abſolvere, quando datur impedimentum diuturnum; a fortiori poterunt Monialium Confeſſarii eaſdem a prædictis exceſſibus abſolvere, cum non tantum diuturno, ſed etiam perpetuo detineantur impedimento adeundi Summum Pontificem, aut aliquem ex recenſitis Superioribus habentibus a jure facultatem abſolvendi.

18. Quod ſi dicas, Poſſunt Moniales mittere nuncios, procurare abſolutionem per litteras: reſpondetur, non eſſe ita facile Monialibus mittere nuncios, conſtituere procuratores, ſcribere litteras, quia hæc omnia facere plerumque non poſſunt; imminet profecto periculum infamiæ, vel ſcandali. Si vero inſtes, Poteſt Confeſſarius ſcribere, & abſolvendi facultatem procurare: reſpondetur, Confeſſarium ad id non teneri, ratio eſt, quia onus adeundi Superiorem vel per ſe, vel per litteras, non eſt gravamen impoſitum Confeſſario, ſed pœnitenti, unde ſi non poſſit pœnitens adire, non propterea obligabitur Confeſſarius, quantumvis eo velit pœnitens uti; quando vero abſque difficultate, mora, & periculo infamiæ, vel ſcandali, aut alio, facultas abſolvendi ab aliquo ex dictis Superioribus obtineri poſſet, Confeſſarium debere abſtinere; ſecus, non debere; prævalet enim jus naturale, & Divinum juri poſitivo.

19. Quantum ad diſpenſationem, vel commutationem votorum, quæ a Monialibus, præter tria Religionis eſſentialia, ex quadam feminea levitate ſolent emitti, nullam habent Confeſſarii facultatem, niſi eis communicata fuerit a Monialium Superioribus,

ad quos, utpote poteſtatem juriſdictionis habentes, ſpectat diſpenſare, commutare, & irritare ſubditorum vota, tribus eſſentialibus exceptis; ut dictum eſt ſupra *tract.* 2. *de poteſt. Prælat. quoad vota*. Irritari tamen poſſunt, ſervatis ſervandis, ab Abbatiſſis, ſeu Perioriſſis propter poteſtatem dominativam, quam ſupra Moniales ſubditas habent: ut docent comm. D. D.

C A P. VIII.

De Concionatoribus Regularibus, eorumque obligationibus, & privilegiis.

1. NEqueunt Regulares munus concionandi, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum exercere, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia: ita enim habetur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. Unde Regularis prædicans abſque dicta licentia peccat mortaliter; ut docet Navarrus *in Manual. cap.* 25. *n.* 141. incurrit etiam excommunicationem Papæ reſervatam, ut tenent Zerola *in ſua praxi V. Prædicator num.* 2. *p.* 1. & Reginaldus *lib.* 18. *num.* 119. aſſerentes fuiſſe latam in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. a quo pariter officio prædicandi privatur in ſua 21. Conſtitutione apud Cherub. *tom.* 1. Peccant etiam mortaliter Prælati Regulares, qui ſubditos de vita, moribus, & ſcientia non examinatos, & non idoneos prædicare permittunt; tum ex Trident. tum ex Leone X. tum ex ſcandalis, & Regulæ tranſgreſſionibus, quæ inde ſolent evenire: ita Peyrinus *de ſubdito cap.* 22. *quæſt.* 1. *de obedient.*

2. Regulares ad prædicandum in Eccleſiis ſuorum Ordinum, ultra licentiam ſuorum Superiorum tenentur perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere, antequam prædicare incipiant: quod Gregorius XV. in ſua 18. Conſt. quæ incipit: *Inſcrutabili*, apud Cherub. *tom.* 3. & deinde Clemens X. in ſua 7. Conſt. incip. *Superna Magni*, apud eumd. Cherub. *tom.* 5. confirmarunt; neceſſe tamen non eſt, ut eam obtineant, ſed ſufficit quod petant, prout idem Clemens decrevit; quod ſi Epiſcopus benedictionem, nedum non concedat, ſed etiam contradicat, nec in Eccleſiis ſuorum Ordinum licet Regularibus prædicare: *ibidem*, & Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. nequit tamen Epiſcopus generatim prohibere Regularibus pro ſemper, & cum ſingulorum excluſione, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicationis munus exerceant: *ibidem*, §. 2.

3 Tenentur etiam Regulares præfatam benedictionem petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium, eorum juriſdictioni ſubjectarum, licet clauſis januis, & nullus Sæcularis ibi interſit, habere voluerint: benedictio tamen, ſeu licentia ſemel Regularibus conceſſa prædicandi ſive in propriis, ſive in alienis Eccleſiis, aut alibi, ſuſpendi ab Ordinario non poteſt, niſi ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem concernentes: *ibidem*.

4. Præterea Regulares ad prædicandum in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi, ſeu Ordinarii licentiam habere tenentur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſunt: ex Trident. *loc. cit.* quod confirmat Gregorius XV. in dicta Conſt. *Inſcrutabili*: & non tantum pro Eccleſiis non ſuis egent Ordinarii licentia, verum etiam ſi in plateis, aliiſque locis prædicare velint: ex Trident *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Donat. *in prax. Regul. tom.* 3. *tract.* 6. *q.* 19.

5. Poteſt Epiſcopus licentiam prædicandi conceſſurus Regularibus, in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quam-

quamvis ab Univerſitatibus, aut Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare; ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit: ex Conſt. *Superna*: §. 2.

6. Regulares prædicantes errores, aut ſcandala in populis diſſeminantes, etiamſi in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicaverint, a prædicationis officio poſſunt ab Epiſcopis interdici. Quodſi hæreſes diſſeminaverint, contra eos ſecundum juris diſpoſitionem debet procedi: ex Trident. *Seſſ.* 5. *cap.* 2. Quaranta *in Summ. Bullar. V. Exemptio.* Concilium quoque Lateranenſe ſub Leone X. *Seſſ.* 11. prohibet Concionatoribus, ne de cetero in ſuis Sermonibus publicis alia quæque futura ex Litteris Sacris conſtanter prædicent, nec illa divina revelatione ſe habuiſſe affirment, nec alienas inanes divinationes aſſeverare præſumant; ſed Evangelium omni creaturæ, cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione enucleent, atque declarent juxta interpretationem D. D. ab Eccleſia approbatam, & receptam, nihilque ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adiiciant: Gavant. *in Manual. Epiſcop. V. Concio Sacra a num.* 35. Prædicare Indulgentias non publicatas, per locorum Ordinarios prohibetur in Concil. Tridentino *Seſſ.* 21. *cap.* 9. immo publicantes Indulgentias falſas peccant mortaliter, contra præceptum obedientiæ illis impoſitum in Clement. *de privil. c. Religioſi*, nec non prædicantes miracula falſa incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, latam a Leone X. in Concil. Lateranenſi: Bonacina *de præcept. Decal.* 8. *præcep. diſp.* 10. *q.* 1. *punct.* 2. *num.* 7.

7. Infames infamia juris, vel facti non ſunt admittendi ad exercendum munus concionandi, quia prædicare, & ſacrificare parificantur: *ex cap. Presbyteros, qui d.* 50. indecens enim videtur, ut tantum munus infamibus demandetur; ut ait Peyrinus *tom.* 2. *privil.* in Conſt. 10. Urbani VIII. *n.* 5. niſi infames infamia facti poſt peractam pœnitentiam vere reſipiſcant, abſitque ſcandalum, & periculum relabendi.

8. Concionatores in ſtatu peccati mortalis, etiam occulti, exiſtentes, peccare mortaliter, ſi ante veram contritionem, vel Confeſſionem præmiſſam prædicent, docet Cajetanus *3. p. q.* 64. *art.* 6. & indicat Navarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 141. quamvis oppoſitum tenent nonnulli. Per accidens tamen peccabunt mortaliter, vel ratione ſcandali, ſi ipſorum peccatum ſit publicum, vel quia inde ſequitur, ut verbum Dei fiat contemptibile: Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 16. *ſect.* 3. *in fine.*

9. Cum Regularibus occupatis in actuali exercitio prædicationis poſſunt eorum Superiores diſpenſare ſuper recitatione Divinorum Officiorum, ſi aliter munus ſuum exequi non valeant, aſſignando eis certum numerum pſalmorum, non minus ſeptem, aut ſex, cum diviſione, ac orationem Dominicam ſepties, & Symbolum Apoſtolorum bis: ex privilegio Clementis VII. in Bulla, quæ habetur in Bullar. *tom.* 1. ita Peyrinus *tom.* 1. *de privil.* ad Conſt. 28. Leonis X. *num.* 9.

10. Habent etiam Regulares Concionatores aliud Leonis X. privilegium circa jejunia conceſſum Fratribus Minoribus, & per conſequens aliis Regularibus communicationem privilegiorum habentibus: videlicet, quod Prædicatores actu prædicantes poſſint ſine ſcrupulo, ſervato jejunio, anticipare, vel retardare horas comeſtionis, & ſerotinæ collationis; ut refert Caſarub. in compend. privil. Mend. *V. Jejunium num.* 5. & docent Navar. in Manual. *cap.* 21. *num.* 16. Miranda in Manual. *tom.* 1. *quæſt.* 50. *art.* 11. & 12. Quinimmo jure communi, & cauſa rationabili exiſtente poteſt fieri

 id,

Digitized by Google

id, quod per præfatum privilegium conceditur.

11. Caveant Concionatores Regulares, ne ſtipendia ſibi pro Concionibus tributa, tamquam propria poſſideant, vel retineant, allegantes fruſtra, ſe de ipſis, utpote ex proprio labore, ac ſtudio acquiſitis, poſſe independenter diſponere; id enim fieri nequit abſque vitio proprietatis, ut docent commun. D. D. nam quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio: ex cap. *Exiit*, *de verb. ſignif. §. ne alium*: & ex Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 2.

12. Pro Fratribus Minoribus de corpore Regularis Obſervantiæ (quibus ex Regula, & Conſtitutionibus quælibet civilis receptio, & contrectatio pecuniæ prohibetur) Capitulum Generale Toletanum 1633. apud Ord. Seraph. *tom.* 4. *tit. de Prædicatoribus*, fecit ſtatutum tenoris ſequentis: *Prædicatores quicumque eleemoſynas prædicationis prætextu oblatas penitus non recipiant, nec de illis ſub quovis prætextu, vel quæſito colore diſponere, aut quomodolibet tractare præſumant, & audeant; ſed ſi, abſoluta prædicatione, vel ante contigerit fieri a quovis genere perſonarum Prædicatoribus ipſis eleemoſynarum oblationem, reſpondeant: Syndicis Conventuum dumtaxat libere, & integre tranſmittendam, & conſignandam fore. Quod ſi conſtiterit quempiam Prædicatorum per ſe, aut per alios pecuniam recipere, vel recepiſſe, proprietatis pœna omnino puniatur, & actibus legitimis per ſexennium privetur: quam pœnam, etiam Guardiani ſubeant, ſi eorum culpa, vel negligentia contrafieri contigerit.* Quod totum in forma ſpecifica confirmavit Innocentius XI. in ſua Conſt. incip. *Exponi nobis*: apud Directorium trium Ordinum *Conſt.* 6.

13. Subinde Urbanus VIII. in ſua 283. Conſt. incip. *Militantis Eccleſiæ*, quæ habetur in Bullario Cherubini *tom.* 5. decrevit prout ſequitur: *Omnibus, & ſingulis prædicti Ordinis Concionatoribus, ultra pœnas in proprietarios per ejuſdem Ordinis ſtatuta fulminatas, in virtute S. Obedientiæ, & ſub privatione officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque officia, gradus, & dignitates in poſterum ipſo facto incurrendas, præcipimus, & mandamus, ut de prædictis eleemoſynis per ſe nullo modo diſponant, nec eas ab offerentium manibus in ſuas recipiant, nec in Procuratoris, vel alterius deponi faciant, ſed eaſdem integras Superiori Provinciali ſignificent, qui de illis juxta Regulæ præſcriptum diſponat.*

TRACTATUS VII.

De Privilegiis in particulari.

CAPUT I.

De exemptione Regularium ab Ordinariis.

1. EXemptio, prout habetur ex Gloſſ. *in cap. Cum olim.*, *de Privileg.* eſt quædam libertas, qua exempti ab Ordinarii juriſdictione eripiuntur: nomine autem Ordinariorum, de quibus ſæpius erit ſermo, intelliguntur illi, qui juriſdictione propria, ac ſolemni præditi ſunt, ut bene notat Friſius *in cap. 16. de officio Jud. Ordin.* ac proinde non tantum ſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, eorumque Vicarii, ſed etiam Abbates Sæculares exempti, Archiepiſcopi dum viſitant Suffraganeos, Legati Apoſtolici, & Nuntii etiam extraordinarie ordinati, qui omnes in privilegio exemptionis Ordinarii vocantur: ita Henriquez cum aliis *lib. 7. de indulg. cap.* 25. & Tamb. *de jure Abb. diſp. 1. quæſt.* 4.

2. Exemptio alia eſt perſonalis, qua eximuntur perſonæ a quocumque Judice Sæculari, vel Eccleſiaſtico, ita ut a nullo Legato etiam Sedis Apoſtolicæ, vel Judice delegato judicari, excommunicari, interdici, vel ſuſpendi poſſint; quædam eſt localis, quæ fit loco, ideſt Eccleſiæ, vel Monaſterio; quædam eſt univerſalis, qua ſcilicet Eccleſia, vel perſona, cum univerſitate juris ſpectat ad Papam, ita ut alii inferiores nihil juris habeant in exempta; quædam denique eſt particularis, qua eximitur in parte, de quibus videantur D. D. & præcipue Socinus *in cap. recepimus num. 12. de Privil.*

3. Ab Epiſcoporum juriſdictione, & obedientia poſſunt eximi a Papa quæcumque perſonæ ſive Sæculares, ſive Regulares, nam Papa ut Vicarius Chriſti, quantum ad poteſtatem juriſdictionis, de qua hic agitur, fideles, quos mediantibus Epiſcopis, aliiſque Miniſtris regit, & moderatur, ſe ipſo regere poteſt immediate; quod ſi non omnes immediate gubernet, non eſt ex poteſtatis, & virtutis defectu, cum Epiſcopi, & alii Miniſtri illos non regant, niſi ex virtutis, bonitatis, & clementiæ ipſius communicatione, ut tradit Gloſſ. *in cap. Frater. quæſt. 1. cap. cum Inferior*; & docent Mandoſ. *de ſignat. grat. tit. exemptiones*, & Anchar. *conſil. 132. n.* 5.

4. Valde expediens fuit Summo Pontifici, ut in Eccleſia Dei aliquas perſonas ad exercendos actus eidem utiles, ac neceſſarios idoneas eligeret, quæ quidem præcipue ſunt Regulares, qui præfatis actibus ex eorum inſtituto perfectius vacare poſſunt, maxime ſi ab Ordinariorum juriſdictione eximantur, ſicut de facto exempti ſunt. Quod autem dictos actus exerceant Regulares exempti, manifeſtum eſt.

5. Multis, & juſtis de cauſis Summi Pontifices ab Ordinariorum juriſdictione Regulares exemerunt: prima eſt, diſpar Ordinariorum, & Regularium profeſſio, & ignorantia Rituum, & morum Regularium; ſecunda, Clericorum erga Regulares, ut plurimum, infenſus animus: tertia, quies, & dilectio inter dictos Clericos, & Regulares ex una, ac Epiſcopos ex altera parte ſervanda: quarta, ad evitandam multorum Superiorum diverſitatem,

Digitized by Google

mandatorum contrarietatem, juriſdictioniſque contentionem, e quibus mala prope infinita originem trahunt: ita Jo: de Lomede *de exempt. cap.* 1. Franciſcus Frigius *in ſuo libello de officio Jud. Ord.* nec ob privilegium exemptionis a Papa Regularibus conceſſum infertur injuria Ordinariis, nam Papa utitur jure ſuo: prout docent S. Bonav. *in Apolog. Pauper. reſp.* 4. *cap.* 4. S. Thom. *in ſupplem.* 3. *part. q.* 8. *art.* 5. *ad primum*.

6. Quamvis antiquitus Regulares fuerunt ſubjecti Epiſcoporum juriſdictioni, nunc tamen liberi omnino ſunt ab eadem, ſcilicet a regimine, & gubernio eorumdem, aliorumque Prælatorum Eccleſiaſticorum, ut apertiſſime conſtat ex privilegiis in jure communi contentis *cap. Nimis iniqua* 16. *cap. Nimis prava* 17. *de exceſſib. Prælat.* Clement. I. *tit. eod.* Clement. II. *de cenſib.* Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 20. maxime ex conceſſionibus ſpecialibus factis Ordinibus Regularibus relatis partim a Barboſa *lib.* 2. *cap.* 12. *de Monaſt. & Relig. Domibus*, & a Roderico *tom.* 2. *q.* 63. *art.* 1. 2. *&* 3. cum ſuo compend. *reſol.* 63. *num.* 14. *& ſeqq.* partim ab aliis, quas hic afferre eſſet nimis prolixum.

7. Prædictam exemptionem pro Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus latiſſime explicuit Sixtus IV. in Marimagno Minorum, & Prædicatorum, & præſertim in Bulla, quæ incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines*, & a Regularibus *Aurea* nuncupatur, eo quod multa contineat privilegia, gratias, exemptiones, facultates, & indulta, & prohibet Ordinariis, ne eos impediant, quominus præfatis privilegiis, & gratiis libere uti poſſint; & S. Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Etſi Mendicantium*, generaliter omnibus Ordinibus Mendicantibus eadem privilegia conceſſit: videantur Confectius *in ſua collect. litter. Apoſt.* & Cherubinus *in ſuo Bullario Romano tom.* 2. *&* 3.

8. Eccleſiæ etiam, Oratoria, Monaſteria, & Hoſpitia Regularium a præfata juriſdictione Ordinariorum ſunt exempta, prout ex prædicto Marimagno Sixti IV. manifeſte conſtat; Grangiæ quoque, ut infra *num.* 10. & prædia Monaſteriorum, ſeu Conventuum utilitatis, vel recreationis cauſa acquiſita, necnon Mendicantium variis in locis hoſpitia ædificata, in eiſque Oratoria conſtructa eadem exemptione fruuntur, & gaudent, ex conceſſione præfati Sixti IV. S. Pii V. in Bulla incip. *Etſi Mendicantium*; & Bonifacii VIII. in Bulla incip. *Sacer Ordo*: in qua Eremitis S. Auguſtini omnimodam exemptionem conceſſit, apud Cherub. *in Bull. cit.* ita Roder. *tom.* 2. *quæſt.* 75. *art.* 1. *&* 2. Peyrinus *in conſtit. unica* Pyrri *num.* 30. & alii.

9. Idem expreſſe conceſſit Ordini Ciſtercienſi Paulus V. in Bulla incip. *Divina diſponente*: apud Cherub. in Bullar. *tom.* 3. *Bulla* 23. in qua §. 5. ſic ait: *Ita tamen quod dicta Congregatio, illiuſque utriuſque ſexus Monaſteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Eccleſiæ, Oratoria, Collegia, pia, & charitativa loca, res, & bona &c. omnibus privilegiis gaudere libere, & licite poſſint, & valeant*. Et in Bulla ejuſdem Pontificis incip. *In ſuperemimentis*: §. 13. ſic ait: *Ipſamque Congregationem, ejuſque Generalem, Abbates, Monaſteria, Grangias, Domos, res, & bona prædicta ſub immediatam noſtram, & Sedis Apoſtolicæ protectionem, regimen, ſubjectionem, gubernationem, & obedientiam recipimus*. Per communicationem autem eiſdem privilegiis ceteri Regulares fruuntur.

10. Notandum tamen, quod Regulares in Grangiis, quæ improprie tales ſunt, nam pro parvis Conventibus, ſeu Monaſteriis habentur dependentibus ab aliquo principali Monaſterio, cujus ſunt membra, veluti illi acceſſoria, ſubjecta, & unita, poſſunt habere Oratoria ad celebrandum; nullatenus tamen hoc privilegium eiſdem conceditur in Grangiis, quæ aliud non ſunt,

quam

quam domus rurales ſub proprietate, & dominio alicujus Monaſterii, in quibus ſolum quidam Converſi pro agrorum cultura, vel cura manere ſolent; nam hujuſmodi Grangiæ non ſunt nec ſacra, nec religioſa, neve loca pia, ſed temporalia, & prophana, in quibus non habet locum Conſtitutio Innoc. X. incip. *Inſtaurandæ*: *tom.*4. Bull. Cherub. ac propterea Sacra Congregatio Concilii ſub die 1. Maii 1687. ad dubium: *An Sacerdos Regularis abſque peculiaris Sedis Apoſtolicæ indulto poſſit in domo rurali Monaſterii celebrare*: reſpondit, *negative*: ita Em. Petra *tom.* 2. *comm.* ad Conſt. Hon. III. *num.* 53. & offic. curiæ.

11. Poſſunt a fortiori Regulares præfata Oratoria in Clauſtris, ac in Valetudinariis Conventuum erigere, ibique celebrare, cum extra Eccleſiam omnino non ſint, nam nomine Eccleſiæ veniunt etiam Religioſorum Clauſtra, prout colligitur ex cap. *Abbati* §. *hæc autem diſtinct.* 54. & ex cap. *Alma Mater de ſent. excom. in 6.* Ultraquamquod extat privilegium a Gregorio XIII. Societati Jeſu conceſſum, ut in ejuſdem domibus in privato Oratorio a Provinciali approbato poſſint celebrari Miſſæ abſque alia Epiſcopi approbatione, non obſtante Concilio Tridentino. Immo poſſunt conſtitui prædicta Oratoria etiam in illis Hoſpitiis erectis in aliquibus Civitatibus, vel locis deſervientibus pro Valetudinariis, ſeu Infirmariis, illorum præſertim Conventuum a Civitatibus, vel Oppidis valde diſtantium, ſicuti ſunt Conventus noſtræ Reformationis Bononiæ, & Florentiæ, ita ut ibi poſſint Miſſæ celebrari, nec non Religioſi infirmi ibidem exiſtentes, eiſdemque deſervientes frui valeant omnibus indulgentiis, quibus frui poſſent, ſi in dictis Conventibus degerent, dummodo in Eccleſiis, Capellis, ſeu Oratoriis præfatorum Hoſpitiorum ea omnia exequantur, quæ pro lucrandis dictis indulgentiis exequi tenerentur, ſi in ſuis Conventibus moram traherent. Morientes quoque in Infirmariis præfatis iiſdem privilegiis potiuntur, ac ſi in propriis Conventibus decederent: ita Roder. *tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 4. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 81. *ſect.* 3. *except.* 4. Naldus *in ſum. V. Miſſa n.* 32. Reginal. *in praxi lib.* 29. *n.* 178. Peyrinus *in Conſtit. unic.* Pyrri *num.* 31. & alii.

12. Eccleſiæ, Oratoria, Monaſteria, ſeu Conventus, aliaque loca Regularium viſitari nequeunt ab Ordinariis locorum, cum ab eorumdem juriſdictione, ut dictum eſt, ſint exempta; conſequenter nec viſitari ab eiſdem poſſunt Altaria, Capellæ, Sacriſtiæ, Tabernacula, aut paramenta; nam Viſitatio eſt actus juriſdictionis, & ſuperioritatis, quæ ab illis in prædictos Regulares, aliaque ad ipſos ſpectantia exerceri prohibetur in Marimagno Minorum, & Prædicatorum, relatum ſupra *num.* 7. in Bulla Bonifacii VIII. incip. *Sacer Ordo*, in favorem Eremitarum S. Auguſtini edita, & in Bulla Clementis VII. incip. *Vacantibus*: apud Cherub. in Bull. Rom. *tom.* 1. & 2. Sed neque Hoſpitia Regularium a præfatis Ordinariis viſitari poſſunt, ſi fundata, vel recepta fuerint ad præſcriptum Conſtitutionum Innoc. X. incip. *Inſtaurandæ*: ſuper ſuppreſſione parvorum Conventuum edita, & eſt 27. ut in Bull. Cherub *tom.* 4. necnon Innocentii XII. incip. *Nuper a Congregatione*: relata a Mattheucci in ſuo Offic. Curiæ *cap.* 10. *Official. quoad Celeb. Miſſarum num.* 24. §. 15.

13. Eadem Viſitatio Regularium apertiſſime prohibita eſt a S. Pio V. Bulla: *Etſi Mendicantium*, ſupra *num.* 7. relata, in qua *num.* 17. ſic habetur: *Nec ullo pacto Ordinarii ſe intromittant in gubernatione Conventuum tam Fratrum, quam Monialium eiſdem ſubjectarum, ſed omnia iſta, et alia neceſſaria ad correctionem, et gubernationem Fratrum, et Monialium hujuſmodi, eorum Generalibus, ac Provincialibus, vel aliis eorum, aut earum reſpective Superioribus omnino relin-*

Digitized by Google

quantur: quæ verba gubernationem, & correctionem expreſſe excludentia, viſitationem quoque, quæ ad illa duo ordinatur, excludere manifeſtum eſt. Ita Roder. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 36. *art.* 4. *in fine* Bordon. *de exempt. & ſubject. Epiſcop. reſol.* 7. Barboſa *in cap.* 8. Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. ubi ait: *Neque Capellas Sæcularium in Eccleſiis Regularium conſtructas, ſeu exiſtentes* viſitare poteſt Ordinarius, ex Aldan. *tit.* 7. *num* 3. *in comp. Canonic. reſol. lib.* 1. ubi teſtatur, ita reſolutum fuiſſe a S. Cong. Epiſcop. & Regul. in una Papien. 21. Auguſti 1615. & in alia Terracinen. 22. Januarii 1616.

14. Habent tamen Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati jus viſitandi Confraternitates laicorum, quæ ſub immediata Regum protectione non ſunt, prout diſponit Concil. Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* atque adeo poſſunt erectas in Eccleſiis Regularium viſitare in iis, quæ reſpiciunt adminiſtrationem, & adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres, ipſorumque Capellas, Altaria &c. quoad onera, adeo ut ſi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, illiuſque cultum, Epiſcopus poteſt viſitare circa ea, quæ reſpiciunt ipſam manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, ſeu Capellæ, onera Miſſarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent: prout in terminis cenſuit S. Cong. Concilii in una Nucerina Paganorum 23. Junii 1629. Decretum per extenſum refert Monacellus *in Formular. p.* 1. *formul.* 1. *tit.* 5. *num.* 8.

15. Sæculares Confratres Roſarii Chordæ, Corrigiæ, Scapularis, & ceterorum hujuſmodi fruuntur privilegiis quoad indulgentias, & remiſſiones peccatorum tantum; non autem his, quæ Ordinariorum juriſdictionem perturbare poſſunt, ex Decreto Tridentini *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 11. & ex Bulla Clementis VIII. de Reform. Confraternitatum incip. *Quæcumque a Sede Apoſtolica*, apud Cherub. in Bullar. Rom. *tom.* 3. ſi vero poſt ea Decreta Confraternitates hujuſmodi obtinuerunt ab eadem S. Sede privilegia particularia, oſtendant.

16. Poſſunt Ordinarii locorum in Eccleſiis Regularium, in quibus cura animarum perſonarum ſæcularium exercetur, viſitare Altare deputatum pro Cura, Baptiſterium, atque Tabernaculum, ubi Venerabile aſſervatur, in his tantum, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* & ex Conſt. 18. Gregorii XV. incip. *Inſcrutabili*, apud Cherub. *tom.* 4. Viſitare quoque poſſunt beneficia curata unita Monaſteriis, ac piis locis, necnon perſonas Regulares Curam animarum exercentes, & Sacramenta adminiſtrantes, quæ quidem a præfatis Ordinariis puniri poſſunt, ſi deliquerint in his, quæ dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, ex Decreto S. Cong. Concil. apud Barboſam *cap.* 7. *ſeſſ.* 7. Tridenr. *num.* 3. Fagnan. *ad cap. Grave de off. Ordin. num.* 35.

17. Nequeunt præfati Ordinarii viſitare Monaſteria, ſeu Conventus Regularium, etiam eo prætextu, quod eorum Superiores ſint negligentes, niſi eadem Monaſteria, vel ſub commenda exiſtant, vel ſuorum Ordinum capitibus non ſubſint, ac ſe ſe in Congregationes redigere neglexerint: juxta Trident. *cap.* 8. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* Decretum refert Piaſecus in ſua praxi *p.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *num.* 32. Neque obſtat Decretum ejuſdem Concilii *cap.* 8. *ſeſſ.* 7. *de Reform.* ubi locorum Ordinariis tribuit facultatem viſitandi Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas, nam ibi loquitur de Eccleſiis Sæcularibus exemptis, non vero de Regularibus, juxta mentem S. Congr. Concil. apud Fagnanum *in* 3. *ad cap. Nullus de Parochis.*

18. Neque Abbates Commendatarii, etiamſi ſint S. R. E. Cardinales poſſunt

ſunt in Monaſteriis Regularium commendatis ſe ingerere in iis, quæ concernunt Regularia Inſtituta, & Diſciplinam Regularem, licet in litteris Apoſtolicis, quæ expediuntur ſuper Monaſteriorum commendis, adjecta ſit illa clauſula: *In quibus hujuſmodi Monaſteriorum Cura, regimen, & adminiſtratio, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus eis plenarie committuntur*; nam contrarium expreſſe legitur diſpoſitum ab Innoc. X. in Conſt. *62.* incip. *Paſtoralis* : apud Cherub. *tom.* 5. quoad Commendatarios Monaſteriorum Ord. Ciſtercien. quæ fuit innovata ab Alexandro VII. Conſt. *6.* incip. *Exponit*, *ibidem*, & in alia Conſtit. ejuſdem Pontificis incip. *Sacroſancti* : quæ eſt *32.* in favorem Monaſteriorum Camaldulenſium edita; idcirco clauſula illa *in quibus*, intelligenda eſt quoad cetera, quæ Diſciplinam Regularem, & Inſtitutum Regulare non reſpiciunt.

19. Eminentiſſimi Cardinales habentes Romæ in Titulum Eccleſias Regularium, nequeunt ſe immiſcere in iis, quæ concernunt Regularia Inſtituta; nam quamvis in ſuis Titulis habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, uti tamen non poſſunt facultatibus, quæ a Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* *6.* Epiſcopis ſunt tributæ, cum ibi non ſint vere & proprie Epiſcopi; idcirco in Eccleſiis Regularium proprii Tituli poſſunt tantum de ſpectantibus ad celebrationem Miſſarum inquirere, de redditibus Eccleſiæ rationem exigere, ſacras ſuppellectiles, & alia, quæ reſpiciunt ſervitium Eccleſiæ Titularis, & circa cultum Divinum viſitare, ac inſpicere, juxta Conſt. 7. Leonis X. incip. *Suprema* : apud Cherub. *tom.* 1. & Conſt. 55. Sixti V. incip. *Religioſa tom.* 2. ipſos vero Regulares in pertinentibus ad Regularia Inſtituta viſitare, vel corrigere nequaquam poſſunt. Vide Pignatell. *tom.* 10. *conſult.* 117 *num. 93.*

20. Quamvis Monaſteria Monialium, earumque perſonæ Regularibus ſubjectæ ab Ordinariorum juriſdictione ſint exemptæ, ut dictum eſt ſupra *num.* 13. & conſtat ex pluribus Summorum Pontificum conceſſionibus, præſertim S. Pii V. in Bulla incip. *Etſi Mendicantium:* apud Confectium *in collect. Litter. Apoſt.* quoad clauſuram tamen omnes Moniales indifferenter ſubiiciuntur Epiſcopis, prout Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 5. pro Regul. & Monialibus ſtatuit; necnon Vicariis eorum Generalibus ad id ſpeciale mandatum ab eiſdem Epiſcopis habentibus, ex Decreto S. Congr. Concilii relato a Sperello *deciſ. 99. num.* 27. ubi de tali mandato tribuitur eiſdem facultas ingrediendi ſepta Monaſteriorum Monialium Regularibus ſubjectorum, pro clauſuræ viſitatione, etiamſi nulla rationabilis violatæ clauſuræ ſuſpicio irrepſerit, & acriter a præfata S. Cong. reprehenditur Rodericus *tom.* 1. *quæſt.* 47. *art.* 10. qui nimis audacter contrarium ſuſtinet: ita Offic. Curiæ *cap.* 11. *num.* 9.

21. Præfata juriſdictio circa Clauſuræ viſitationem competit Ordinariis cumulative cum Superioribus Regularibus Monaſteriorum Monialium, non autem privative, adeo ut & circa eam poſſint hi opportuna ſtatuere ex Decreto S. Congr. Concil. *1608.* & ex Conſt. Alexandri VII. incip. *Felici :* apud Cherub. *tom.* 5. in qua dictis Superioribus in locali Monaſteriorum, & in perſonali Monialium viſitatione modus obſervandus præſcribitur : *legatur conſtitutio*. Nihilominus tamen poſſunt Epiſcopi clauſuram viſitare, etiam inconſultis, & irrequiſitis Superioribus Regularibus; prout decrevit S. Congr. Concil. in una Conimbricen. apud Barboſam *ad ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul. num.* 13. & in alia Viterbien. apud Nicol. Lucubrat. *lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 3. & Panimoll. *deciſ.* 84. *adnot.* 3. *num.* 56.

22. Prædicti locorum Ordinarii in viſitatione clauſuræ Monialium Regularibus ſubjectarum nequeunt 1. in earum Eccleſiis non curatis viſitare Venera-

nerabile, Oleum infirmorum, Confeſſionalia, ſepulturas, ac Reliquias ibi exiſtentes: 2. neque exigere poſſunt, ut Moniales erigant in Eccleſia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldachino, ſed ſolummodo, ut præparent ſtratum in utraque Eccleſia: 3. neque poſſunt ſecum ducere intus Monaſterium alias perſonas ſive Eccleſiaſticas, ſive Sæculares indeterminate, ſed a paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis comitari debent: 4. nec excipiendi ſunt a tota Monialium communitate cum Cruce, & Cantico *Benedictus*: 5. nec in ingreſſu Clauſuræ eis adornandum eſt ſtratum, nec Crux deoſculanda ab aliqua ex Monialibus ipſis porrigenda: 6. neque poſſunt viſitare Cellas Monialium quoad non pertinentia ad clauſuram: 7. poſſunt tamen Clauſuram ingreſſi convocare dictas Moniales omnes in Choro interiori, aut in alio loco, & ad eas ſermonem habere: ex Decreto S. Congr. Concilii die 19. Januarii 1686. edito; apud Mattheuc. *Official. quoad Clauſur. Monial. num.* 10.

C A P. II.

De exemptione Regularium a Lege Diœceſana Epiſcoporum.

1. CUm ex pluribus privilegiis relatis ſupra Regulares exempti ſint ab Epiſcoporum juriſdictione, idcirco non tenentur eorum Legibus obedire, nam juxta communem Canoniſtarum ſenſum exiſtentes in loco exempto ſunt proculdubio extra territorium Epiſcoporum, & conſequenter iſti nequeunt quicquam validum decernere, & ſtatuere in perſonas, & loca, quæ ſunt extra territorium, prout ſunt loca Regularia, & perſonæ; ut conſtat ex cap. *A nobis de ſent. excomm. cap.* 1. *de privil. in* 6. *cap. de conſtit. v. lex* & docent Covarr. in cap. *Alma Mater* 1. *l. §.* 10. *num.* 3. Suarez *de leg. lib.* 4. *cap.* 20. & alii commun. Atque adeo Regulares non obligantur ad obediendum Ordinariorum Legibus; niſi in caſibus a jure expreſſis, ut dicetur infra.

2. Non tenentur Regulares exempti ad Synodum Diœceſanam accedere, niſi curam Animarum exerceant, idque ratione Curæ, & ad effectum, ut inſtruantur de iis, quæ in Synodo decernuntur, & in ea proponant quæ ad officii adminiſtrationem neceſſaria judicaverint, ut conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reform. & ex cap. Epiſcopus, diſt.* 18. *cap. Nimis prava* 17. *de exceſſ. Prælat.* Propterea ſicuti non tenentur accedere ad Synodum, neque ad Concilia Provincialia, quando eorum Decreta conduntur, & publicantur, ita neque ad eorum obſervantiam obligantur. Sed neque Confeſſarii Regulares, qui Parochi non ſunt, compelli poſſunt a Locorum Ordinariis, ut accedant ad conferentiam caſuum conſcientiæ; ex Decreto S. Congr. Concil. *in una Foroſempronien. die* 3. *Septembris* 1630. & ex alio ejuſdem Cong. *die* 15. *Januarii* 1682. edito, relatis a Mattheuc. *Official. quoad exempt. Ordinar. num.* 21. vide Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 8. Bordon. *tom.* 1. *var. reſol. de exempt. reſol.* 7.

3. Regulares curam animarum exercentes, non ſolum tenentur, verum etiam compelli poſſunt Synodo Diœceſanæ ac Conciliis Provincialibus intereſſe, ut conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *cit. de Reform.* ibi Barboſa *n.* 28. Superiores tamen Monaſteriorum, ſeu Conventuum, in quorum Eccleſiis cura animarum exercetur per Vicarium ſæcularem ab Epiſcopo approbatum, dictis Synodis, ſeu Conciliis intereſſe non tenentur, ſed ſufficit mittere dictum Vicarium, cui præſata cura imminet: ita Barboſ. *loc. cit. num.* 30. Sellius *cap.* 25. *num.* 32. Tenentur præterea Regulares Parochi obſervare Decreta in Synodis Diœceſanis condita ad bene gerenda officia parochialia; ut aperte colligitur *ex cap.* 9. *de privil. in* 6. ex Conſt. Leonis X. incip. *Dum*

Digitized by Google

dum intra, & ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11.

4. Licet nonnulli D. D apud Bordon. *tom.* 1. *conſil. regul. reſol.* 7. *num.* 6. doceant, teneri Regulares ad jejunia, vel alias obſervantias, aut Vota a populo facta, & aliquo Decreto ab Epiſcopo confirmata; verius tamen, & probabilius eſt ad ea Regulares non obligari, niſi adſit Papæ præceptum, ſicut de feſtis ſervandis ab Epiſcopo in dictis extat in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. Ratio eſt, quia præfatæ ordinationes afficiunt tantum eos, qui Epiſcopo ſubiiciuntur, non autem perſonas Regulares, quæ eidem non ſunt ſubjectæ; verum tamen eſt, quod tenentur ad jejunia per conſuetudinem generalem Diœceſis introducta: ita Roder. *in addit. ad ſumm. moral. tom.* 4. *cap.* 110. *num.* 4. Suarez *lib.* 4. *de leg. cap. ult.* Bordon. *loc. cit.*

5. Regulares tenentur ſub mortali ſervare dies feſtos, quos Epiſcopi in ſua Diœceſi ſervandos præceperint, quia licet exſtet privilegium Eugenii IV. Monachis S. Benedicti Congregationis Hiſpaniæ conceſſum, quo per communicationem aliæ Religiones fruebantur, eximens eorum Monaſteria ab obſervatione feſtivitatum, præter illas, quæ ab Eccleſia univerſali coluntur, ut refert Roder. *tom.* 2. *q.* 70. *art.* 1. & habetur in compend. privil. *tit. Feſtivitas* §. *ult.* per Concilium tamen Tridentinum manet revocatum, ubi *Seſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regul.* præcipit: *ut dies feſti, quos in ſua Diœceſi ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur*. Notandum vero, quod hujuſmodi Decretum ita intelligendum eſt: *Ut Regularium ritus illis diebus feſtis ſemper permaneant, quoad Miſſas celebrandas, & cetera Divina officia, tam publica, quam privata ab ipſis Regularibus perſolvenda, nec circa hæc ab Epiſcopis quoquomodo in contrarium quicquam eiſdem Regularibus præcipi poſſe, quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verum quoad Conciones, & Lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debent ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus Clerus ſæcularis utitur illis diebus feſtibus*: ex declaratione S. Cong. Concil. relata a Peyrino *ad Conſt.* 28. *Leonis X.* Piaſec. *in praxi part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *num.* 47. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 105. *num.* 33. Quaranta in Summ. Bullarii *v. privil. Regul.*

6. Regulares non poſſunt ab Ordinariis compelli ad intereſſendum proceſſionibus per eoſdem in dictis non pro bono publico, ſed occaſione dumtaxat ſuæ primæ viſitationis; prout decrevit S. Congr. Concil. in Anagnina proceſſionis die 9. Decembris 1662. apud Lantuſca. *V. Proceſſio num.* 4. neque prohiberi proceſſiones facere ſolemniter extra Clauſtra in quacumque die infra Octavam Corporis Chriſti, ex conceſſione Gregorii XIII. in Bulla incip. *Cum interdum contingat*: apud Cherub. *tom.* 2. qua facultatem tribuit omnibus Ordinibus poſſe ſolemniter cum proceſſione Sanctiſs. Chriſti Corpus circumferre, revocando privilegium S. Pii V. quo ſoli Ordini Prædicatorum illud concedebatur; & quamvis Clemens VIII. in Bulla incip. *Dudum*, dictam Gregorii Bullam revocaverit, illamque S. Pii V. innovaverit, poſtea tamen idem Clemens in Bulla incip. *Ratio paſtoralis*; apud Cherub. *tom.* 3. hujuſmodi gratiam omnibus Ordinibus conceſſit, quod etiam fecit Paulus V. in Bulla incip. *Injuncti nobis*: apud eumdem Cherub. *tom.* 4. Advertendum tamen, proceſſiones præfatas infra Octavam Corporis Chriſti eſſe faciendas a Regularibus diſtinctis horis ab Epiſcopo præſcribendis, ad evitandas lites, prout Innocentius XII. diſpoſuit in cauſa vertente inter Fratres Prædicatores, & Minores in Indiis, ut refert Mattheuc. *Official. quoad Proceſſiones cap.* 40. *num.* 9.

7. Regulares præſertim Ordinum Mendicantium abſque Ordinariorum licentia

centia ubique mendicare poſſunt, immo ab ipſis Ordinariis prohiberi non poſſunt, quin Fratres eleemoſynas quærant, aut fideles eiſdem tribuant, idque impedientes, vel conſulentes graves cenſuras incurrunt; ut conſtat ex privilegiis plurium Summorum Pontificum, præcipue Alexandri IV. & Julii II. in compendio privilegiorum *V. Eleemoſyna* §. 1. & 2. nechon Sixti IV. in Bulla incip. *Sacri*, *Aurea* nuncupata: apud Cherub. *tom.* 1. Tenentur tamen intra limites, ſeu diſtrictus Conventuum ſe continere ad lites, & inconvenientia vitanda, prout S. Cong. Epiſcop. & Regul. decrevit die 22. Junii 1674. in cauſa vertente *inter Obſerv. & Capuccin.* Regni Corſicæ; non autem tenentur licentiam ſuorum Superiorum Ordinariis exhibere, quando eleemoſynas quærunt in locis, ubi Conventus eorum exiſtunt; ſi vero extra loca, ſeu diſtrictus quæritare velint, tunc tenentur præfatam licentiam Ordinariis oſtendere, ex Decreto S. Cong. Concil. apud Piaſec. *in prax. Epiſcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *n.* 50. Lantuſca *V. eleemoſyna num.* 1. quinimmo ſi extra Diœceſim, in qua erecta ſunt Monaſteria, mendicare intendant, debent prius ab Ordinariis conſenſum obtinere, ex Decreto ejuſdem S. Cong. a Pignatello *tom.* 8. *conſult.* 12. *num.* 19. relato.

8. Quod vero de uſu Quæſtorum eleemoſynarum auferendo loquitur Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 9. id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri poſſe, vel debere decrevit S. Pius V. in præcitata Bulla: *Etſi Mendicantium*; quin potius cum de eleemoſynis hujuſmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino eſſe declaravit; quandoquidem Regulares Ordinum Mendicantium eleemoſynas petere coguntur, ex voto videlicet paupertatis, quam profitentur, ex nomine, ex inſtituto, quo decorantur: ita Ugolin. *de poteſt. Epiſc. cap.* 8. §. 4. *num.* 6. Barbol. *de Officio & poteſt. Epiſc. alleg.* 109. *part.* 3. Roder. *tom.* 2. *q.* 57. & alii.

9. Præfatis Ordinibus non ſolum licita, ſed etiam meritoria eſt mendicatio, prout multi Summi Pontifices, præſertim Nicolaus III. *C. Exiit, qui ſeminat*, & Clemens V. in generali Concilio Viennenſi, Clement. *Exivi de paradiſo, de verb. ſignif.* declararunt: dum Regulam Fratrum Minorum, & in ea contenta approbarunt, in qua cap. 6. habetur: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrini, & advenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter; nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes, & Reges Regni Cœlorum inſtituit; pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium; cui dilectiſſimi Fratres totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in perpetuum ſub Cœlo habere velitis.* Hæc S. P. N. Franciſcus. Quæ quidem mendicitas ab Univerſali Eccleſia approbatur, & in jure Canonico inſerta reperitur. Advertant tamen Regulares Mendicantium privilegio gaudentes, ne quærendo eleemoſynas ſuperfluas, fraudes committant; poſſunt utique nonnulli, qui bona in communi poſſident, commode ex eorum redditibus vivere, & nihilominus dicto privilegio fraude abutuntur cum gravi præjudicio illorum, qui de eleemoſynis dietim, & oſtiatim collectis neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem acquirunt: propterea, qui ſe pauperes fingunt, tenentur eleemoſynas acceptas reſtituere.

CAP.

Digitized by Google

C A P. III.

De exemptione Regularium a coactiva poteſtate Ordinariorum.

1. CUm ex præcedentibus reſolutionibus conſtet, Regulares a juriſdictione Ordinariorum exemptos eſſe, idcirco ratione delicti, ſive contractus, vel rei, de qua contra ipſos agitur, conveniri, aut puniri ab eiſdem nequaquam poſſunt, nec Conſtitutionem Innoc. IV. incip. *Volentes* de privil. in 6. nec Decretum Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. *de reform.* dictam exemptionem afficere certum eſt. Non obſtat Conſtitutio, quia idem Innocentius in alia poſteriori, quæ incipit: *Cum olim duxerimus*; apud Bull. Rom. *tom.* 1. declarat, Regulares fuiſſe, & eſſe exemptos ab illo onere comparendi coram Ordinariis in prædictis caſibus, præfatumque caput *Volentes* nullum præjudicium eorum privilegiis afferre. Non Decretum Trident. innovans dictum cap. *Volentes*; nam illud ſervari tantum jubet in ordine ad eos, qui exempti non ſunt; cum ſpecifica mentione illorum trium caſuum, quod etiam conſtat ex Conſtitutione Sixti IV. incip. *Regimini Univerſalis* pro Minoribus, & ex Conſt. *Sacri Prædicatorum*, *&* *Minorum*, pro utriſque editis; & *Maremagnum* appellatis, quibus in hac parte dictæ Decretali expreſſe derogat, tam pro civilibus cauſis, quam pro criminalibus.

2. Regulares non ſubditi Epiſcopo, qui intra Clauſtra Monaſteriorum degunt, & extra ea notorie ita deliquerint, ut populo ſcandalo ſint, Epiſcopo inſtante, a ſuis Superioribus intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſevere debent puniri, ac de punitione Epiſcopum certiorem facere; ſin minus, a ſuis Superioribus officio debent privari, & delinquentes ab Epiſcopo puniri poſſunt; ita diſponit Tridentinum *Seſſ.* 6. *cap.* 14. *de reform.* & Clemens VIII. edidit conſt. 39. quæ incipit: *Suſcepti muneris* apud Cherub. tom. 3. in qua ſub pœna ſuæ indignationis, ac privationis omnium officiorum ipſo facto incurrenda præcipit, & mandat omnibus Regularibus obſervantiam præfati Decreti.

3. Regulares extra Clauſtra degentes, ibique delinquentes, etiamſi privilegiorum prætextu tuti cenſeantur, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica Delegato ſecundum Canonicas Sanctiones viſitari, puniri, & corrigi valent; prout idem Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. decrevit, quod etiam procedit in Regularibus manentibus extra Clauſtra de licentia Superiorum, etiam in domo deſtinata ad erectionem Monaſterii, ſeu Conventus, niſi in dicta domo ſit regularis obſervantia, ut ſaltem vivat ſub Superiore conventualiter; ex Decreto S. Cong. Concilii relato a Sperello deciſ. 38. n. 19. & 21. id tamen non verificatur in Regularibus degentibus in domo Parochiali Monaſterio unita, & curam animarum exercentibus, qui ab Ordinario puniri non poſſunt, niſi delictum commiſſum dictam Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem concernat; ut diximus ſuperius *cap.* 1. *de exempt. Regul.* n. 16.

4. Ex diſpoſitione præfatæ S. Congreg. Concilii, quam refert Donatus in ſua praxi *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 3. *qu.* 54 *num.* 11. Epiſcopus poteſt procedere ad ſummariam informationem de delicto commiſſo cum ſcandalo extra clauſtra a Regulari intra ea degente, proceſſus vero debet confici ſine mora, eoque compilato, ſive inſtante, ſive non inſtante Superiore, ad eumdem ſtatim delinquens remittendus eſt, una cum his probationibus, quæ habentur: ſed illud *ſtatim* non phyſice, ſed moraliter accipiendum eſt, videlicet, quod poſt unum, vel alterum diem remitti debeat; quod ſi ulterius detineatur non ſuſpectus de fuga, vel in caſu a jure non permiſſo, incurritur excommunicatio Canonis, juxta Gloſſ. in Clement. *Frequens de exceſſ. Prælat. V. Capiunt*: ita docent Piaſec. in praxi,

Digitized by Google

xi, *part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *num.* 23. Sperell. *deciſ.* 38. *num.* 15. Panimol. *deciſ.* 84. *adnot.* 3. *num.* 6. Antonellus *de reg. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 4. & alii.

5. Delinquentes in Monaſteriis, ſeu Conventibus Regularium non ſubjiciuntur pœnis ab Epiſcopo impoſitis, v. g. Epiſcopus Præneſtinus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibuit ſuis Clericis, ne taxillis, vel aleis ludant; ludentes hi in aliquo Monaſterio, ſeu Conventu Regularium, pœnam ab Epiſcopo impoſitam non incurrunt, nam locus ille exemptus eſt, & extra Epiſcopi juriſdictionem, ac territorium: ita cum comm. Peyrinus *tom.* 1. *de privil. Regul. ad Conſtitut.* 2. *Sixti IV. num.* 9. Azorius *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 25. *quæſt.* 4.

6. Regulares non poſſunt ab Ordinariis locorum excommunicari, ſuſpendi, aut interdici, niſi a Sede Apoſtolica ſit illis facultas expreſſe conceſſa, alias cenſuræ latæ non ligant; ex conceſſione Clementis IV. quæ habetur in comp. privil. Ord. Min. *V. Exemptio n.* 9. quam confirmavit Sixtus IV. ut refertur in eod. comp. *num.* 23. & in Bull. Rom. tom. 1. in Conſt. incip. *Regimini*, *Maremagnum* nuncupata, expreſſius habetur; idque ſuffragatur in omnibus caſibus, in quibus Regulares exemptione fruuntur; in dubiis vero recurrendum eſt ad Sedem Apoſtolicam pro declaratione, juxta Conſtitutionem Clementis X. quæ incipit: *Superna Patrisfamilias*: in Bull. Rom. *tom.* 5. Suſpendi tamen poſſunt ab Epiſcopo Regulares Parochi, ſi ut dictum eſt ſupra *num.* 3. deliquerint in concernentibus curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, quia in his ſubiiciuntur Epiſcopo, ſicut eidem ſubiicitur, & ab eodem puniri poteſt Regularis, qui ſine licentia in ſcriptis ſui Superioris a Conventu recedens, alibi ſe confert, prout expreſſe habetur in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de Regul.*; niſi vexatus irreparabili gravamine recurrat ad Superiorem, ut docent Peyrinus *de ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 20. Lezana in Summ. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 8. & 18. in caſu enim tantæ neceſſitatis, vel præſumitur licentia Superioris, ad quem vult recurrere, vel jus naturæ diſpenſat, ut ſine illa vadat.

7. Tunc dicitur, Ordinarios locorum habere a Sede Apoſtolica facultatem expreſſam, quando ab eadem ipſis ſpecialiter committitur, ut contra Regulares exemptos procedant per cenſuras, vel pœnas; nam in tali caſu poſſunt procedere tamquam ejuſdem S. Sedis Delegati, numquam enim Summus Pontifex aliquem ita eximit, quin poſſit per ſe, vel per ſuos Delegatos procedere: debent tamen bene examinari, ac ponderari litteræ Apoſtolicæ, & circumſtantiæ, ne ultra limites facultatis conceſſæ procedatur.

8. Regularis exemptus a jure nominatim excommunicatus non poteſt ab Epiſcopo, vel ab alio Ordinario declarari pro tali, niſi in caſibus, in quibus id ſpecialiter ſibi commiſſum eſt, quia declarare, ſeu denunciare in caſu noſtro, idem eſt ac excommunicare, cum hujuſmodi denunciatio, vel declaratio ultimatos effectus excommunicationis erga declaratum, ſeu denunciatum in utroque foro producat, & excommunicatio præciſa a declaratione, ſeu denunciatione imperfecta, & quaſi inchoata exiſtat; ſed Epiſcopus nequit Regularem exemptum excommunicare, ergo nec illum pro tali declarare, ſeu denunciare; denunciatio enim eſt actus judicialis prærequirens citationem, & cauſæ cognitionem, quæ ſpectant ad Ordinarium excommunicati, Epiſcopus revera non eſt Judex Ordinarius ipſius Regularis, ſed eſt ejus Prælatus; prout commun. D. D. docent *ex cap. Paſtoralis §. Verum, de Appellat. ex cap. Decernimus de judic. V. Eccleſ. Prælati,* & *ex Trident. cap.* 5. *ſeſſ.* 14. *de reform.*

9. Eccleſiæ Regularium exemptorum non poſſunt interdicto ſupponi a locorum Ordinariis non habentibus a Sede

Apoſto-

Apoſtolica facultatem expreſſam, niſi in caſibus a jure exceptis Curam animarum, Sacramentorum adminiſtrationem, verbi Dei prædicationem, immunitatem Eccleſiaſticam concernentibus; præterea ſi a populo aliquod delictum in eorum Eccleſia committeretur, tunc ratione ſcandali, & punitionis populi Ordinario ſubjecti, poſſet dicta Eccleſia interdicto ab eodem ſupponi, non obſtantibus privilegiis exemptionis, quæ in hoc caſu non controvertuntur ab Ordinario, cum ipſe ſolum intendat populum ſibi commiſſum punire, interdicendo Eccleſiam; prout optime notavit Card. de Luca apud Petra *Comment. ad Conſt.* 2. *Anaſtaſii IV. ſect.* 3. *n.* 14.

10. Regulares exempti tenentur cum moderatione poſita *in cap. Alma Mater*, ſervare interdictum impoſitum a S. Sede, vel ab Ordinariis, etiamſi prætendatur eſſe nulliter latum, quando ab Eccleſia Matrice ſervatur; prout *in Clement. I. de ſent. excomm.* decernitur, idque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ibidem præcipitur; & in Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regul.* habetur: *Cenſuræ, & interdicta, nedum a Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in Eccleſiis publicentur, & ſerventur.*

11. Notandum tamen, quod licet per præfatum Decretum revocentur privilegia Regularibus ante Tridentinum conceſſa, ut poſſent ad tempus in Feſtis Sanctorum ſuorum Ordinum interdictum ſuſpendere; noſter autem Ordo Minorum privilegium ſpecificum poſt Tridentinum obtinuit a Clemente VIII. in Bulla incip. *Sacræ Seraphici B. Franciſci Religionis*: quæ eſt 4. in Bulla Roder. ut poſſint ejuſdem Fratres tempore interdicti ſolemni ritu, januis apertis, Campanarum pulſatione, & cum Laicorum admiſſione proprias Sanctorum feſtivitates celebrare. An autem ceteri Regulares per communicationem hoc privilegio fruantur, affirmant Suarez, Porrell. & Rodericus apud Pignatellum *tom.* 10. *Conſult.* 1. *num.* 24. negant idem Pignatell. & Mattheuc. *Official. quoad interdictum n.* 14.

12. Poſſunt proculdubio Regulares januis clauſis ad Divina celebranda admittere Fratres, & Sorores de Tertio Ordine; non tamen cauſam interdicto dantes, foventes, auxilium, conſilium, aut favorem præſtantes, ex conceſſione Leonis X. in Bulla incip. *Dum intra*: apud Cherub. *tom.* 1.

C A P. I V.

De Caſibus, in quibus ex Tridentini Decretis Regulares ſubiiciuntur Epiſcopis.

1. Cum Regularium exemptio in aliquibus caſibus ſit limitata a Concilio Tridentino, nec non a Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præcipue a Gregorio XV. in Bulla incip. *Inſcrutabili Dei providentia*: apud Cherub. *tom.* 4. idcirco aliqua loca ejuſdem Concilii hanc exemptionem concernentia, & aliqua ad dictam Bullam ſpectantia, in hoc capite diſcutiuntur; & primo Regulares volentes libros typis mandare, id nequeunt facere abſque prævio examine, approbatione, & licentia Ordinariorum, & ſuorum Superiorum, ex Trident. *ſeſſ.* 4. *in Decret. de edit. libror.*

2. Regulares cujuſcumque Ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſunt; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere tenentur, antequam prædicare incipiant, prædicare tamen poſſunt, quamvis illam non obtinuerint. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere tenentur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum

rum Ordinum, necnon in illis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, nullo modo prædicare poſſunt; ex Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de ref.* & *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.* & ex conſtit. Gregorii XV. ſupra citata, & Clementis X. incip. *Superna*, apud Cherub. *tom.*5. In contrafacientes, necnon errores, ſcandala, vel hæreſes in concionibus diſſeminantes poſſunt Epiſcopi, etiam cenſuris, ac juxta juris diſpoſitionem procedere, *ex cit. decret. Trident. ſeſſ.* 5.

3. Quantum ad delicta, quæ a Regularibus extra Monaſteria degentibus committuntur, vel cum intra Monaſteria degunt, tamen extra ita notorie delinquunt, ut populo ſcandalo ſint; vide quæ dixi *cap. præced. a num.* 1. & *ſeqq.* In cauſis autem civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum Regulares quomodolibet exempti extra Monaſterium degentes, ideſt ſine regulari obſervantia viventes, poſſunt coram locorum Ordinariis, tamquam ad hoc a Sede Apoſtolica delegatis, a creditoribus ſuis conveniri, & ad ſolvenda debita cogi, & compelli: ex Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. *de Regul.* & ex Decreto S. Cong. ejuſdem Concilii, quod refert Peyrinus *tom.* 1. *de privil. Regul. ad conſtit.* 2. *Sixti IV. n.* 30.

4. Sacra Congregatio Concilii die 15. Martii 1596. de mandato Clementis VIII. decrevit, Superiores Regulares poſſe ſuis ſubditis itidem Regularibus, qui præditi qualitatibus requiſitis, Ordines ſuſcipere voluerint, litteras dimiſſorias concedere; ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, ſeu Conventus, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, ii Regulares poſiti fuerint. Et ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes. Verum cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio Papæ reſervatas pœnas incurrant: ita refert Quaranta in ſumma Bullarii *V. Ordo pag.* 368. Sorbo in comp. privil. *V. Ordines Sacri verſus finem pag.* 457. Naldus in ſumm. *V. Ordo num.* 26.

5. Poſt pubblicationem præfati decreti dubitare cœperunt aliqui Regulares, quid agendum eſſet, ſi Sedes Epiſcopalis vacaret, necnon ſi Regulares ordinandi morarentur in Monaſterio nullius Diœceſis; & cum conſulta eſſet Sacra Congregatio Concilii Menſe Decembri 1619. obtenta fuit reſponſio: *Si Sedes Epiſcopalis vacaret, ad alium quemcumque Epiſcopum dimiſſorias eſſe concedendas; ſi vero Regulares in Monaſterio nullius Diœceſis moram traherent, ad Epiſcopum viciniorem eſſe mittendos*, ſervatis omnibus, quæ ſuperius præſcripta ſunt. Nec eſt audiendus Paſſarinus *tom.* 1. *in append. annot. ad d. Decret.* aſſerens dictas pœnas non eſſe latæ ſententiæ; nam Decretum procedit per verbum imperativum, *Incurrant*, quod quidem pœnam latam, non ferendam importat; ultraquamquod reſervatio ibi poſita pœnam incurſam, non incurrendam ſupponit, cum non ſit reſervabile, quod adhuc expectat declarationem, ut bene notat Monacellus *part.* 2. *formul.* 4. *tit.* 13. *num.* 27. idcirco Superiores Regulares caveant, ne præfatas pœnas incurrant.

6. Regulares ordinandi in diſpenſatione interſtitiorum ſubduntur Epiſcopis, nam licet ante Tridentinum ex multis privilegiis Apoſtolicis poterant Superiores Regulares ſuos ſubditos ſuper

intet-

Digitized by Google

interſtitiis diſpenſare, ea tamen privilegia ab eodem Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 13. revocata fuerunt, quod etiam conſtat ex Decreto S. Cong. ejuſdem Concilii relatum a Piaſec. in ſua praxi *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 9. *nu.* 8. quapropter dicti Superiores poſſunt ſolum ſupplicare, & neceſſitatem hujuſmodi diſpenſationis Epiſcopis exponere. Ordinari tamen proculdubio poſſunt extra tempora a jure ſtatuta, ex privilegiis poſt Tridentinum Regularibus conceſſis, præſertim Gregorii XIII. in Bulla incip. *Pium*: in Bullar. Cherub. *tom.* 2. Urbani VIII. in Bulla incip. *Cum ſicut*, in eod. Bull. *tom.* 4. aliorumque Summorum Pontificum, & noviſſime in Concilio Romano in Baſilica Lateranenſi anno 1725. celebrato a Benedicto Papa XIII. præfata privilegia confirmata, ac innovata fuerunt.

7. Pro audiendis Sæcularium Confeſſionibus Regulares ſubduntur Epiſcopis, a quibus per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, approbationem debent obtinere, etiamſi ſint Lectores, & Magiſtri in Theologia; ut conſtat ex Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* & ex Conſt. Gregorii XV. incip. *Inſcrutabili*, Bullar. *tom.* 3. & Urbani VIII. Conſt. incip. *Cum ſicut accepimus*: Bull. *tom.* 4. necnon Innocentii X. Conſt. *Cum ſicut*: *tom.* 4. aliorumque Summorum Pontificum, ubi revocantur quæcumque facultates ad audiendas Sæcularium Confeſſiones Regularibus conceſſæ, ita ut nullis, ſive Superioribus, ſive ſubditis, ſive S. Theologiæ Lectoribus, aut Magiſtris, etiam Societatis Jeſu, ad id ſine Epiſcopi approbatione ſuffragari poſſint; nec ſufficit ſe Epiſcopo præſentare, ſed neceſſe eſt ab eo approbationem obtinere, prout conſtat ex propoſitione 13. inter damnatas ab Alexandro VII. in primo Decreto anno 1665. edito.

8. Ex dictis, & ex Conſt. Clementis X. quæ incipit *Superna*; patet revocatum manere privilegium conceſſum in Clement. *Dudum de Sepult.* §. *ſtatuimus*, Ord. Prædicat. & Min. Sacerdotibus a ſuis Superioribus electis, & Epiſcopis dumtaxat præſentatis abſque eorum approbatione audiendi libere, & licite ſæcularium Confeſſiones: necnon reprobatam eſſe opinionem aſſerentem, Regulares in una Diœceſi approbatos poſſe in alia Diœceſi ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani ſæcularium Confeſſiones audire, etiamſi pœnitentes eſſent ſubditi illius Epiſcopi, a quo approbati fuerunt.

9. Regulares, qui in examine pro audiendis Confeſſionibus parum idonei ab Ordinariis reperiuntur, poſſunt probari, & admitti ab eiſdem cum limitata facultate; illi autem, qui generaliter idonei reperti fuerint, ideſt, qui prudentia, vitæ integritate, experientia, ac doctrina conſpicui dignoſcuntur, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admitti debent, nec poſſunt ita ſimpliciter approbati ab eodem Epiſcopo iterum examinari, niſi nova cauſa ſupervenerit, quam tamen non tenetur Epiſcopus ipſis Regularibus ſignificare. Approbati autem abſque limitatione præfata a Vicario Generali, poſſunt iterum examinari ab Epiſcopo, ſicut approbati ab anteceſſoribus Epiſcopis poſſunt a Succeſſore ad examen vocari, ſuſpendi, vel repelli, cum inhabiles reperti fuerint; nullatenus tamen poteſt Epiſcopus omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſariis audiendi Confeſſiones facultatem adimere; prout Clemens X. in ſæpe citata ſua Conſt. *Superna*, decrevit.

10. Regulares inſtituti Confeſſarii a ſuis Superioribus pro audiendis Confeſſionibus ſuorum Confratrum, poſſunt abſque prævia approbatione Epiſcopi excipere Confeſſiones illorum Sæcularium, qui in eorum Conventibus, ſeu Collegiis ſunt de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui ipſis tantum deſerviunt, ideſt, qui

in Monaſterio, ſeu Collegio domicilium non contraxerunt, ſed annuo ſalario ſervitium præſtant; nam iſtos, & quoſcumque alios Sæculares neque venialibus, neque a mortalibus alias rite confeſſis abſque Epiſcopi approbatione abſolvere poſſunt: ita decernitur ab eadem Clement. citata, & a S. Cong. Concilii de mandato f. m. Innoc. XI.

11. Præterea Confeſſarii Regulares in vim Bullæ Cruciatæ, aut tempore Jubilæi a pœnitentibus electi ad audiendas eorum Confeſſiones Sacramentales, nullatenus Confeſſiones hujuſmodi audire valent ſine approbatione Ordinarii, & Epiſcopi Diœceſani loci, in quo ipſi pœnitentes degunt, & Confeſſarios eligunt, vel ad excipiendas Confeſſiones requirunt; nec ad hoc illis ſuffragatur approbatio ſemel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, & Diœceſum obtenta, etiamſi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confeſſarios electos approbarunt, ſubditi ſint; prout decrevit Innocentius XII. in ſua Conſt. incip. *Cum ſicut*: apud Cherub. *tom.* 5.

12. Requiritur pariter approbatio Ordinarii loci in Confeſſario Regulari Monialium etiam ſubditarum, nec approbatus pro uno Monaſterio cenſetur approbatus pro alio; Confeſſarii quoque extraordinarii ſemel deputati, & approbati ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, non poſſunt, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi illarum Confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo debent approbari, quoties caſus depotationis contigerit: ex præc. Conſt. *Superna*.

13. Regulares, etiam Monachi (exceptis iis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt, & qui in Collegiis ſtudiis, & lectionibus vacant, necnon qui ſpeciale habent privilegium) tenentur accedere ad proceſſiones publicas; ut conſtat ex Bulla 22. Leonis X. incip. *Dum intra*, Bullar. *tom.* 1. & ex Tridentino *Seſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regul.* immo compelli poſſunt ab Ordinariis, cum moderatione tamen, nam Gregorius XIII. decrevit, Regulares Monaſterii, ſeu Conventus ultra medium milliare a Civitatibus, vel locis diſtantis non poſſe ab Epiſcopis compelli accedere ad proceſſiones, quæ intra Civitatem, vel locum habentur, niſi vigeat conſuetudo in contrarium legitime introducta, quæ proculdubio ſervanda eſt; ex Decretis S. Cong. Conc. apud Piaſec. in praxi *part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *a num.* 51. & apud Monacell. in Formul. *p.* 1. *formul.* 7. *num.* 30. Proceſſiones publicæ ſunt illæ, quæ fiunt in die Sanctiſs. Corporis Chriſti, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ad impetrandam pacem inter Principes chriſtianos, ad obtinendam victoriam ſupra infideles, pro electione Summi Pontificis, ad placandum Deum occaſione peſtis, famis, belli, ſterilitatis, terræmotus, & quæcumque aliæ pro bono, cauſa, & honore publico ab Epiſcopis indictæ; ad alias vero non pro bono publico indictas accedere non tenentur, prout in Congreg. particulari de Ordine Urbani VIII. celebrata ſub die 27. Julii 1628. & 21. Auguſti, necnon 19. Septembris ejuſdem anni fuit diſpoſitum, ut refert Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 121.

14. Nequeunt Regulares proceſſiones privatas extra Clauſtra facere abſque licentia Epiſcopi, niſi ſit conſuetudo in contrarium, & præſcripta, quia in tali caſu, petita licentia, licet non obtenta, poſſunt eas facere, etiam deferendo Pluviale: ex Decreto S. R. Cong. quod refert Monacell. cit. *num.* 26. & 27. Poſſunt de licentia Ordinarii Imaginem B. M. V. deferre cum baldachino, & intorticiis: ex alio ejuſdem S. Cong. decreto apud Floc. Nicolai *V. proceſſio num.* 9.; atque de ejuſdem Ordinarii aſſenſu Imagines, & Sanctorum Statuæ ſine baldachino defferri poſſunt. Non poſſunt tamen ab Epiſcopis impediri Regulares, quin publicas proceſſiones faciant infra Octavam Sanctiſs. Corporis Chriſti, ut dixi-

diximus ſupra *Cap.* 2. *n.* 6. *præſ. tract.*

15. Licet nonnulli DD. relati a Barboſa *in cap.* 13. *Seſſ.* 25. Concilii Tridentini aſſerant, Epiſcopum poſſe per cenſuras punire Regulares nolentes accedere ad proceſſiones publicas ab eodem pro bono publico indictas, ſententia tamen oppoſita eſt probabilior, quam ſuſtinent Henriquez *lib.* 7. *cap.* 25. *§.* 7. Roder. in ſum. *tom.* 1. *cap.* 34. *n.* 4. Sanchez de Matrim. *lib.* 7. *diſput.* 33. *num.* 23. Moronus *Reſponſ.* 12. *num.* 17. Ceſpedes de exemp. Regul. quoad proceſſiones *cap.* 11. *dub.* 217. Ratio eſt, quia Tridentinum *loc. cit.* ſolum dicit, quod Regulares vocati perſonaliter ad proceſſiones publicas accedere compellantur, & nihil loquitur de compulſu per cenſuras, quæ, quando vult, ut poſſint in Regulares fulminari, expreſſe de eis mentionem facit, & tribuit Epiſcopis facultatem procedendi per eaſdem contra exemptos, prout *Seſſ.* 22. *de obſervand. & vitand. in Miſſar. celebrat.* contra Regulares celebrantes in domibus privatis, & omnino extra Eccleſiam; & *Seſſ.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 5. contra Moniales rebelles, & inobedientes circa obſervantiam clauſuræ, dicta facultas Epiſcopis conceditur; ergo aliis pœnis uti debet Epiſcopus ad Regulares compellendos, ut ad proceſſiones accedant, v. g. privare eoſdem facultatibus Confeſſiones audiendi, verbum Dei prædicandi, & ſimilibus. Vide dicta ſuperius *cap.* 3. *num.* 6. & 7. Advertendum tamen, quod Regulares, qui ex privilegio, vel conſuetudine legitime introducta non tenentur ad proceſſiones accedere, etiamſi ſæpius ex devotione, vel alio religioſo motivo acceſſiſſent, non propterea ad id poſſent ab Epiſcopo compelli, cum ex hoc nullum jus contra illos acquiratur: ita Quaranta in ſumm. Bullar. *V. Præcedentia*. Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 47. Moronus *reſponſ.* 12. *num.* 30. & alii.

16. Regulares ſine licentia Epiſcopi prohibentur ſub mortali accedere ad Crates ad colloquendum cum Monialibus, etiam ſubjectis; Confeſſariis quoque Monialium ſub pœna excommunicationis, privationis vocis activæ, & paſſivæ, omniumque officiorum, & inhabilitationis ad alia, eſt prohibitum pernoctare apud Monaſteria intra mænia Civitatis exiſtentia, quin prius judicium Epiſcopi ſuper diſtantia Conventus a Monaſterio proferatur, ab eoque cognoſcatur, & approbetur diſtantia neceſſaria inter manſionem pro uſu Confeſſarii, & Monialium Monaſterium, a quo non ſolum per parietes, ſed etiam per tecta debet eſſe disjuncta, & ſeparata; ut patet ex Const. 156. Alexandri VII. quæ incipit: *Felici*, Bullar. *tom.* 5.

17. Non licet Regularibus, etiam in propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſa autem privata poſſunt, dummodo SS. Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita ut ipſa Hoſtia videri non poſſit: ex Decreto S. R. C. die 10. Decembris 1602. edito, quod referunt Nicol. *V. Euchariſtia num.* 32. & Fagnan. *in* 1. *ad cap. Grave de offic. Ordin. num.* 77. Pro perſonis privatis ritus eſt, ut exponatur in Oſtiolo Tabernaculi, vel in Pixide velata cum luminibus, & aſſiſtentia, quod etiam firmavit S. Cong. Epiſcop. 7. Septembris 1598. apud Gavant. Manual. *V. Euchariſtia*, *num.* 54. Quantum ad Sacras Imagines, & Reliquias ponendas, exponendaſve in Eccleſiis Regularium, id nequit fieri abſque Epiſcopi approbatione: ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *in Decret. de invocat. Venerat. & reliq. expoſ.*

18. Regulares, qui manifeſte in perſonam Ordinariorum delinquunt, ex cap. *Romana de pœnis in* 6. vel Prælatorum juriſdictionem competentem impediunt, ne munus ſuum exequantur, poſſunt ab Ordinariis legitime coerceri, & puniri, ex cap. *Quia de*

de offic. deleg. & ex Decret. S. Cong. Concil. quod & Gregorius XIII. approbavit.

19. Epiſcopis qui in Eccleſiis Regularium tam ex conſuetudine, & privilegio, quam ex Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus Paramentis cum Mitra, vel etiam cum ſola Cappa intereſſe poſſunt, tenentur ipſi Regulares baldachinum attollere; ex Decreto Clementis VIII. quod incipit: *Decet*, die 10. Junii 1603. edito, & a Pignatello *tom.* 10. *conſult.* 164. *num.* 30. relato; quod ſi Regulares indebite reſiſtant, vel negligant, poſſunt ab Epiſcopis per cenſuras, aliaſve pœnas Eccleſiaſticas puniri: *ibidem*.

20. Poſſunt Epiſcopi in Eccleſiis Regularium abſque eorum licentia, etiam in Pontificalibus celebrare, benedicere populo, audire Divina Officia, & in ſua præſentia facere celebrare; cum hujuſmodi actiones honorem, reverentiam, & præeminentiam Epiſcopis debitam, non autem juriſdictionem, & ſuperioritatem reſpiciant, nec propterea exemptorum privilegia violantur: ut habetur in terminis Clement. *Archiepiſc. de privileg.* & notatur a Fagnano *in* 1. *ad cap. Quia nos de auctorit. & uſu pallii num.* 13. Nequeunt tamen, invitis Regularibus, exercere functiones Pontificales, quæ habent mixtam conſiderationem honoris, & juriſdictionis; ut Ordines conferre, Indulgentias concedere, degradare, baptizare, & ſimilia; quia hæc in litteris non exprimuntur, niſi Eccleſia ſit Parochialis: ut conſtat ex cap. *Quoniam de ſent. excommun. in* 6. & ex Decreto S. Cong. Concil. *in una Brixien.* 9. Junii 1657. edito.

21. Quamvis Epiſcopi nequeunt Regulares ad coram ſe comparendum citare, cum non ſint eorum Judices competentes, ac propterea, ſi eos citaverint, hujuſmodi citatio ipſo jure erit nulla; nihilominus tamen, ſi in citatione exprimatur cauſa; quæ fundet ſuper Regulares juriſdictionem vel per Conſtitutiones Apoſtolicas, aut per Concilia Epiſcopis attributam, tenebuntur in tali caſu comparere, etiam in dubio, an ad comperendum teneantur, necne, nam ex reverentia Epiſcopis debita comparere ſemper decet, & convenit, & tunc ſua privilegia oſtendere, & rationes poterunt allegare: ut docent Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 25. *num.* 6. & 8. Armilla *v. exemptio num.* 1. *in fine*, Peyrinus de privil. Regul. *tom.* 3. *in additam. ad Conſt. Sixti IV. n.* 5. & alii.

22. Regulares non ſubduntur Epiſcopo Diœceſano quoad Sacramentum Confirmationis ſuſcipiendum, idcirco quilibet Epiſcopus poteſt eoſdem confirmare, nec Epiſcopus Diœceſanus valet id impedire, vel cogere ut Regulares pro Confirmatione ſuſcipienda ad ipſum accedant, cum poſſint illam ſuſcipere ab Epiſcopo, etiam alieno, a quo cum debitis dimiſſoriis, aliiſque requiſitis ſunt Ordines ſuſcepturi: ita plures D. D. quos citat, & ſequitur Diana *part.* 3. *tract. de Sacrament. Confirm. reſol.* 20. Ceſpedes *tract.* de exempt. Regul. quoad varia *cap.* 24. *dub.* 358.

23. Ad extrahendum Reum ab Eccleſia Regularium in caſibus, in quibus non gaudet immunitate, non ſufficit Prælati Regularis licentia, ſed requiritur Epiſcopi facultas, prout decrevit Gregorius XIV. in ſua Conſtit. 7. incip. *Cum alias*: apud Cherub. *tom.* 2. etiam ad extrahendum corpus occiſi ad finem capiendi informationes delicti, dum corpus eſt in Eccleſia Regularium ſepultum, ad Epiſcopum, non ad Prælatum Regularem ſpectat dare talem facultatem.

CAP.

C A P. V.

De exemptione Tertiariorum a juriſdictione Ordinarii.

1. SEraphicus P. N. S. Franciſcus fuit primus omnium, qui Tertiarios, ſeu Fratres, ac Sorores de pœnitentia inſtituit, & anno 1221. Regulam eiſdem deſcripſit his verbis: *Si qui voluerint hanc vitam obſervare*: quæ habetur per extenſum in Conſt. 2. Nicolai IV. incip. *Supra Montem*: apud Cherub. *tom.* 1. Poſtmodum autem S. P. Dominicus eidem S. P. Franciſco magna caritate conjunctus forte ad ipſius imitationem tertium Ordinem etiam inſtituit, ut refert D. Anton. *in 3. p. hiſtor.* Auguſtiniani pariter, Carmelitæ, Servitæ, aliique Mendicantes ſuos Tertiarios, & Tertiarias habent, ut videre licet in compend. privil. Mendicant. *v. Tertiarii in annotation. Cordubæ in fine*, & *in tom. 3. q. q. Regul. Roderici, q.* 72. *art.* 2. & 3. Quia vero dictorum Tertiariorum varii ſunt ſtatus, idcirco ad ſex genera revocati, in ſequentibus reſolutionibus diſtincte recenſebuntur, ut manifeſte appareat, quinam eorum ab Ordinarii juriſdictione ſint exempti.

2. Tertiarii primi generis ſunt illi, qui in Religione viventes, & tria vota eſſentialia ſolemniter emittentes ſub Prælatorum obedientia manent; quibus Leo X. in ſua Conſt. 42. incip. *Inter cetera*, apud Cherub. *tom.* 1. Regulam S. P. N. Franciſci apravit, & accommodavit, & quos poſtea S. Pius V. in ſua Conſt. 63. incip. *Ea eſt officii*: apud eumdem Cherub. *tom.* 2. reformavit, ac Generali, & Provincialibus Ordinis Minorum de Obſervantia ſubjecit, licet poſtea hanc Pii Conſtitutionem moderavit Sixtus V. in Bulla 28. incip. *Romani Pontificis*, in Bullario *tom.* 2. de quibus Caſarub. in comp. privil. *v. Tertiarii num.* 24. & Peyrinus *tom.* 1. *privileg. in Conſt. 4. Sixti IV. §. 7. n.* 31. Hi proculdubio, cum tria vota Religionis eſſentialia emittant, & ſub Prælatorum obedientia vivant, vere, & proprie Religioſi ſunt, prout præfati Summi Pontifices in relatis Conſtitutionibus declararunt, ac propterea ab Epiſcoporum juriſdictione ſunt exempti, privilegio Canonis, & fori, ſicut ceteri Regulares, fruuntur, habentque multa privilegia, quæ Clemens VIII. in ſua Conſt. 51. incip. *Ratio Paſtoralis Officii*: apud Cherub. *tom.* 3. confirmavit & innovavit: prout iidem Caſarub. & Peyrinus *in loc. cit.* tradunt. Ad hos reducuntur Tertiariæ, quæ tribus votis eſſentialibus emiſſis, ſub clauſura vivunt.

3. Tertiarii ſecundi generis ſunt illi, qui in Conventibus habitant, Regulam tertii Ordinis ſub mortali non obligantem profitentur, habitumque Religionis ſine caputio deferunt: & quamvis proprie Religioſi non ſint, eo quod votis eſſentialibus non ſint adſtricti, nec ſint perſonæ Eccleſiaſticæ niſi ſecundum quid, privilegiis tamen Regularium, quibus inſerviunt, fruuntur, ex conceſſione Leonis X. in ſua Bulla 22. quæ incip. *Dum intra mentis arcana*: apud Cherub. *tom.* 1. quam poſtea plures Summi Pontifices, præcipue Clemens VIII. in cit. Conſt. *Ratio Paſtoralis Officii*, confirmarunt, & innovarunt. Idem dicendum de Tertiariis inſervientibus in Monaſteriis Monialium Superioribus Regularibus ſubjectarum, dummodo ipſi ſub obedientia, viſitatione, & correctione eorumdem Superiorum Regularium maneant; ex privilegio Nicolai V. in Bulla incip. *Etſi Cunctorum*: apud Joan. Baptiſt. Confectium *pag.* 35.

4. Tertii generis ſunt Mulieres, quæ virginalem, ſeu cœlibem, vel caſtam vidualem, ſimplici voto expreſſo, ſub dicto habitu vitam ducunt, ac in Congregatione, aut etiam in Conſanguineorum, & Affinium ſuorum, vel propriis domibus, aut ſeorſum habitant; & quamvis vere Religioſæ non ſint, cum tria vota Religionis eſſentialia non emittant, gaudent tamen omnibus pri-

Digitized by Google

vilegiis, indulgentiis, & exemptionibus, quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum geſtant, fruuntur: videlicet, poſſunt ſibi ubique ſepulturam eligere, ab Ordinarii juriſdictione exemptæ remanent, unde conveniri non poſſunt, niſi coram Judice Conſervatore illius Religionis, cujus habitum induunt; ſunt etiam exemptæ a Laica poteſtate, gaudent quoque privilegio Canonis, *Si quis ſuadente*; annumerantur enim quoad hoc perſonis Eccleſiaſticis, nam ſe Deo conſecrarunt per expreſſum ſimplex Caſtitatis votum, & propoſitum obſervandi Regulam de tertio Ordine a S. Sede approbatam, in habitu ſuſcepto a Superioribus Regularibus, vel ab eorum Delegatis ad id auctoritate Apoſtolica ſuffultis, ſub quorum obedientia, viſitatione & correctione vivere tenentur; poſſunt etiam admitti ad Divina Officia audienda in Eccleſiis ſuorum Ordinum tempore interdicti, exceptis cauſam interdicto dantibus, nutrientibus, foventibus, & auxilium, favorem, vel conſilium præſtantibus. Non valent tamen ſibi Confeſſarium eligere, niſi ex approbatis ab Ordinario, neque adimplere præceptum Paſchale, niſi in propria Parochia: ut patet ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Nicolai IV. incip. *Supra Montem*: Leonis X. incip. *Dum intra*: apud Cherub. *tom.* 1. & ex Decretis SS. Cong. Concilii, & Epiſcop. & Regul. necnon Immunitatis, relatis a Piaſec. in *praxi part.* 2. *cap.* 3. *art.* 7. *n.* 13. Monacello *formul.* 14. *p.* 1. *titul.* 6. *num.* 1. Fagnan. in 2. ad cap. *nullus de foro compet. n.* 71. Mattheuc. *Official. quoad Tertiarios*: *cap.* 52. *a num.* 1.

5. Tertiarii, & Tertiariæ quarti generis ſunt illi viri, qui collegialiter non vivunt, necnon Mulieres ſive conjugatæ, ſive liberæ, quæ, caſtitatis voto non emiſſo, formam vivendi, ac Regulam a S. Sede approbatam opera noſtra ſuſcipiunt, & quoad ejuſdem Regulæ obſervantiam directioni noſtri Ordinis Regulari ex Apoſtolico præſcripto legitime ſubſunt, & in propriis domibus habitant. Hi enim privilegiis, & exemptionibus præfatis minime gaudent, ut paret ex Conſt. Leonis X. incip. *Dum intra*: & ex pluribus S. Cong. Decretis; idcirco Epiſcopali juriſdictioni, ac poteſtati Laicali ſunt ſubjecti, ita quod coram Judice Eccleſiaſtico, vel Sæculari, & non coram Prælatis Regularibus, vel eorum Conſervatoribus quoad illorum perſonas, & bona propria conveniendi ſunt; ad onera quoque Laicis debita tenentur, ita ut nec fori, nec Canonis privilegio fruantur, prout cum multis docet Mattheuc. *Official. quoad Tertiarios cap.* 52. *num.* 4. Poſſunt tamen ſibi eligere ſepulturam ubi voluerint, & tempore interdicti in Eccleſiis ſuorum Ordinum admitti ad Divina audienda, niſi cauſam interdicto dederint, nutrierint, foverint, vel auxilium, conſilium, aut favorem præſtiterint; ut conſtat ex præfata *Conſt.* Leonis X. Poſſunt pariter qui ad Horas Canonicas tenentur, eodem uti Breviario, quo Fratres Minores utuntur; ex conceſſione Pauli III. in Bulla incip. *Ad fructus uberes*: quæ habetur in Directorio trium Ordinum; & ex Decreto S. Cong. Rituum die 7. Auguſti 1694. edito, & refertur in Rubr. particul. noſtri Breviarii *tit.* 12. *num.* 142. Gaudent præterea omnibus indulgentiis a Paulo V. Regularibus conceſſis in ſua Conſt. 21. incip. *Romanus Pontifex*: apud Cherub. *tom.* 3. prout docent Roder. *tom.* 3. *quæſt.* 73. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 36. *art.* 4. Portel. *V. Tertiarii num.* 3. Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 72. *n.* 10. & *reſol.* 75. *num.* 53. & alii.

6. Ex dictis in præcedenti reſolutione non infertur, quod Epiſcopus poſſit viſitare Congregationem tertii Ordinis, ut ſic, cum habeat ſuum Viſitatorem a Superioribus ejus Religionis, cujus habitum Tertiarii gerunt, deputatum; nam aliud eſt Fratres, & Sorores ratione ſuarum perſonarum eſſe ſubjectas juriſdictioni Epi-

ſcopali

ſcopali quoad Sacramenta, & alia jura Eccleſiaſtica; aliud eſt viſitari ratione bonorum, & jurium ipſiuſmet Congregationis, & Regulæ, quod quia tangit ſtatum Regularem, idcirco ad Prælatos Regulares id ſpectat: ex conceſſione Nicolai III. in Bulla 60. relata a Vadingo *tom.* 2. *in Regeſto*, & docet Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 75. *n.* 68. & alii.

7. Tertiarii quinti generis ſunt quidam Eremitæ in communitate non viventes, huc illuc diſcurrentes, ad arbitrium ſuum locum mutantes, Regulam tertii Ordinis nec obſervantes, nec profitentes, Caſtitatem non voventes, nullum Superiorem, vel viſitatorem, aut correctorem Regularem agnoſcentes, propria auctoritate habitum aſſumentes, vel ab aliquibus Regularibus non ſervata forma ad id requiſita recipientes; iſti, ait Caſarubius *in comp. priv.* ſunt valde temerarii, nec ſunt Tertiarii S. Franciſci, ac propterea nullo privilegio Fratrum Minorum, vel Tertiariorum gaudent, nec ſub eorum juriſdictione exiſtunt.

8. Sexti, & ultimi generis ſunt Mulieres Tertiariæ, quæ tria vota eſſentialia non emittunt, nec ſervare Caſtitatem vovent, nubere poſſunt, ſi velint, in Congregatione tamen vitam ducere præſumunt, Regulamque tertii Ordinis alicujus Religionis profitentur; iſtæ proculdubio omnimodæ curæ, & juriſdictioni Epiſcopali ſunt, & eſſe debent ſubjectæ, prout conſtat ex Decreto S. Cong. *in una Piſtorien.* die 20. Decembris 1616. edito, quod referunt Gavant. *in Manual. V. Tertiariæ n.* 2. *&* 9. Pax Jordan. *tom.* 2. *elucubrat. diverſ. lib.* 7. *n.* 14. Barboſa *in ſumm. Bullar. V. Tertiariæ*. Quinimmo S. Pius V. in ſua Conſt. 8. incip. *Circa Paſtoralis*: apud Cherub. *tom.* 2. decrevit, ut in futurum Epiſcopi non permitterent dictis Tertiariis, quæ Caſtitatis votum non emittunt, atque adeo nubere poſſunt, vitam in communitate traducere, & ut Regulares nullam prorſus ſic vivere volentem in ſuum Ordinem, Religionem, ſeu Congregationem recipiant; quod ſi ſecus egerint, illarum receptiones, & profeſſiones irritas, & nullas eſſe declaravit: quapropter hujuſmodi Tertiariæ abſque Caſtitatis voto in communitate viventes, licet Regulam tertii Ordinis profiteantur, nullo prorſus privilegio potiuntur.

9. Licet S. Pius in præfata Conſtitutione non diſtinguat de Tertiariis Mulieribus in Congregatione cum voto ſimplici caſtitatis, vel ſine ipſo viventibus, ſed ſolum loquatur de voto ſolemni, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus; verum quando ratio nos inducit ad diſtinguendum, utique diſtinguere debemus: in propoſito autem ratio nos movet ad diſtinguendum de Tertiariis in Congregatione viventibus cum voto expreſſo ſimplici caſtitatis, & de illis, quæ in Congregatione forſan vivunt abſque ullo voto; nam primæ revera non includuntur in Conſtitutione præfata S. Pii V. ut patet ex alia Conſtit. Leonis X. citata ſupra *n.* 4. ex qua recte deducitur, quod dum Leo expreſſit, Mulieres virginitatem, ſeu caſtitatem ſimpliciter voventes, dicendo: *Etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus manentes*, privilegiis ſupra *num.* 4. relatis gaudere, ſuppoſuit a fortiori eaſdem cum eo voto in Congregatione viventes præfatis privilegiis pariter frui; quod expreſſe S. Congr. in Decreto relato *n.* præcedenti declaravit.

10. Tertiarii, & Tertiariæ ſecundi, & tertii generis ut ſupra *num.* 3. *&* 4. cum a juriſdictione Ordinarii, & a poteſtate ſæculari exempti ſint, idcirco juriſdictioni Superiorum Regularium, præcipue Ordinis Minorum, in aliquibus ſubiiciuntur, & tenentur ſaltem ſub veniali ſubire correctionem, aut mortificationem ſibi factam a Viſitatore per Generalem, vel Provincialem deputato, dum coram ipſo interpellantur pro aliqua tranſgreſſione Regulæ, per quam ſubditi facti ſunt. Dixi *ſaltem ſub veniali*, quia dicti Prælati Regulares poſſunt ex juſta

O 4 cau-

cauſa eis aliquid ſub cenſuris præcipere, & tunc reſiſtentes, & contumaces peccant etiam mortaliter, non ratione voti obedientiæ, quod non emittunt, ſed ratione contemptus, & contumaciæ; nam in Bulla præfati Nicolai IV. incip. *Apoſtolica Sedes*, conceditur noſtro Miniſtro Generali, ejuſdemque delegatis facultas viſitandi, corrigendi, incarcerandi, & puniendi Tertiarios, & Tertiarias delinquentes, tam in propriis domibus degentes, quam in communitate viventes, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & invocato brachii ſæcularis auxilio, ſi opus fuerit: ita Bordonus *tom.* 2. *conſil. Regul. reſol.* 75. *num.* 37. Cand. Bergomen. *tract.* 4. *cap.* 12. *de exempt. Tertiar. reſol.* 31. & alii.

11. Tertiarii, & Tertiariæ quarti generis, ut ſupra *num.* 5. ſubjiciuntur etiam directioni, & gubernationi Superiorum Ordinis, cujus ſunt Tertiarii, non quidem propter juriſdictionem, quam in ipſos habeant, cum ſint ſæculares; ſed ob curam ſpiritualem, & diligentiam ſpecialem, quam de ſalute illorum ſpirituali tenentur habere, cum ſint aliquo modo membra illius Religionis, cujus habitum deferunt, ut ait Caſarubius in Compen. privil. Mendicant. *V. Tertiarii n.* 24. *ſ. quoad primum gradum*; Miranda in Manual. *tom.* 1. *q.* 36. *art.* 1. Idcirco nequeunt illos punire incarcerando, excommunicando, vel aliis pœnis afficiendo; poſſunt dumtaxat eos habitu privare, & e Tertiariorum aggregatione, ac libro delere, ſi ſcandaloſi, diſcoli, vel incorrigibiles fuerint; quamvis non peccant, ſi præfatis Superioribus obedire nolint; ut ait Portell. in dub. Regul. *V. Tertiarii n.* 6. Roder. *tom.* 3. *qu.* 69. *art.* 1.

12. Prædicti Tertiarii, & Tertiariæ in propriis domibus habitantes, poſſunt ad inſtar modi, qui communiter in Confraternitatibus obſervatur, habere veluti Superiores aliquos, ſive aliquas ex ſeipſis, ut ad convocandum, vel corrigendum eoſdem curam habeant, id enim rationi, ac intentioni Summorum Pontificum hunc modum vivendi approbantium conveniens videtur: ut ait Caſarub. *in cit. comp.* ut ſupra. Hi autem vocantur a Nicolao IV. in Bulla *Supra Montem*, relata ſuperius *nu.* 4. pro Tertiariis Minoritis Miniſtri, & Miniſtræ: pro Dominicanis Magiſtri, ſive Directores, reſpectu Virorum; & Prioriſſæ, ſive Subprioriſſæ reſpectu Mulierum; & a Martino V. in Bulla incip. *Sedis Apoſtolicæ*, apud Cherub. *tom.* 1. pro Tertiariis Servitarum Correctores, Subcorrectores ſeu Vicarii reſpectu Virorum; & Prioriſſæ reſpectu Mulierum. Qui Superiores ab eiſdem Tertiariis eligi, & nominari debent, vel ſaltem a Superioribus Religionum, cum conſilio tamen ipſorum Tertiariorum, vel Tertiariarum, prout rationi, & æquitati congruum eſt: ut docent Lezana *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 42. Cand. Bergom. *tract.* 4. *cap.* 12. *reſol.* 33.

13. Quamvis ex vi Regulæ tertii Ordinis ad Miniſtrum ipſorum Tertiariorum, & Miniſtram Tertiariarum cum conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum, vel Sororum diſcretarum ſpectabat tam recipere ad habitum, quam ad profeſſionem Fratres, ac Sorores; modo tamen id facere eis non licet, ſed eſt neceſſaria licentia expreſſa Superiorum majorum Ordinis, cujus tertiam Regulam profitentur, nec amplius requiritur licentia Ordinarii; prout conſtat ex Decretis Summorum Pontificum Innocentii IV. Sixti IV. Eugenii IV. Martini V. & aliorum, quos refert Lezana in Summa *cap.* 14. *num.* 8. in quibus hujuſmodi facultas expreſſe tribuitur Prælatis prædictis, aliiſque ab ipſis deputandis (privative quoad quoſcumque alios) a quibus non debent admitti Tertiarii, aut Tertiariæ, niſi fuerint probatæ vitæ, & exemplares, & niſi Tertiariæ tertii generis, ut ſupra *num.* 4. habeant de proprio, unde ſufficienter vivere poſſint. Reliquæ vero qualitates præſcriptæ a S. Cong. Epiſcop. & Regul. in ſua

De-

Digitized by Google

Decreto die 20. Decembris 1616. edito, quod refert Mattheuc. *Official. quoad Tertiarios cap.* 52. *num.* 3. videlicet, quod Mulieres admittendæ, ad habitum tertii Ordinis ſint annorum 40. quod non habitent cum aliis viris, niſi cum conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu; quod ab Ordinario loci licentia ſit prius impetrata; & quod in habitu deferendo omnino abſtineant a velo ſupra caput, a pectorali, vulgo *Sottogola*, & a patientia; quamvis ſint optimæ, ob defectum tamen illarum non redditur invalida ipſarum receptio, vel profeſſio, cum in præfato Decreto non apponatur clauſula irritatoria, nec dicat S. Cong. *non poſſint admitti*, ſed ſolum, *non admittantur*, ut bene notat Lezana ut ſupra *num.* 40. Cand. Berg. *tract.* 4. *cap.* 12. *reſol.* 35. Bordon. *tom.* 2. *conſil. regul. reſol.* 56. *num.* 106. & 108. & *reſol.* 57. *num.* 60.

14. Prædictæ Tertiariæ votum caſtitatis emittentes, quæ ſunt tertii generis, ut ſupra *num.* 4. non ſolum gaudent privilegiis Regularium, quorum habitum geſtant, ac Regulam tertii Ordinis profitentur, quoad perſonas; verum etiam quoad ſuas Domos, Oratoria, Capellas, & Eccleſias, ſi quas habent, a juriſdictione Ordinarii ſunt exemptæ; nec poſſunt dictis privilegiis renunciare ſine Summi Pontificis licentia, ac conſenſu Capituli generalis. Unde hujuſmodi Tertiariæ, quæ cum facultate Epiſcopi Eccleſiam, Oratorium, vel Capellam ædificant, ſed ſub conditione, ut ipſi, ac Parocho ſubſint, adhuc poſt constructionem ab utriuſque juriſdictione exempta remanent; nam lex illa conditionalis facultati ædificandi adjecta, juri privilegiorum repugnat, atque adeo impoſſibilis debet cenſeri, & per conſequens ac ſi adjecta non eſſet. Ultraquamquod tam Epiſcopi, quam Parochi, qui in loca, vel perſonas Tertiariarum exemptorum juriſdictionem habere prætendunt, pœnas contra violantes privilegia exemptorum impoſitas, de quibus infra dicetur, incurrunt: Cochier. *tom.* 2. *de juriſd. in exempt. part.* 2. *q.* 123. Ceſpedes *de exemp. Regul. cap.* 1. *dub.* 22. & alii. Ad fruendum tamen præfatis privilegiis, tenentur hujuſmodi Tertiariæ vivere ſub obedientia, viſitatione, & correctione Superiorum Ordinis, vel Delegatorum, ut alibi dictum eſt.

15. Moniales tertii Ordinis, quæ tria vota eſſentialia ſolemniter emittunt, & ſub clauſura vivunt, ab obedientia tamen Regularium ſunt abſtractæ, ac Ordinariis locorum ſubjectæ, privilegiis Ordinis, cujus habitum geſtant, minime gaudent; niſi habeant ſpeciale privilegium communicationis privilegiorum, ut habent a Paulo III. Moniales tertii Ordinis Annunciationis, alias S. Urſulæ Salmaticenſis: ita Roder. *tom.* 3. *q.* 73. *art.* 3. *in fine*; fruuntur tamen indulgentiis, & gratiis a Paulo V. conceſſis Ordinibus Regularibus, prout habetur *in* §. 18. ſuæ Conſtitutionis quæ incipit: *Romanus Pontifex* & eſt 21. in Bullario Cherubini *tom.* 3. quam per extenſum refert Mattheuc. *Official. quoad Indulgentias cap.* 26. *num.* 1.

16. Generales, Provinciales, & quicumque alii Superiores Regulares nequeunt abſque licentia Summi Pontificis ſubdere locorum Ordinariis Moniales, ſeu Tertiarias ſibi ſubjectas, nam illa ſubjectio ſubſtantialiter, & in rigore eſt renunciatio privilegiorum Monialium, vel Tertiariarum, quæ privilegia data ſunt a Sede Apoſtolica, privilegia enim, aut beneficia nequeunt renunciari, niſi coram Superiore, a quo ſunt recepta: ut habetur in cap. *Admonet, de renunciat.* & docent Portell. *p.* 1. *caſuum, caſu* 12. Ceſpedes *tract. de exempt. Regul. cap.* 23. *dub.* 326.

17. Feminæ volenti fieri Soror tertii Ordinis cujuſvis Religionis dari poteſt legatum pro Monachatu relictum, ſi emittat votum Caſtitatis, licet in domo propria maneat; ratio eſt, quia hujuſmodi Soror, ut dictum eſt ſupra,

pra, gaudet omnibus privilegiis Regularium: ergo & illud lucrandi dotem, nam per aſſumptionem habitus, & profeſſionem Caſtitatis, ſeu Virginitatis, dicitur aliquo modo fieri Monialis, quamvis maneat in domo ſua, vel parentum ſuorum: ita docent Diana *p. 1. tract. de immun. Eccleſ. reſol. 64. §. unde ex his apparet:* Franc. de Caſtello *deciſ.* 88. Aloyſius Riccius *in collect. deciſion. p. 4. collect.* 1051. relati a Barboſa *de jure Eccleſiaſtico univerſo lib. 1. cap. 41. num. 8.*

CAP. VI.

De exemptione Sæcularium per reſpectum ad Regulares, & quoad electionem ſepulturæ in eorum Eccleſiis.

1. NOn tenentur ſæculares diebus Dominicis, aliiſque feſtivis Miſſam audire in Eccleſiis Parochialibus, cum præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant, ſi in Eccleſiis quorumcumque Regularium eam audierint; ut conſtat ex Bulla 25. Leonis X. incip. *Intelleximus:* apud Cherub. *tom.* 1. & ex alia S. Pii V. incip. *Etſi Mendicantium*, relata ſupra *cap.* 1. *num.* 7. ubi declarando decretum Tridentini *ſeſſ.* 22. de auditione Miſſarum, ait: *Ipſi Chriſti fideles ullatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordinarios, ſeu Rectores Eccleſiarum parochialium, aut alios quoſcumque ullo pacto, cauſa, vel occaſione non valeant; ſed præfati Chriſti fideles audiendo Miſſas, & alia divina officia in Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, aut feſtivis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfacere cenſeantur.*

2. Præfati Sæculares ſunt exempti ab obligatione confitendi peccata ſuis Parochis, nec poſſunt ad hoc ab Ordinariis locorum cogi, ſi peccata ſua Regularibus confiteantur: ut conſtat ex Extravag. Joannis XXII. in corpore juris inſerta, quæ incipit: *Vas electionis;* in qua privilegiis Regularium quoad adminiſtrationem Sacramentorum aliquorum confirmatis, errorem cujuſdam Parochi prædicantis multos errores, & inter alios, quod Confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confeſſiones, teneantur eadem peccata proprio Sacerdoti, ideſt Parocho, iterum confiteri; condemnavit. & prohibuit hujuſmodi errores in poſterum ſuſtinere: conſtat etiam ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ubi interpretando caput illud: *Omnis utriuſque ſexus*, ſic ait: *Talibus* (ideſt Regularibus Mendicantibus) *præſentatis, & admiſſis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit:* Omnis utriuſque ſexus, *quoad Confeſſionem ſatisfeciſſe cenſeantur, Sacro approbante Concilio, ſtatuimus.* Et Sixtus IV. in ſua Conſtit. incip. *Dum attenta meditatione*, damnat hujuſmodi errores, eoſque ſuſtinentes, tamquam de hæreſi ſuſpecti, ſunt denunciandi Inquiſitoribus S. Officii, & ab eis puniendi. Perpende etiam propoſitionem 20. inter damnatas ab Alexandro VIII.

3. Neque Clerici, neque Laici Sæculares tenentur Epiſcoporum obedire præceptis adverſus privilegia Regularium impoſitis: ratio eſt, quia ſubditi non tenentur ſuis Epiſcopis obedire in his, in quibus nullam habent poteſtatem, cum poteſtas ſit principium imperandi, quam quidem Epiſcopi in caſu noſtro non habent, ut patet ex cap. *Quanto amplius, de privil.* in quo Honorius III. poſt narratam querelam Monachorum Cluniacenſium, ſuper eo, quod contra privilegia ſibi conceſſa, videlicet, quod Sæculares poſſent in ſuis molendinis molere, & in furnis coquere &c. Archiepiſcopi, & Epiſcopi non in Monachos, ſed in Sæculares molentes, & coquentes ſententias excommunicationis pronunciabant, ut ita a molendinis, & furnis eorumdem Monachorum Sæculares averterent; poſt vituperatum hunc agendi modum, eiſdem Prælatis ſevere prohibuit, ne in poſterum hujuſmodi ſen-

tentias

tentias in fraudem privilegiorum ferrent.

4. Quinimmo Sæculares ipſi obedientes Epiſcopis in his, quæ ſunt contra Regularium privilegia in re gravi, mortaliter peccant, quia agere contra jura Pontificia in re gravi eſt peccatum mortale; ſic enim facientes non aliter ſe gerunt ac illi, qui agrum invito domino uſurpant: & ſicut hujuſmodi uſurpatores mortaliter contra juſtitiæ virtutem peccant, ita pariter dicti Sæculares Epiſcopis in præfatis præceptis obtemperantes contra obedientiæ virtutem mortaliter peccant: ita *D. D. commun.*

5. Poſſunt Sæculares eligere ſepulturam in Eccleſiis quibuſcumque, etiam Regularium, nec ullo modo poſſunt ab Ordinariis prohiberi: conſtat ex cap. *Tua de teſtam.* ubi Gregorius IX. Epiſcopis præcipit, ut ſedulo invigilent, & provideant, omnes pias defunctorum voluntates executioni mandari; quod expreſſius ante dictum Gregorium Alexander III. in Concilio Lateranenſi *cap. 1. de ſepulturis*, hoc decreverat his verbis: *Liceat unicuique, ubi voluerit, eligere ſepulturam*; & ſucceſſive Bonifacius VIII. in cap. *Licet de ſepulturis in 6.* decrevit: Filiumfamilias, quando ad annos pubertatis venerit, videlicet quando quartum decimum ſuæ ætatis annum exceſſerit, poſſe ſibi ſepulturam eligere; pro eo autem, qui ad annos pubertatis nondum pervenit, electio ſepulturæ libere a parentibus eſt facienda in quacumque Eccleſia, etiam Regularium, prout S. Cong. Epiſcop. & Regul. 20. Januarii 1640. decrevit: ita Peyrinus *tom. 3. de privil. Regul.* Bordon. *tom. 2. reſol. 51. num.* 219. & alii.

6. Præfatum privilegium confirmavit Sixtus IV. in Conſt. quæ incipit: *Regimini*, in favorem Fratrum Prædicatorum, & Minorum, prout in Clement. *Dudum de ſepulturis* fuerat antea ſancitum; poſtmodum autem Leo X. in ſua Conſt. 22. incip. *Dum intra*, apud Cherub. *tom.* 2. generaliter omnibus Regularibus conceſſit jus, ſeu privilegium ſepeliendi in ſuis Eccleſiis, etiam cum ipſorum habitu corpora eorum, qui in eis ſepulturam elegiſſent: nec refert, quod Innoc. IV. in ſua Conſt. incip. *Cum a nobis*, relata a Caſarub. in comp. privil. *V. ſepultura num.* 1. in qua idem privilegium Fratribus Minoribus conceditur, addiderit clauſulam: *Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus corpora defunctorum aſſumuntur*: nam Sixtus IV. in præcitata ſua Conſtitutione declaravit, id intelligi de portione canonica, de qua infra ſuſe differetur.

7. Nequeunt Regulares renunciare dicto juri, ſeu privilegio ſepeliendi cadavera in eorum Eccleſiis Conventuum jam erectorum abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito, niſi in limine fundationis præceſſerit concordia cum Parocho de non recipiendis ad ſepulturam illius parochianis, vel niſi de ejus expreſſa licentia; in hoc enim caſu agitur de jure quærendo, idcirco non habet locum textus in cap. *Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis*; cum dici non poſſit, quod alienetur jus Eccleſiæ: & ſicut Parochus debet audiri, & propter præjudicium ſibi inferendum poteſt erectionem novi Conventus impedire; ita poteſt concordia, & pacto, hujuſmodi præjudicio ante illius erectionem providere, ut ſæpius tenuit Rota apud Petram *tom. 2. Comment.* ad Conſt. Apoſtol. Conſt. 3. Cæleſtini III. *ſect. 5. num.* 23. Si vero poſt fundationem Conventus oriatur lis inter Regulares, & Parochum ſuper jure ſepeliendi, & funeralibus; tunc poteſt ſuſtineri concordia facta per viam tranſactionis, vel compenſationis, maxime, ſi facta ſit ad vitanda ſcandala, & tollendas diſſenſiones, neceſſe eſt tamen in tali caſu ſaltem Decretum Epiſcopi, cauſa cognita: Petra *cit. tom.* 1. Conſt. 1. Paſchalis II. *ſect.* 2. apud Mattheuc. *Official. quoad ſepulturas cap. 47. num.* 2.

8. In caſu, quo defuncti ſibi ſepulturam

turam non elegiſſent, poterunt ipſorum heredes, vel teſtamentorum executores, aut alii, qui funeris curam habent, ſepulturam eligere, etiam in Eccleſiis quorumcumque Regularium, qui cruce elevata ex ipſorum defunctorum domibus corpora levare, eaque accipere, & aſſociare, rectoque tramite ad ipſorum Eccleſias (non tamen tempore interdicti) deferre, & ſepelire poſſunt, ſalvo dumtaxat jure parochiali; uſu, more, vel conſuetudine in contrarium non obſtantibus: prout conſtat ex conceſſione plurium Summorum Pontificum, præſertim S. Pii V. in ſua Conſt. 41. incip. *Ad hoc nos Deus*: apud Cherub. *tom.* 2. Ex Decreto tamen S. Congr. die 11. Decembris 1615. edito, & relato a Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 51. *num.* 209. debet Parochus expectari, & ſi monitus expreſſe noluerit venire, eo invito poteſt cadaver ad ſepulturam electam deferri.

9. In Eccleſiis Monialium, etiam exterioribus nequeunt corpora Laicorum ſive Virorum, ſive Mulierum ſepeliri, licet ſolvere vellent pœnam Synodalem: ex Decreto S. Congr. Epiſc. & Regul. *in una Maceraten.* die 8. Novembris 1652. edito. Ad hunc tamen effectum eſt neceſſaria ejuſdem S. Congr. licentia, & Monialium conſenſus: Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 177. apud Mattheuc. *Official. quoad ſepulturas num.* 4. & officium eſt peragendum a Confeſſario Monialium Regularibus ſubjectarum, non a Parochis, niſi uſque ad portam Eccleſiæ: *ibid.*

10. Animadvertant Regulares, non poſſe ſepulturas juxta Altaria ædificari, ſed ab Altaribus debere eſſe remotas, ita ut Sacerdos dum Miſſam celebrat, non cogatur pedibus inſiſtere ſupra corpora defunctorum; idcirco inter Altaris prædellam, & ſepulturæ oſtium mediare debet ſpatium trium circumcirca cubitorum: Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 32. nam Altaria, ſub quorum prædellis, vel juxta eas cadaverá ſunt ſepulta, licet propterea conſecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec dicta cadavera in alium locum deferantur: ex Decreto S. Congr. die 13. Septembris 1593. edito, apud Mattheuc. *cit. num.* 5.

11. Plures Summi Pontifices, & præcipue Urbanus VIII. in ſua Conſt. 244. quæ incipit: *Cum licet*: Bullar. in Bullario *tom.* 5. inhibuit omnibus Parochis, ne plus exigerent ab heredibus defunctorum, qui ſepeliuntur in Eccleſiis Regularium, quam acciperent ſi in Parochiali ſepelirentur, committens locorum Ordinariis, ut providerent omnino, ne ubi hujuſmodi abuſus irrepſiſſent, diutius tollerarentur; avertuntur enim fideles a ſepulturæ electione propter duplicatas, vel majores expenſas.

12. Nonnullas indulgentias lucrantur Sæculares perſonæ, quæ cum habitu Religionis eligunt ſepeliri: Clemens IV. & Nicolaus III. talibus conceſſerunt remiſſionem tertiæ partis omnium delictorum ſuorum; poſtea Leo X. conceſſit indulgentiam plenariam morientibus cum habitu Fratrum Minorum, ad quam lucrandam declaravit ſufficere habitum petiiſſe, ac ſuper ſe uſque ad mortem habere, licet non indutum niſi poſt mortem: ita Caſarub. in comp. privil. *V. indulgentiæ quoad Sæculares* 6. Rodericus in ſuo Bullario in Leone X. *pag.* 320. Sixtus IV. in ſua 3. Conſt. quæ incipit: *Apoſtolicæ manſuetudinis*, apud Peyrinum *tom.* 3. conceſſit, ut quælibet utriuſque ſexus perſonæ poſſent cum habitu noſtræ Religionis ſepeliri, & excommunicat Curatos, alioſque impedientes, vel contradicentes, ſibi abſolutionem reſervando.

13. Sæculares cum habitu noſtro morientes, vel cum eo ſepeliri eligentes, ſi velint prædictas indulgentias lucrari, debent habitum recipere a Superioribus noſtri Ordinis, puta Generali, vel Provinciali, aut Guardiano; ex conceſſione Sixti IV. in Bulla aurea, quæ incipit: *Sacri Prædicatorum*, & *Minorum*: apud Cherub. *tom.* 1. qui quidem Superiores debent recipientibus declarare,

clarare,

Digitized by Google

clarare, eos teneri ſepeliri in Eccleſiis illorum Religioſorum, a quibus habitum recipiunt, nam aliter facientes nullam indulgentiam conſequuntur; deinde cadavera ſic induta deferri debent ad prædictas Eccleſias cum habitu patente, & diſcooperto, nullo pallio, vel tegumento ſuperimpoſito; quod ſub pœna excommunicationis præcipit Sixtus IV. in præcitatis ſuis Conſtitutionibus.

14. Si inconſultis Regularibus aliquis Defunctus induatur habitu Religioſo ab heredibus, vel a parentibus ex devotione, non gaudet dicto privilegio, niſi aſſumptio habitus a Superioribus approbetur, quæ approbatio cenſetur facta de facto per delationem cadaveris ad Eccleſiam præfatorum Regularium, qui etiam poſſunt concedere, ut corpus habitu ipſorum indutum alibi ſepeliatur; nam per hujuſmodi conceſſionem, ſeu permiſſionem jura ſua, aut privilegia minime amittunt, prout conſtat ex citato Marimagno Sixti IV. ita Caſarub. in comp. privil. *v. ſepultura §.* 12. Bordon. *tom.* 2. *conſ. regul. reſol.* 51. *num.* 56.

15. Nequeunt Religioſi, ac Moniales ſibi ſepulturam eligere, quia non habent velle, nec nolle, ſed ſepeliendi ſunt in propriis Eccleſiis, videlicet: Generalis in quovis loco ſuæ Religionis, Provincialis in ſua Provincia, Abbates, ceterique Superiores Locales, ac ſubditi in ſuis Monaſteriis, ſeu Conventibus, ubi reſident; conſtat ex cap. *Final. de ſepult. in* 6. & cum commun. docent Navarrus, Sanchez, & Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 51. *num.* 158. ſi vero extra Conventum decedant, in loco tamen ubi eſt Conventus ſuæ Religionis, ſepeliri debent in Eccleſia, ſive Cœmeterio Conventus, & quidem ſine licentia Parochi, qui nullam ſuperioritatem habet in Religioſum: prout in terminis fuit reſolutum a S. Congr. Concilii *die* 2. *Julii* 1620. Debet tamen aſportatio fieri de nocte ſine Cruce, & Proceſſione, ac modo privato.

16. Nec obſtat, quod Rituale Romanum *in Rubric. de Exequiis* prohibeat, ne corpora Defunctorum ſine ſolitis Ritibus deferantur; & S. Cong. Epiſcop. & Regul. *in una Cajetana* decreverit, id non eſſe permittendum; prout refert Pignatell. *tom.* 4. *conſultat.* 199. *num.* 10. nam hæc procedunt regulariter, non vero in aliquo caſu extraordinario, in quo uſus obtinuit, etiam Romæ, ob aliquas circumſtantias, præſertim ad evitandam populi admirationem, ut corpora privatim deferantur ad Eccleſiam, in qua facienda ſunt Funeralia. In caſu autem, quo aſportatio fieret cum pompa, & proceſſionaliter, tunc eſſet neceſſaria aſſiſtentia Parochi, ſi vellet intereſſe; hæc eſt enim conſuetudo, & ubi inolevit, ſervari debet: Petra *tom.* 2. Conſt. 2. Honorii III. *num.* 11. apud Mattheuc. *Official. quoad Sepulturas num.* 16.

17. Quando Regulares ex hac vita decedunt in locis remotis a Conventibus, ad quos commode aſportari non poſſunt, ſepulturam ſibi eligere valent; ſi vero eam non elegerint, debent in Parochia ſepeliri expenſis Monaſterii, ſeu Conventus, ubi moram trahebant. Locus remotus a Conventu cenſetur ille, a quo corpus Defuncti per unicum diem transferri nequit ad ipſum Conventum, neque ad alium ejuſdem Ordinis, cum per corruptionem cadaveris periculum ſit in mora; immo etiamſi eodem die transferri poſſit, ſed nonniſi cum gravi incommodo, poterit in Parochia ſepeliri: ita Sanchez *in Summ. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 3. 4. & 5. Navar. *tom.* 2. *conſil. Comment.* 2. *Regul. num.* 43. Roder. *tom.* 3. *q.* 6. *art.* 3. & alii.

18. Religioſi Novitii, Tertiarii collegialiter viventes, & continui Monaſteriorum, ſeu Conventuum commenſales poſſunt, ubi ipſis placuerit, ſepulturam eligere; prout conſtat ex cap. *Religioſi*, *de ſepulturis in* 6. ubi dicitur, quod Religioſi nequeunt ſibi eligere ſepulturam quia carent velle, ac nolle; ergo a contrario ſenſu (quod argumentum validiſſimum eſt in jure)

præ-

prædicti quia habent velle, ac nolle, cum adhuc ſint ſui juris, eam eligere poſſunt, & in hoc nulla eſt dubitatio; ſi vero illam non elegerint, debent apud Regulares ſuos ſepeliri, nam hæc eſt conſuetudo, & praxis, cum gaudeant privilegiis, quibus Regulares fruuntur. Mulieres tamen Tertiariæ (de quibus *ſupra cap. præced. num.* 4. dictum eſt) ſi ſine electione ſepulturæ, quam ubique poſſunt eligere, ex hac vita decedant, poſſunt, ac debent ſepeliri in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur: ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus ſepeliri debent ex Decret. S. Congr. Concilii, apud Mattheuc. *Official. quoad Tertiarios num.* 3. *§.* 5.

19. Si contingat aliquem ex Novitiis, vel etiam ex Tertiariis prædictis mori extra Conventum cauſa itineris, vel apud conſanguineos, tunc Sacramenta Viatici, & Extremæ Unctionis a Parocho eis adminiſtranda ſunt; Cadavera tamen a Superioribus ipſorum Regularibus per ſuos Fratres, vel per alios, etiam Parochis inconſultis, ad proprias Eccleſias, ſi remotæ non fuerint, & ſi commode fieri poſſit, deferri debent; nec ipſis Parochis quartam funeralem dare tenentur, cum ab eorum juriſdictione ſint exempti: prout decrevit S. Congr. Concilii die 2. Julii 1610. apud Bordon. *tom.* 2. *conſil. Regul. reſol.* 51. *num.* 209.

20. Invitis Regularibus nemo poteſt in eorum Eccleſiis ſepeliri, neque officia, ſeu exequias celebrare abſque expreſſa Superiorum Regularium licentia, non obſtante conſuetudine, ſeu abuſu in contrarium; conſtat ex Bulla 4. Clementis IV. quæ incipit: *Virtute conſpicuos*: apud Cherub. *tom.* 1. & ex Bulla 10. Julii II. quæ etiam incipit eodem modo, in quibus prædicta facere diſtrictius inhibetur. Idipſum confirmavit S. R. Cong. *in una Toletana* 19. Julii 1636.

21. Confratres Confraternitatum in Eccleſiis Regularium exiſtentium, cum non gaudeant eorum privilegiis, debent in Parochia ſepeliri, niſi alibi ſepulturam elegerint, prout diſpoſuit Innocentius X. in ſua Conſt. incip. *Ex injuncto*: apud Cherub. *tom.* 4. quod verum eſt, etiamſi in dictis Eccleſiis adeſſet ſepultura pro Confratribus: juxta Decretum S. Cong. Concilii relatum a Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 17. Quantum ad ſepulturam Cordigerorum utriuſque ſexus, S. Cong. Epiſcop. & Regul. *in una Senogallien.* 22. Novembris 1580. ſic obſervari mandavit; ſcilicet, Quod ubi adeſt ſepultura communis pro Cordigeris in Eccleſia Fratrum Minorum, ubi eſt erecta Confraternitas, ſepeliantur in ea; ubi vero non eſt talis ſepultura, moderentur ſicut ceteri Sæculares, & ſepeliantur in Parochiali Eccleſia, ſi non ſibi elegerint aliunde ſepulturam: apud Lantuſca in theat. Regul. *V. Confraternitas num.* 12.

22. Quibuſcumque ſive Clericis Sæcularibus, ſive Religioſis in virtute S. Obedientiæ, ſub interminatione maledictionis æternæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſervata eſt prohibitum, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent: conſtat ex cap. *Animarum, de ſepulturis in* 6. idque ultra pœnam excommunicationis prohibetur etiam ſub aliis pœnis latis *in Clement. Cupientes §. ſane de pœnis*.

23. Prædictæ pœnæ incurruntur, licet effectus ſepulturæ non ſit ſubſecutus, modo ſequatur effectus immediatus inductionis, hoc eſt electio per votum, juramentum, pactum, vel fidem interpoſitam, idcirco non ſufficit promiſſio de eligendo, ut dicatur inductio facta; ut docent Sayrus, D. Anton. & alii plures apud Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 51. *num.* 181. Locum tamen non habent contra inducentes ad eligendam ſepulturam in aliena Eccleſia, quod manifeſte conſtat ex eodem textu *Clement. cit.* neque contra ignoran-

tes

Digitized by Google

tes prohibitionem, dummodo ignorantia non ſit affectata: ita *comm. D. D.*

24. Viatores, Advenæ, & Peregrini in Conventibus Regularium caſu decedentes, de jure communi, & ex particularibus Decretis S. Cong. debent in Parochiali ſepeliri, quidquid in contrarium doceant nonnulli cum Roderico *tom. 2. quæſt. 67. art. 1.* nam S. Cong. Concilii *in una Ripana 3.* Novembris 1652. & in alia *Ravennaten.* 20. Januarii 1674. decrevit, ſpectare ad Parochos ſepelire, & ad proprias Parochias deferre cadavera eorum, qui in Monaſteriis, ſeu Conventibus recepti, ſepultura non electa, e vita migraverint: ita Antoncll. & Petra apud Mattheuc. *Official. quoad ſepulturas num. 14.* In caſu vero neceſſitatis, impotentiæ, diſtantiæ, vel alterius impedimenti poſſunt utique in præfatis Monaſteriis, ſeu Conventibus ſepeliri, prævia tamen licentia Parochi, vel ſaltem eo non reluctante, cui de expenſis in exequiis quarta funeralis debetur.

25. In Eccleſiis Regularium non poſſunt ſepulcra conſtrui, niſi facultate prius obtenta a ſuis Superioribus, qui illam dare non valent, niſi hujuſmodi conſtructio fiat ad præſcriptum Conſtitutionis S. Pii V. quæ incipit: *Cum primum*: apud Cherub. *tom. 2.* in qua *§. 6.* habetur, quod defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

26. Regulares nequeunt privare, vel auferre ſepulcrum illi cui conceſſum eſt; quia tale ſepulcrum reputatur tamquam hoſpitium, quo uſuarius invitus privari non poteſt *L. ſi hæreſi §. final. & L. ſequent. ff. de uſu, & habit.* Ita Angelus *V. ſepultura num. 41.* Lambertus *de jure patr. lib. 3. quæſt. 5. art. 4. num. 13.* Extinctis vero ſepulturæ Domino, ejuſque deſcendentibus, ſive heredibus, bene poſſunt Regulares aliis ſepulturam ejus concedere; ratio eſt, quia mortuo uſuario extinguitur illud jus, & reddit libere ad Eccleſiam, quæ ideo aliis libere illud concedere poteſt, niſi aliquid obſtet; idem dicendum de Capellis, quæ alicui intra Eccleſiam conceduntur: ita Peyrinus *tom. 3. in addit.* ad Conſt. Leonis X. *num. 49.* Bordon. *tom. 2. reſol. 51. num. 72.* Sanchez *lib. 2. Conſil. cap. 3. dub. 14. num. 4.*

27. Defunctorum cadavera perpetuæ ſepulturæ tradita non poſſunt, etiam in Eccleſiis Regularium, transferri de loco ad locum ſine licentia Epiſcopi, ex cap. *corpora 36. de conſecrat. diſt. 1.* & ita expreſſe ſtatuit Paulus V. in ſuo Rituali his verbis: *Nullum porro Cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum ex ulla cujuſvis Ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Epiſcopi*. Cadavera tamen depoſita ad tempus, poſſunt, eo finito, aſportari ad aliam quamcumque Eccleſiam abſque Ordinarii licentia: Bordon. *loc. cit. num. 89.*

28. Sicut Clerici non interdicti, qui ſervarunt interdictum, nec illius cauſam culpabilem dederunt, ita etiam Regulares gaudent privilegio ex cap. *Alma Mater*, 24 *de ſent. excom. in 6.* ut valeant ſepeliri tempore interdicti tam generalis, quam ſpecialis localis in propriis Eccleſiis; quia in favorabilibus veniunt ſub nomine Clericorum, non ſolum deputati ad Chorum, ſed etiam Laici Converſi, Novitii, & Tertiarii in communitate viventes, ut cum Navarro, Sayro, Avila, aliiſque docet Bonacina *de Cenſuris, diſp. 5. punct. 5. in fine*. Extat etiam privilegium Benedicti XII. conceſſum Fratribus S. Hieronymi Hiſpan. ita Portell. *V. interdictum num. 69.* Roder. in comp. *reſol.* 128. *num.* 5. idem conceſſit Clemens VII. in Conſt. incip. *Ex Clementi*: apud Confectium *pag.* 177. pro Carmelitis, aliiſque Regularibus per communicationem. Id tamen debet fieri ſine ſolemnitate, & ſine ſono campanarum, celebrando Divina Officia, & Miſſas ſine cantu, ſubmiſſa voce, & januis clauſis; quod ſi Cœmeterium extra Eccleſiam exiſtat, dicta Officia celebrari poterunt in Eccleſia, deinde cadaver ad Cœmeterium

cum

Digitized by Google

cum ſilentio transferri poterit: Bonac. *loc. cit.*

CAP. VII.

De Portione Canonica, ſeu de quarta Funeralium.

1. POrtio Canonica dicitur quædam pars, quæ jure debetur Parochis a quibuſcumque de rebus aliqua ratione ipſis provenientibus, vocaturque *Canonica portio* ex eo, quod a Canonibus inducta, & approbata ſit; nuncupatur quoque *quarta funeralis*, quia diverſi Pontifices, ſicut etiam Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.* portionem illam debitam Parochis pro Parochiani tumulo in Eccleſiis Regularium, de funeralibus, quæ cum corpore defuncti ſolita ſunt deferri, ad quartam partem taxarunt; nam funeralia dicuntur, quæ cum funere proceſſionaliter deferuntur: prout declaravit Benedictus XI. in Extravag. quæ incipit. *Inter cunctas de privil. in 6.* quæ quidem portio Parochis debita, vel propter Sacramentorum adminiſtrationem, aut propter alia onera, pro varietate temporum, regionum, locorum, & conſuetudinis diverſa eſt: conſtat ex cit. Extravag. *Inter cunctas*, & ex alia Bonifacii VIII. incip. *Super Cathedram, de ſepult.* necnon ex Clement. *Dudum de Sepult.* in qua agitur de Religioſis quartæ portioni Canonicæ ſubjectis, qui poſtmodum jure privilegiorum a ſolutione dictæ portionis fuerunt exempti eo modo, quo in ſequentibus reſolutionibus explicabitur.

2. Martinus V. & Eugenius IV. ſimul cum Sixto IV. in ſuo Marimagno incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, juri communi, & in ſpecie prædictæ Clementinæ: *Dudum* derogantes, Dominicanos, ac Ordines tres Minorum a ſolutione quartæ portionis exemerunt; quam exemptionem Nicolaus V. Carmelitis poſtea conceſſit cum revocatione præfatæ Clementinæ *Dudum*, quoad portionem Canonicam; & Julius II. in Conſt. incip. *Dudum ad Sacrum Ordinem*: §. 33. necnon Leo X. in Conſt. incip. *Exponi nobis*, Fratres Ordinis Minimorum a præfata ſolutione exemptos eſſe voluerunt; & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Parochis in ea Conſtitutione præcipitur, ne contra privilegia dictis Fratribus conceſſa, ab ipſis occaſione quartæ portionis directe, vel indirecte, quovis quæſito colore per ſe, vel per alios exigere, aut extorquere, vel alias ab ipſis Fratribus extorta, & indebite exacta retinere præſumant.

3. Sed quia poſtea inter Parochos, & Regulares inerant fortaſſe controverſiæ circa ſolutionem dictæ portionis, illi allegantes jus eam exigendi, iſti vero adducentes privilegia eamdem non ſolvendi, idcirco Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 13. de Reform.* ſubſequens edidit Decretum: *Decernit Sancta Synodus quibuſcumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio, aliis Monaſteriis; Hoſpitalibus, aut quibuſcumque lociis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam Marimagno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.*

4. Cum igitur præfatum Decretum editum, & promulgatum fuerit die 4. Decembris anni 1563. ut conſtat ex dicta *ſeſſ. 25.* idcirco Monaſteria, Conventus, ſeu loca fundata ante annum 1523. ideſt quadraginta annis ante prædictum Decretum, ſi conſuetudinem habebant ſolvendi Eccleſiæ Parochiali quartam funeralem, etiam tenentur in poſterum eamdem perſolvere, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis in contrarium, quibus Tridentinum quoad hoc derogare intendit. Si autem ante illud tempus ſolvere non conſueverunt, nec

nec in futurum ſolvere tenentur, prout ex eodem Decreto manifeſte patet.

5. Poſt Tridentini Decretum S. Pius in ſua Conſtit. 41. incip. *Etſi Mendicantium Ordines*, §. 2. *num.* 11. idem Decretum declarans ait: *Quartam autem funeralem, de qua ſeſſ. 25. cap. 13. nequaquam ſolvere teneantur Monaſteria, quæ a quadraginta annis citra fundata exiſtunt, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantum de Monaſteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipſam quartam ſolvere conſueverunt; & ubi ſolvi conſuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus locis deferri contigerit, tempore quo Defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeu Legatis, vel aliis, Fratribus ipſis, ſeu Monialibus relictis, aut alias quomodolibet donatis, ſolvi debet, ſicque intelligi Concilii Decretum quoad ad quartam hujuſmodi ſolvendam debere decernimus. Ubi vero non eſt conſuetudo ſolvendi quartam hujuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolvi debere declaramus.* Idem decrevit Clemens VIII. in Bulla incip. *Quod ſemel*, & Paulus V. in Bulla incip. *Decet Romanum Pontificem:* apud Cherub. *tom.* 3. in favorem Carmelitarum, aliorumque Regularium per communicationem.

6. Prædicta tamen privilegia pro Monaſteriis, aliiſque Regularium locis intra Italiam, eique Inſulas adjacentes exiſtentibus, moderata, reformata, ad viam juris reducta, & quatenus opus ſit, etiam revocata fuerunt in Concilio Romano anno Jubilæi 1725. in Baſilica Lateranenſi a Benedicto Papa XIII. celebrato, edita Conſtitutione incip. *Romanus Pontifex*, in qua §. 4. habentur ſubſequentia verba.

Præterea motu proprio, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſancimus, ſtatuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, a die publicationis præſentis Conſtitutionis in futurum Parochis Defunctorum, qui in Eccleſiis quorumcumque Regularium tumulabuntur, perſolvatur, & cum effectu tradatur quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, necnon omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A prædicta tamen quarta funerali exceptæ intelligantur, & ſint Candelæ, quas Sacerdotes etiam Regulares, vel piarum ſodalitatum Confratres funus aſſociantes, manualiter per viam accenſas deferunt. Quod ſi funus non fieret in die tumulationis, ſed ad diverſam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus aſſignetur quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipſamet peracti funeris die in Eccleſia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cænotaphium, ſeu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejuſdem Eccleſiæ accenſa fuerint. Hæc porro omnia locum habeant, & exacte in poſterum obſerventur, quotieſcumque Defunctus extra ſuam Parochialem Eccleſiam tumuletur, vel exponatur, ſive quia in Eccleſia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, ſive quia ibidem ſepulchrum habuerit gentilitium, ſive tandem quia in ea ſepulturam elegerit. Ceterum ſub prædicta quarta funerali comprehendi non intendimus, immo expreſſe ab ea excipimus legata Miſſarum, & Anniverſariorum, hiſque ſimilia pia relicta ad favorem Eccleſiæ tumulantis, vel exponentis a Defuncto depoſita; circa quæ, ac omnia, & ſingula alia, de quibus in præſenti Conſtitutione mentio facta non fuit, privilegia Regularibus Ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſa, ſalva prorſus, illæſa, ac inviolata perpetuo permanere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore, quomodocumque ſpectabit, inconcuſſe, & irrefragabiliter obſervari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi vero conſuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ,

vel ſtatuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illiſque pinguiorem prædicta quarta emolumentorum funeralium portionem aſſignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis, inconcuſſe ab omnibus obſervari motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, ſancimus, ſtatuimus, præcipimus, & jubemus.

7. Conventus exiſtentes in locis non comprehenſis in præfata Conſtitutione, ædificati poſt annum 1523. vel ſi ante illum annum fundati, non erant tamen ſoliti, ob privilegia ipſis conceſſa, ſolvere Parocho quartam funeralem, nec illam modo ſolvere tenentur, etiamſi aliquis Superior, vel ignarus privilegiorum, vel nimis timidus non audeat reſiſtere temeritati alicujus Parochi ſibi uſurpantis quod non debet; non enim poteſt dici conſuetudo introducta ob aliquos actus contra privilegium factos, immo unum Monaſterium nequit juri totius Religionis, quale eſt privilegium de non ſolvenda quarta, renunciare; prout diximus *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. Quod verum eſt, etiamſi ille mos ſolvendi quartam ſpatio 40. annorum in illo Monaſterio cucurriſſet, nam contra bona, & jura Regularium non currit niſi centenaria præſcriptio, ut dictum eſt in *cit. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 9.

8. Ubicumque aliquis Novitius Regularis decedit ex hac vita cum habitu Regulari extra Conventum, ubi de licentia Superiorum in domo parentum curandæ valetudinis cauſa exiſtebat, non debetur Parocho quarta funeralis, etiamſi in illo Conventu, vel Eccleſia Regulari, ad quam defertur, mos ſit quartam funeralium ſolvere; ratio eſt, quia hujuſmodi obligatio ſolvendi quartam Parocho, eſt tantum reſpectu illius Parochianorum: Novitius revera non eſt Parochianus ipſius Parochi, quia in ejus Parochia domicilium non habet, ſed incidenter ibi reperitur, & privilegiis Religionis, cujus habitum aſſumpſerat, gaudet: ita cum aliis Portell. *V. Canonica portio num.* 2. *in addit.* Quod pariter de profeſſis a fortiori intelligendum eſt. Si vero Novitius decedens extra Conventum elegit ſibi ſepulturam in Eccleſia Parochiali, quam profecto, cum habeat velle, & nolle, poteſt ubique eligere, ut dictum eſt *cap. præced. num.* 18. tunc Parocho ſolvenda ſunt omnia, quæ de jure ad eumdem ſpectant. Quod dictum eſt de Novitio, idem de Tertiario collegialiter, ſeu in communitate vivente dicendum eſt.

9. Mulieres Tertiariæ votum caſtitatis emittentes (*ut ſupra cap.* 5. *num.* 4.) ſi ſepeliantur in Eccleſiis Regularium, quorum habitum gerebant, & ſub quorum obedientia degebant, gaudent etiam privilegiis præfatis, atque adeo cum ſint a Parochi, & Epiſcopi juriſdictione exemptæ, & Regularium juriſdictioni ſubjectæ, non eſt pro ipſis quarta funeralium Parocho ſolvenda: ex Decretis S. Congregat. Concilii 1615. & 1620. editis, relatis a Bordon. *tom.* 2. *conſil. Regul. reſolut.* 51. *num.* 209. niſi aliud obſtet.

10. Pro Peregrinis, & Viatoribus extra propriam Parochiam decedentibus, & ſepulturam apud Regulares eligentibus, non eſt Parocho ſolvenda quarta funeralium, quia illi non ſunt Parochiani dicti Parochi, licet alias præfati Regulares ſoliti ſint ſolvere quartam reſpectu eorum, qui peregrini, & advenæ non ſunt, ſed Parochiani; prout ſtatuit S. Congr. Concilii *in una Piſaurien.* 22. Januarii 1628. aſſerens, quod jus ſepeliendi peregrinos, & viatores ſpectat ad Eccleſiam Cathedralem; propterea ſi moriantur extra limites Cathedralis, & eligant ſepulturam apud Regulares, hi non tenentur Parocho quartam ſolvere pro defunctis, qui ad ejus Parochiam non ſpectent: Barboſa in Collect. Conſt. Apoſtol. *V. Quarta.* Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 51. *num.* 206. & alii.

11. In Monaſteriis, ſeu Conventibus extra Italiam, eique Inſulas adjacentes exiſtentibus, in quibus vigent

gent privilegia non ſolvendi quartam funeralem juxta Decretum Tridentini *n.* 3. relatum, Parochi nihilominus cogentes Regulares ad eam ſolvendam, aut per vim illam auferentes, vel in ipſa Eccleſia, vel ante ingreſſum, incurrunt pœnas excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis ſuorum beneficiorum, & officiorum cum inhabilitate &c. ex Conſt. 6. Sixti IV. incip. *Regimini*: apud Cherub. *tom.* 1. & licet ibidem loquatur tantum de Dominicanis, & Minoribus, iiſdem tamen privilegiis alii Regulares per communicationem fruuntur.

12. Quarta, quæ funeralium dicitur, nihil aliud eſt quam quarta pars intorticiorum, vel cereorum, quæ ab ædibus defuncti uſque ad Eccleſiam Regularium, ubi cadaver ſepeliendum eſt, circa funus deferuntur; non quæ a Regularibus, & Confraternitatibus Sæcularium funera aſſociantibus manualiter geſtantur, neque Candelarum, & Cereorum, quæ ſuper Altaribus, & circa corpus accenduntur, neque legatorum, quæ pro Anniverſario, vel Miſſarum celebratione Regularibus donantur: ut conſtat ex Extravag. *Inter cunctas*, Benedicti XI. & ex aliis Conſtit. Apoſtol. relatis ſupra. Quid pro Italia, eique adjacentibus Inſulis ſancitum ſit, vide ſupra *num.* 6.

13. Advertendum tamen, quod circa prædicta ſervari debet locorum conſuetudo, prout Tridentinum, & Conſtitutiones Apoſtolicæ diſpoſuerunt; debitum enim ſervandæ conſuetudinis eſt in terminis æquitatis, ob quam debet attendi, ne præjudicium aliquod, vel Regularibus, aut Parochis inferatur: nam in aliquibus locis praxis eſt, ut pompa funeris intra Eccleſiam celebretur, & nihil fere cum corpore defuncti deferatur; vel etiam contingit, ut poſtquam cadaver ſepultum eſt, ad alium diem funus transferatur, & majori pompa celebretur: idcirco ad vitandas fraudes, & lites ſervetur conſuetudo cum æquitate: Barboſa *de off. & poteſt. Parochi cap.* 25. *num.* 38. Donatus *tract.* 11. *quæſt.* 11. *num.* 2. & alii.

14. In caſu, quo Regulares ad quartam ſolvendam ſe non teneri ſuſtineant, Parochis probare incumbit quadragenariam conſuetudinem, eoſque quadraginta annis ſupra publicationem Tridentini eam ſolvere conſueviſſe; ut in terminis reſpondit S. Congr. Concilii in cauſa Minorum de Obſervantia Provinciæ Poloniæ 14. Novembris 1682. ut refert Mattheucci *Official. quoad quartam funeralium num.* 9.

15. Parochi, ſeu Rectores Eccleſiarum Parochialium ab iis, qui in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, eam tantum quærere tenentur eleemoſynam, quæ a Tridentino præſcripta, & a S. Pio V. explicata fuit, videlicet quartam funeralium, ubi erat conſuetudo eam ſolvendi ante annum 1523. Qui autem majorem eleemoſynam, ultra expreſſam a S. Pontifice, exigere præſumit quovis prætextu, aut occaſione, etiam de conſilio, vel mandato ſuorum Ordinariorum, incurrit ipſo facto excommunicationem Summo Pontifici reſervatam: prout conſtat ex Bulla 47. Pauli V. quæ incipit: *Expoſitum nobis*: apud Cherub. *tom.* 3. Neque poteſt plus percipi in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, quam in eis quæ in Parochialibus, aut alibi fiunt: ex Decreto Urbani VIII. relato a Peyrino *tom.* 3. *de privil. in addit.* Conſt. 20. ejuſd. Pontif. & a Bordono *tom.* 2. *in fine reſol.* 51. quod etiam poſtea declaravit S. Cong. Epiſcop. & Regul. apud Samuel. *de ſepult. tract.* 1. *controv.* 13. *concluſ.* 5.

16. Præter excommunicationem præfatam Papæ reſervatam, quam incurrunt Parochi, ſeu Rectores Eccleſiarum Parochialium, poſſunt etiam denunciari Tribunali S. Officii, & ab Inquiſitoribus ejuſdem, ut ſuſpecti de hæreſi, & flocci facientes Conſtitutiones Apoſtolicas, puniri: prout con-

ſtat ex Bulla 21. Urbani VIII. incip. *Dilectis filiis hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus*: apud Cherub. *tom.* 4. in qua refert de verbo ad verbum, innovat, confirmat, & roborat ſupradictam Pauli V. Conſtitutionem, ac omnino vult ut ſervetur quoad funeralia Decretum Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. juxta declarationem S. Pii V. relatam ſupra *num.* 5. Et licet Conſtitutio Paulina emanata fuerit tantum in favorem Fratrum, & Monialium Ordinis Minorum de Obſervantia in Indiis Occidentalibus, & Orientalibus exiſtentium; verumtamen omnibus aliis Regularibus totius Orbis terrarum per communicationem competere, nemini eſt ambigendum. Vide quæ dicta ſunt *tract.* 1. *cap.* 8. *de privil. communicat.*

C A P. VIII.

De Indulgentiis, quibus Regulares fruuntur.

1. HIc non intendo tractare de Indulgentiis in communi, neque de cauſis, natura, & eſſentia earum, de quibus, quicumque velit, conſulat D. D. ſuſe tractantes; nunc ſermo erit de Indulgentiis, quibus Regulares potiuntur. Sed quia Paulus V. die 23. Maii 1606. Pontificatus ſui anno primo per ſuam Conſtitutionem 21. quæ incipit: *Romanus Pontifex in Beati Petri Sede*, apud Cherub. *tom.* 3. revocavit omnes, & ſingulas Indulgentias per Anteceſſores ſuos conceſſas quibuslibet perſonis Regularibus utriuſque ſexus cujuſvis Ordinis, illaſque annullavit, earumque loco alias de novo conceſſit, & taxavit, ſtatuens quod Regulares præfati ſolum conceſſis, & nominatim expreſſis ab eo in dicta Conſtitutione gauderent; idcirco eaſdem in ſequentibus paragraphis juxta tenorem Conſtitutionis adnotabo.

§. 1. „ Omnibus Chriſtifidelibus, qui „ canonice, & juxta ordines cujuslibet „ Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum Regularem a legitimis Superioribus cauſa profitendi in „ illo ſuſceperint, die primo eorum „ ingreſſus in ipſam Religionem, ſi „ vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceperint, Indulgentiam Plenariam „ dictus Pontifex conceſſit.

§. 2. „ Ac cuilibet Novitio, qui „ pœnitens, & confeſſus, ac Sacra „ Communione refectus poſt completum „ probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

§. 3. „ Necnon cuilibet Religioſo „ intra Clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & Sacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum „ concordia, hæreſum extirpatione, „ Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias „ ad Deum preces effuderit, etiam Plenariam.

§. 4. „ In cujuslibet vero mortis „ articulo, ſi pariter vere pœnitens, „ & confeſſus, ac Sacra Communione „ refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin autem corde devote invocaverit, etiam Plenariam.

§. 5. „ Qui vero ad Presbyteratus „ Ordinem canonice promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrabit, „ necnon etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac Sacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, „ aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

§. 6. „ Iis vero, qui de ſuorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, „ & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem, & ſpiritum „ inducentium lectionibus operam „ ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes, & meditationes Myſteriorum Fidei Catholicæ, divinorum

„ norum beneficiorum, quatuor No„ viſſimorum, Paſſionis D. N. Je„ ſu Chriſti, & aliorum exercitiorum, „ orationum jaculatoriarum, aut vo„ calium, ſaltem per duas horas in „ diem, & noctem orationibus menta„ libus ſe ſe exercendo, faciendo eo„ dem tempore Confeſſionem genera„ lem, aut annualem, vel ordinariam, „ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramen„ tum ſumpſerint, aut Miſſam cele„ brabunt, quoties pro quolibet exer„ citiorum prædictorum Plenariam ſi„ militer omnium peccatorum ſuorum „ Indulgentiam, & remiſſionem miſe„ ricorditer in Domino concedimus.

ſ. 7. „ Præterea iidem Religioſi in„ tra clauſtra viventes, qui ſuam Ec„ cleſiam devote viſitaverint, & ut „ præfertur, oraverint, conſequantur „ eaſdem Indulgentias, quas viſitantes „ Eccleſias Urbis, & extra eam die„ bus ſtationum conſequuntur, in om„ nibus diebus perinde ac ſi ipſas Ur„ bis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

ſ. 8. „ Omnibus item Religioſis in„ tra clauſtra, ut ſupra, viventibus, „ qui quinquies Orationem Domini„ cam, & toties Salutationem Ange„ licam ante Altare eorum Eccleſiæ „ in quolibet die, quinque annos, & „ totidem quadragenas.

ſ. 9. „ Iis vero, qui de ſuorum Su„ periorum licentia in itinere exiſten„ tes, aut extra clauſtra degentes tam„ quam Prædicatores, & Lectores, „ quinquies eamdem Orationem Do„ minicam, & toties Salutationem „ Angelicam ante quodlibet Altare ſi„ militer dixerint, etiam quinque an„ nos, & totidem quadragenas.

ſ. 10. „ Necnon etiam eiſdem Re„ ligioſis, qui per menſem integrum „ ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ „ orationem mentalem fecerint, & „ confeſſi, & Sacra Communione ul„ tima Dominica Menſis hujuſmodi „ refecti fuerint, ſexaginta annos, & „ totidem quadragenas.

ſ. 11. „ Qui vero contrito corde, & „ pœnitentes, eorum culpas, & pec„ cata, ac imperfectiones in Capitulis „ culparum accuſabunt, & ſpirituali„ ter communicabunt, & exercitium „ virtutum facient, tres annos, & to„ tidem quadragenas.

ſ. 12. „ Quotieſcumque autem de „ licentia Summi Pontificis, aut ſuo„ rum Superiorum in ditiones, & ter„ ras Infidelium, aut Hæreticorum ad „ concionandum, aut Catholicos do„ cendum, vel Infedeles, aut Hæreti„ cos ipſos ad Fidem Catholicam con„ vertendum, & Eccleſiæ gremio re„ ducendum miſſi fuerint, ſi pœniten„ tes, & confeſſi, ac Communione „ Sanctiſſima refecti fuerint, vel Miſ„ ſam celebraverint, ut melius ad hu„ juſmodi opus ſe ſe parare valeant, „ pro duabus vicibus, videlicet quan„ do itineri ſe accingent, & quando „ in Provinciam, ubi prædicta opera „ eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, „ Plenariam omnium peccatorum ſuo„ rum Indulgentiam, & remiſſionem „ miſericorditer in Domino pariter „ concedimus, & elargimur.

ſ. 13. „ Et inſuper cum Superior „ in Viſitationibus generalibus oratio„ nes quadraginta horarum pro bono „ Viſitationis progreſſu collocare vo„ luerit, iis Religioſis, qui dictis ora„ tionibus ſaltem ſpatio duarum hora„ rum in diverſo tempore interfuerint, „ & ibi pro Chriſtianorum Principum „ concordia, hæreſum extirpatione, „ Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ „ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon „ diſciplinæ, & obſervantiæ regularis „ augmento, pias ad Deum preces, „ ut dictum eſt, effuderint, ſi confeſ„ ſi, & Sacra Communione refecti „ fuerint, aut Miſſam celebraverint, „ Plenariam ſimiliter omnium pecca„ torum Indulgentiam, & remiſſio„ nem, ut præfertur, concedimus.

ſ. 14. „ Volumus autem, ut omnes „ ſupradictæ Indulgentiæ, & gratiæ „ Religioſis Regularibus cujuſvis Or„ dinis, tam Monaſtici, quam Men„ dicantis dumtaxat, ut præfertur, „ conceſſæ, etiam omnibus Moniali-

P 3 „ bus

„ bus cujuſvis Regulæ approbatæ, & „ intra clauſtra cum tribus votis ſo- „ lemnibus viventibus, & perpetuam „ clauſuram ſervantibus, tam Ordina- „ riis Locorum, quam Regularibus „ cujuſcumque Ordinis, Regulæ, & „ Inſtituti ſubjectis, ſuffragentur. Præ- „ ſentibus perpetuis futuris tempori- „ bus duraturis.

§. 15. „ Ceterum omnes, & quaſ- „ cumque Indulgentias quibuſcumque „ Ordinibus, & Inſtitutis Regularibus „ hujuſmodi, etiam Mendicantibus, „ & quibuslibet perſonis Regularibus, „ tam vigore privilegiorum, & litte- „ rarum Apoſtolicarum, quam vivæ „ vocis oraculo, aut alias quovis mo- „ do per Romanos Pontifices præde- „ ceſſores noſtros, ac nos, & Apoſto- „ licam Sedem hactenus conceſſas, con- „ firmatas, approbatas, & innovatas, „ auctoritate, & tenore prædictis per- „ petuo caſſamus, annullamus, & ab- „ rogamus, & ad præſentium noſtra- „ rum litterarum præſcriptum reduci- „ mus, & moderamur. Non obſtanti- „ bus quibuſcumque. Romæ die 10. „ Maii 1606.

2. Cum poſt præfatam Indulgentia- rum revocationem plures aſſererent, eaſdem per privilegiorum confirmatio- nes priſtino valori fuiſſe reſtitutas; id- circo Alexander VII. die 18. Maii 1666. illis ſuper hoc ſilentium indixit, ſe- quentem propoſitionem damnans: *In- dulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt reva- lidatæ*. Per generalem enim privile- giorum confirmationem ſine ſpeciali mentione, & expreſſione Indulgentia- rum, non innovantur, nec confirman- tur Indulgentiæ revocatæ, quia juxta regul. 81. juris in 6. *In generali con- ceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

3. Licet Paulus V. in ſua præfata Conſtitutione dicat a ſe revocari In- dulgentias, *quibuſcumque Ordinibus, & Inſtitutis Regularibus, etiam Men- dicantibus, & quibuslibet perſonis Religioſis conceſſas*; Decretum tamen de Apocryphis Indulgentiis a S. Cong. Indulgentiarum die 7. Martii 1678. editum, & ab Innocentio XI. appro- batum, declarat: *Nullius eſſe roboris Indulgentias perſonis Regularibus qua- rumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, conceſſas*; atque adeo ſequitur, eas dumtaxat revoca- tas, & abrogatas eſſe, quæ directe, & principaliter conceſſæ erant ipſis Regularibus, non vero eas, quæ Ec- cleſias Regularium viſitantibus erant, & ſunt conceſſæ. Vide Lanuſcam, *V. Indulgentia*, *& V. Confraternitas num.* 11. Mattheuc. *Official. quoad In- dulgentias num.* 3. neque eas, quæ perſonis de Tertio Ordine ſubſtantialia Religionis vota non emittentibus, in- tra, vel extra clauſtra degentibus erant pariter, & ſunt conceſſæ, ut patet ex Conſt. Innoc. XI. incip. *Alias*: die 10. Octobris 1686. edita; *apud direct. trium Ord. art.* 6. *conſt.* 1.

4. Ex dictis colligitur, Pontificem non prohibuiſſe, quin Regulares poſ- ſint lucrari Indulgentias locales, cum non debeant in hoc eſſe deterioris con- ditionis quam ceteri Sæculares, neque revocaſſe Indulgentias Confraternitati- bus Roſarii, Chordigerorum, Carmeli- tarum, Centuratorum, & ſimilium conceſſas; neque Regularibus conceſ- ſas pro animabus Purgatorii, prout idem Pontifex, paulo poſt revocatio- nem præfatam, declaravit. Idem di- cendum de Coronis, Roſariis, Imagi- nibus, & Numiſmatibus, quæ Medal- lias appellant, quibus aliqua Indulgen- tia eſt conceſſa, non comprehenſis in Decreto de Apocryphis Indulgentiis, *ut infra*; nam hujuſmodi Indulgentiæ non ſunt perſonales, ſed reales. Pro oſculantibus habitum noſtrum Regu- larem Joann. XXII. conceſſit 5. annos, & totidem quadragenas indulg. qui ſunt dies 2075. Vide Portell. *V. habi- tus in addit. num.* 4. *collect. privil. V. Indulgentia quoad Sæculares* §. 9. *n.* 6. Roder. *tom.* 2. *q.* 26. *art.* 7. Sanct. *inſtat. cap.* 2. *ſtat.* 72. *pag.* 285. & hæc Indulg. non eſt revocata a Paulo V.

5. In-

Digitized by Google

5. Indulgentia Portiunculæ à Chriſto Domino immediate impetrata per S. P. N. Franciſcum, numquam revocata fuit, neque ſub generali revocatione venire poteſt, cum ſit nomine ſpecialiſſimo decorata, in toto Orbe terrarum unica, & a pluribus Summis Pontificibus confirmata; & licèt Honorius III. illam ad unicam diem reſtrinxerit, Gregorius tamen Papa XV. in litteris in forma Brevis die 4. Julii 1622. expeditis, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pœnitentibus, & Confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, etiam Reformatorum, ubicumque exiſtentium, die ſecunda Menſis Auguſti a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, annis ſingulis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit, quam poſtea Innocentius XI. in ſuis litteris etiam in forma Brevis die 22. Januarii 1687. expeditis, applicari poſſe per modum ſuffragii Animabus Defunctorum indulſit. Deinde Innocentius XI. in ſua Conſt. 46. incip. *Redemptoris*, Indulgentiam plenariam in quocumque die Eccleſiam S. Mariæ Angelorum Ordinis Minorum de Obſervantia prope, & extra muros Civitatis Aſſiſien. viſitantibus conceſſit.

6. Sed quia in Decreto de Apocryphis Indulgentiis S. Congr. Indulgentiarum declaravit, *Semel tantum in die Indulgentiam plenariam lucrefieri*: & nihilominus Fratres Minores Reformati Provinciæ Carniolæ populo perſuadebant, Indulgentiam Portiunculæ eorum Eccleſiam viſitantibus conceſſam, toties, quoties eadem die lucrifieri poſſe; idcirco Epiſcopus Labacenſis a S. Cong. Concilii declarari petiit, an præfata Indulgentia ſub dicto Decreto comprehenderetur, quæ reſpondit, *ſervandum eſſe ſolitum*: Mattheuc. *Official. quoad Indulgentias num.* 5. An Indulgentia Portiunculæ obtineri poſſit per viam communicationis, nonnulli affirmant, alii vero probabilius negant, *ibidem num.* 18.

7. Per præfatam Indulgentiarum revocationem minime cenſetur revocata Indulgentia illa, ſeu Indulgentiarum cumulus, quem Leo X. anno 6. ſui Pontificatus vivæ vocis oraculo, manu tamen Laurentii Cardinalis Pucci Papæ Officialis, & commenſalis die 1. Septembris 1518. firmato, omnibus Fratribus Ordinis S. P. N. Franciſci Obſervantibus, & Reformatis, necnon Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis conceſſit; videlicet, quod dicendo quinquies Pater noſter, & totidem Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ, Chriſtianorum Principum concordia, & Hæreſum extirpatione, nec non pro Sanctitate ſua unum Pater, & Ave ſimiliter cum Gloria Patri, lucrentur ſtationes, Indulgentias, & remiſſiones tam Urbis, quam etiam Portiunculæ, Hieruſalem, & S. Jacobi in Compoſtella in quacumque hora diei, vel noctis, & in quocumque loco; ſcilicet in Choro, Eccleſia, Clauſtro, Oratorio, ac Cella recitentur. Ratio eſt, 1. quia hujuſmodi Indulgentiæ non ſunt perſonales, ſed locales, quas revera dictus Pontifex non revocavit: 2. quia hæc non fuit conceſſio Indulgentiarum, ſed privilegium conceſſum ad effectum lucrandi Indulgentias dictis ſacris locis jam conceſſas, quas proculdubio ſicut ceteri Sæculares, poſſunt etiam conſequi Regulares, cum deterioris conditionis non ſint; præfatus enim Pontifex Leo X. ſolum diſpenſavit, ſeu potius commutavit viſitationem perſonalem dictorum locorum piorum in recitationem prædictam in Eccleſia, Choro, Clauſtro, Oratorio, & Cella Conventus perſolvendam.

8. Nec obſtat dicere, quod hujuſ-

modi conceſſio fuit facta vivæ vocis oraculo, & quod oracula vivæ vocis fuerunt a Gregorio XV. & ab Urbano VIII. revocata; nam reſpondetur, 1. quod Conſtitutiones iſtorum Pontificum oraculorum revocatoriæ tamquam pœnales, & odioſæ nullo modo ſe extendunt ad illa oracula Indulgentias concedentia, cum odia ſint reſtringenda, & beneficia amplianda, indulgentiæ enim nec numerantur, nec venire commode poſſunt nomine privilegiorum, ſed ſunt omnino diverſa, & a diverſis non fit illatio, propterea numquam revocatæ intelliguntur, niſi in ſpecie revocentur: 2. quia omnia prædicta oracula per Paulum V. Gregorii, & Urbani prædeceſſorem in ſua 19. Conſt. incip. *Injuncti nobis*, apud Cherub. *tom.* 3. motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine fuerunt confirmata, & de novo conceſſa: ergo in præfatis revocatoriis comprehendi non poterant, cum non eſſent amplius oracula, ſed privilegia bullata, ut dixi ſupra *tract.* 1. *cap.* 7. *de revocat. Oracul. a num.* 5. *& ſeqq.* 3. quia dato, & non conceſſo, quod etiam poſt citatam Pauli V. Conſtitutionem remanſerint oracula, & non privilegia bullata, adhuc aſſertio noſtra eſt certiſſima; ratio eſt, quia Gregorius in ſua Bulla oraculorum revocatoria declaravit non eſſe in ea comprehenſa illa oracula, quæ ante revocationem ſuum effectum erant jam ſortita; ſed conceſſio præfati cumuli Indulgentiarum a Leone X. facta ſtatim ſuum effectum ſortita fuit, ab univerſo Ordine Seraphico recepta, & ad praxim quotidianam deducta: ergo confirmatur, quia licet Urbanus in ſua revocatoria expreſſe comprehenderit omnia oracula, quæ conceſſa fuiſſent etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & S. R. E. Cardinalium, excipere tamen voluit illos Officiales, quibus ratione munerum ſuorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi ſolebat, Officiales enim præcipui Papæ ſunt S. R. E. Camerarius, Vicecancellarius, Major Pœnitentiarius, Datarius, continui Commenſales, aliique permulti, quos retuli ſupra *tract.* 1. *cap* 7. *num.* 12. ſed præfatus Laurentius Cardinalis Puccius, ad cujus inſtantiam dictum privilegium a Leone X. fuit conceſſum, erat ejuſdem Pontificis Datarius, & continuus Commenſalis, & per conſequens unus ex illis Officialibus ab Urbano VIII. exceptis, ergo numquam fuit revocatum: vide P. Viva *in expoſit. propoſ. damnat.* ab Alexandro VII. *propoſ.* 37. Lantuſca in Theatro Regul. *v. Magna Indulg. ſtatio num.* 3. Roder. in comp. *reſol.* 77. *v. Indulgentia num.* 47. Rubr. noſtri Breviarii particul. *tit.* 8. *num.* 88. *&* 89.

9. Poſt dictam revocationem factam a Paulo V. anno 1606. idem Pontifex anno 1608. die 28. Junii inſtante P. Ludovico a S. Joanne Evangeliſta Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia familiæ Ultramontanæ Commiſſario Generali, conceſſit Fratribus ejuſdem Ordinis, Tertiariis, & Chordigeris utriuſque ſexus recitantibus coronam B. M. V. quæ conſtat ex 72. Ave Maria, & 7. Pater noſter, addito in fine uno Pater, & Ave pro anima ejuſdem Pontificis, Indulgentiam plenariam, quam prius conceſſerat Leo X. in ſua Bulla, quæ habetur *in Monum. Ord. fol.* 63. *conceſſ.* 204. de qua extat publicum monimentum impreſſum Romæ die 19. Januarii 1609. prout teſtantur Rodericus in ſuo comp. *reſol.* 77. *num.* 45. Lantuſca in Theatro Regular. *v. Magna Indulgentia n.* 3. Peyrinus *tom.* 3. *privil. Regul. in addit.* ad Conſt. Pauli V. *cap.* 10. *n.* 59. Ultraquamquod f. m. Innocentius XI. per ſuas litteras in forma Brevis, quod incipit: *Exponi nobis*, die 15. Maii 1688. expeditas, firmam eſſe voluit, & ſancivit; ut manifeſte patet ex Rubr. particul. noſtri Breviarii *tit.* 8. *num.* 90. quas f. m. Innocentius XII. anno 1697. cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica confirmavit, pariter & approbavit,

Digitized by Google

vit, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjecit, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint, ſupplevit. *Ibidem*.

10. Tertiarii utriuſque ſexus Ordinum Prædicatorum, & Minorum, eorumque directioni ſubjecti, juxta declarationes ſupra *cap.* 5. *de exemptione Tertiar.* relatas, gaudent omnibus Indulgentiis conceſſis, & concedendis, (non tamen revocatis) quibus Fratres, & Moniales dictorum Ordinum fruuntur; prout conſtat ex Bulla aurea Sixti IV. ſæpius ſupracitata, apud Cherub. *tom.* 1. vide etiam *comp. privil. Mendicant. v. Tertiarii num.* 9. & Rubr. particul. noſtri Breviarii *tit.* 12. *num.* 173. Suas quoque Indulgentias peculiares habent Tertiarii utriuſque ſexus aliorum Ordinum, de quibus tum brevitatis gratia, tum etiam quia notitia certa haberi non poteſt, hic non fit mentio; propterea unuſquiſque poterit ipſorum Ordinum peritos conſulere, & de Indulgentiis eis conceſſis inquirere.

11. Chordigeri quoque, ſive Confratres Chordæ S. P. N. Franciſci, necnon Conſorores omnibus, & ſingulis Indulgentiis, ac peccatorum remiſſionibus, & pœnitentiarum relaxationibus, quibus Fratres Minores fruuntur, ſimiliter gaudent: ut patet ex Brevi Gregorii XV. incip. *Pias Chriſti*: die 10. Novembris 1622. edito, cujuſque cum prædictis, & aliis quam pluribus mentio habetur in Summario Indulgentiarum a S. Congreg. Reliquiis, & Indulgentiis præpoſita, die 14. Januarii 1681. pro eiſdem Chordigeris approbato: *ex Rubric. cit. tit.* 12. *num.* 167. Et quoties confeſſi, ac Sacra Communione refecti intervenerint proceſſionibus Confraternitatis Chordigerorum hujuſmodi ſingulis Menſibus fieri ſolitis, plenariam omnium ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem conſequuntur; prout eis perpetuo conceſſit Sixtus V. in ſua Bulla, quæ incipit: *Divinæ Charitatis altitudo*, anno 1587. edita: & habetur apud Emmanuel Roder. *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 58. *art.* 1. & in Bullar. ejuſdem *tom.* 2. *Bulla* 8. *in Sixto V.* & apud Cherub. *tom.* 2. Requitur tamen quod Chorda ſit benedicta, ſuſcepta, ac cincta a Superioribus Ordinis, etiam Guardianis, & Præſidentibus, ſive Vicariis in abſentia Guardianorum, vel a delegatis ab ipſis: & quod in Confraternitatem ingreſſi, etiam in libris ipſius ſcribantur. Rodericus *ut ſupra*.

12. Stante mutua communicatione privilegiorum, & Indulgentiarum, etiam plenariarum inter Eccleſias, loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & perſonas utriuſque ſexus obedientiæ, & directioni Miniſtri Generalis Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci ſubjectas, a pluribus Romanis Pontificibus, præſertim ab Innocentio XI. per ſuas litteras in forma Brevis die 5. Septembris 1686. conceſſas; omnia pia loca Viæ Crucis, ſeu Calvarii, ubicumque terrarum ad inſtar Stationum Viæ Crucis, ſeu Calvarii Montis Jeruſalem a Religioſis præfato Miniſtro Generali ſubjectis erecta, gaudent eiſdem privilegiis, & Indulgentiis, ibi pro cunctis Fidelibus utriuſque ſexus a Sede Apoſtolica conceſſis: ut conſtat ex Bulla Innocentii XII. quæ incipit: *Sua nobis*, declarativa confirmationis prædictæ mutuæ communicationis a præfato Innocentio XI. factæ: patet ex Rubr. particul. noſtri Breviarii *tit.* 12. *a num.* 182. *& ſeqq.* & ex Conſt. incip. *Inter plurima*, a Benedicto Papa XIII. noviſſime edita. Ex Conſtitutione tamen Clementis XII. quæ incipit: *Exponi nobis*, poſſunt Superiores Locales, ac de eorum licentia alii Sacerdotes Ordinis, qui ſint Concionatores, vel ſaltem Confeſſarii ab Ordinario approbati, erigere ubicumque terrarum Stationes Viæ Crucis, ſive Calvarium, dummodo in locis piis Miniſtro Generali non ſubjectis accedat licentia Ordinarii, aut conſenſus Parochi in ſcriptis: necnon Superiorum dictorum Locorum Piorum.

13. Quo-

13. Quoad Tertiarios vero, & Chordigeros utriuſque ſexus ſerventur Statuta, ſeu Decreta Capituli Generalis, Romæ anno 1688. celebrati, omnimodaque adhibeatur cura, ut in cunctis Confraternitatibus erectis, ſeu erigendis in Eccleſiis Conventuum, ſeu Monaſteriorum &c. exercitium Viæ Crucis, & Orationis mentalis quamcitius ſtabiliatur, eoque introducto, una e Dominicis, ſeu diebus feſtivis, pro quolibet Menſe, a Superiore locali, de aſſenſu Diſcretorii Conventus ſeu Monaſterii, in perpetuum aſſignabitur, ad conſequendam Indulgentiam plenariam, noviſſime a SS. D. N. Innocentio XII. in ſuo Brevi incip. *Ad ea*, benigne conceſſam; prout ordinatur in cit. Rubr. *ut ſupra*. Quæ quidem ordinatio in non exiguum cedet animarum profectum, ſi ubique terrarum praxi mandetur a Noſtratibus, a quibus hujuſmodi pia loca debent eſſe erecta.

14. Indulgentiæ Stationum Viæ Crucis, & Calvarii Montis Jeruſalem, quibus per communicationem juxta præfata Brevia gaudent recenſita loca Viæ Crucis, ubique a Noſtris erecta, ſunt plures Indulgentiæ plenariæ, & non plenariæ, quas lucrari poſſunt omnes Chriſti Fideles utriuſque ſexus, cum liberatione unius animæ a Purgatorii pœnis; ut conſtat ex compilatione Indulgentiarum per Reverendiſſimum P. Matthæum a S. Stephano olim Miniſtrum Generalem, & poſtea Cephaludenſem Epiſcopum facta, & Panormi typis data anno 1698. ita Panormit. *ibidem*.

15. Cum per revocationem Pauli V. minime fuerint revocatæ Indulgentiæ conceſſæ perſonis Regularibus applicandæ pro defunctis, prout idem Pontifex anno 1609. declaravit; & Leo X. anno 4. ſui Pontificatus indulſerit, ut omnes Indulgentiæ ab ipſo & Prædeceſſoribus ſuis Regularibus perſonis pro vivis conceſſæ, applicari poſſent pro defunctis per modum ſuffragii, ut refert Peregrinus in ſuo comp. *p.* 1. *V. Indulgentia num.* 9. *ſ.* 10. & comp. privil. Societ. Jeſu *tit. Indulgentia ſ.* 10. & comp. S. M. Fulienſis *tit. Indulgentia pro defunctis ſ.* 4. idcirco Fratres Minores Sacerdotes in Dominicis diebus, & in Solemnitatibus D. N. Jeſu Chriſti, & B. M. V. celebrantes, & non Sacerdotes in eiſdem diebus S. Euchariſtiam ſumentes poſſunt applicare pro defunctis per modum ſuffragii Indulgentiam plenariam ab Innocentio VIII. ipſis conceſſam; ut habetur in Fundam. trium Ord. *lib.* 2. *fol.* 69. *conceſſ.* 148. & in ſupplem. *fol.* 99. *conceſſ.* 361. quam nequeunt amplius applicare pro ſe, quia quoad vivos per Conſtitutionem Paulinam revocata fuit. Peregrin. *loco cit. ſ.* 12.

16. Noviſſime f. m. Benedictus XIII. conceſſit F. F. Minoribus, tam Obſervantibus, quam Reformatis, ut recitantes coram Sanctiſſimo Sacramento coronam, ideſt tertiam partem Roſarii B. M. V. & quinquies Pater, & Ave cum totidem Gloria Patri &c. liberent toties quoties animam unam a Purgatorii pœnis: hujuſmodi conceſſio extat in Archivio Aracælitano.

17. D. Papa BENEDICTUS XIV. die 24. Martii 1741. Pontif. ſui anno 1. conceſſit, ut quandocumque Sacerdos aliquis Ordinis Minorum Obſervantium, Reformatorum, Excalceatorum, Recollectorum, & Tertiariorum, ac Monialium Monaſteriorum dicti Ordinis ſub juriſdictione, cura, regimine, & gubernio Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis, Miſſam, vel in die obitus præfatorum Presbyterorum, ac Clericorum, & Laicorum, necnon etiam Monialium prædicti Ordinis, & Reformationum ſub præfata cura, & regimine Min. Generalis exiſtentium, ac quoad Moniales in earum reſpective Eccleſiis Sacerdos quoque quilibet Sæcularis, vel Regularis, etiam alterius Ordinis, vel in alio die ad quodcumque Altare Eccleſiarum dicti Ordinis, & Reformationum, tam hactenus erectarum, quam in poſterum erigendarum pro illorum, & illarum anima, quæ Deo in caritate conjuncta

ab

Digitized by Google

ab hac luce migraverit, celebrabit; Miſſa hujuſmodi, animæ, pro qua celebrabitur, perinde ſuffragetur, ac ſi ad Altare privilegiatum celebrata fuiſſet.

18. Infirmi, impotentes, & decrepiti Regulares, qui non poſſunt adire Eccleſiam ad lucrandas Indulgentias ſibi a Summis Pontificibus conceſſas, poſſunt in Infirmariis, Cellis, vel Lectulis eas promereri, dummodo agant aliquod opus pium arbitrio Confeſſarii: ex conceſſione Innocentii VIII. quæ habetur in Fundam. 3. Ordin. *lib.* 2. *conceſſ.* 162. & in ſupplem. *fol.* 10. *conceſſ.* 390. & ita declaravit Paulus V. poſt præfatam revocationem anno 1609. Pontificatus ſui anno 5. & refert Peregrin. *loc. cit.* §. 1. qui etiam aſſerit *in 1. part. ſui comp. V. Indulgentia, num.* 7. Pium IV. & Pium V. conceſſiſſe, quod Regulares extra proprias domos, & Eccleſias commorantes, ſeu iter facientes, viſitando Eccleſias illorum locorum, in quibus morantur, ſeu reperiuntur, poſſent frui Indulgentiis ipſis conceſſis, ſervatis ſervandis; vide Peyrinum *tom.* 2. *de privileg. regul.* in Conſt. 8. Pauli V. §. 4. *num.* 1.

19. Alexander VII. per ſuas litteras in forma Brevis die 11. Junii 1659. expeditas conceſſit Indulgentiam plenariam omnibus, & ſingulis Fratribus Ordinis Minorum, qui in ſuis Conventibus de ſuorum Superiorum licentia exercitia ſpiritualia per octo dierum ſpatium quandocumque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, & confeſſi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint.

20. Quamvis, ut dictum eſt per Conſtitutionem Pauli V. ſint revocatæ Indulgentiæ perſonis Regularibus conceſſæ, præter aſſignatas ſuperius, non tamen revocatæ ſunt Indulgentiæ Eccleſiis Regularium conceſſæ, quas proculdubio iidem Regulares, ſicut Sæculares perſonæ lucrari poſſunt. Indulgentiæ pariter generatim conceſſæ Eccleſiis Fratrum, & Monialium, tum in diebus feſtis Sanctorum Ordinis noſtri, tum in aliis hujuſmodi ſolemnitatibus, cunctæ æque obtineri queunt a Chriſti fidelibus viſitantibus Eccleſias Monialium, quæ ſubſunt gubernio Ordinariorum; ex Decreto S. Congregat. Reliquiis, & Indulgentiis præpoſitæ, die 27. Februarii 1673. ad inſtantiam Præfecti Sacrarii Apoſtolici per viam declarationis expedito; ut conſtat ex Rubr. particul. noſtri Breviarii *tit.* 12. *num.* 160.

21. Innocentius Papa XII. per ſuas litteras in forma Brevis die 24. Decembris 1692. expeditas conceſſit omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus, ac aliis utriuſque ſexus perſonis, Ordinum, & Congregationum, obedientiæ, ſeu directioni Miniſtris Generalis Ordinis Minorum tam Obſervantium, quam Reformatorum nunc, & pro tempore ſubjectis, ac Chriſti fidelibus Confratribus, & Conſororibus quarumlibet Confraternitatum, & Societatum ſive ſub Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ſive ſub alio quolibet titulo, ſeu invocatione tam hactenus in eorumdem Fratrum, & Monialium Eccleſiis canonice erectarum, quam in poſterum canonice pariter erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice Indulgentiam centum dierum; *ibidem num.* 177.

22. Qui per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem horæ ſingulis diebus, & per totum menſem dabunt operam, & vere pœnitentes, & Confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Indulgentiam plenariam ſemel quolibet menſe lucrantur, quam per modum ſuffragii animabus in Purgatorio exiſtentibus applicare poſſunt; *ibidem num.* 178.

23. Six-

23. Sixtus IV. in Extravag. *Cum præ excelſa, de Reliq. & venerat. Sanctorum*: omnibus Chriſti fidelibus recitantibus Officium appoſitum in Breviario noſtro pro feſto Immaculatæ Conceptionis, vel illius recitationi intereſſentibus, tam in die feſtivitatis, quam per Octavam, eaſdem Indulgentias conceſſit, quas ipſius prædeceſſores Romani Pontifices dicentibus Officium Sacratiſſimi Corporis Chriſti, aut ejuſdem recitationi intereſſentibus conceſſerant pro die, & Octava hujus ſolemnitatis; unde excitandi ſunt omnes ad eas lucrandas, tam medio Officio prædicto, quam celebrando, vel devote audiendo Miſſam, quæ cum eodem Officio a prædicto Pontifice approbata in uſu eſt apud familiam Seraphicam; *ibidem titulo 4. n.* 51. & in ſupplem. *fol.* 115.

24. Indulgentiæ conceſſæ pro recitantibus, vel intereſſentibus prædictis Officiis, prout colligitur ex Bulla Eugenii IV. quæ habetur in ſupplem. *fol.* 137. *conceſſ.* 578. ſunt: Pro Matutinis, & utriuſque Veſperis diei feſti, & Miſſa, quadringenti dies. Pro reliquis horis, hoc eſt pro qualibet ipſarum, centum ſexaginta, & in quibuslibet Octavarum diebus pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ducenti dies; ac pro qualibet hora, octoginta dies. Pro ſequentibus proceſſiones, ac Miſſas devote celebrantibus, tam in feſto, quam in Octavarum diebus pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ, & SS. Sacramentum in feſto hujuſmodi ſumentibus, conceduntur ducenti dies Indulgentiæ.

25. Aliæ tandem quamplures extant Indulgentiæ a diverſis Summis Pontificibus Regularibus conceſſæ, quæ ſi per revocationem, vel per non uſum amiſſæ non ſint, poſſunt ab eiſdem Regularibus lucrari; diligentiam propterea unuſquiſque adhibeat, & inquirat, quænam ſint Indulgentiæ peculiares proprio Ordini conceſſæ, an ſint revocatæ, an ſint in uſu, nec ne? nam eas omnes hic referre, difficillima res eſt, & valde prolixa; referam tamen Decretum de Apocryphis Indulgentiis ab Innocentio XI. approbatum, quod eſt tenoris ſequentis:

Decretum de Apocryphis Indulgentiis.

26. „ Delatæ ſæpius fuere ad S. „ Congr. Indulgentiis, ſacriſque Re„ liquiis præpoſitam, Indulgentiæ „ quædam confictæ, & omnino fal„ ſæ, quæ per diverſas Orbis Chri„ ſtiani partes circumferuntur; aliæ „ vero examinandæ, quæ adhibito „ ſtudio inventæ ſunt vel apocryphæ, „ vel a Romanis Pontificibus revo„ catæ, vel nullæ, quod datum eis „ tempus præteriiſſet: quarum qui„ dem plurimæ, cum non facilem co„ gnitionem habeant Chriſti fideles, „ harum rerum minus peritos fal„ lunt, qui ſpe Indulgentiæ, remiſ„ ſioniſque peccatorum ſuorum con„ ſequendæ fruſtrantur. Quamobrem „ eadem S. Congr. vehementer cu„ piens huic malo magis in dies ſer„ penti occurrere, animarum profe„ ctui, & Indulgentiarum dignitati „ conſulere, plures illarum ſingulari „ diligentia colligi, & in Indicem re„ ferri curavit.

„ Tales in primis ſunt illæ, uti aſ„ ſerunt, conceſſæ a Joanne XXII. & „ Sixto IV. recitantibus orationem „ Charitatis Jeſu Chriſti Domini no„ ſtri: *Precor te piiſſime Domine &c.* „ ab Urbano II. Eccleſiæ S. Mariæ, „ ut vulgo dici ſolet, Campagnolæ, „ & S. Victoriæ, ab Eugenio III. „ Revelationi de plaga in humero „ Jeſu Chriſti, facta S. Bernardo, ab „ Innocentio III. Archiconfraternitati, „ & Ordini Redemptionis, a Boni„ facio IX. viſitantibus Capellam „ S. Nicolai de Tolentino in ejus „ die feſto, a Joanne XXII. oſculan„ tibus menſuram plantæ pedis B. M. „ V., ab Alexandro VI. Imagini B. M.

„ vulgo

„ vulgo dictæ *Laghetti*, a Leone X.
„ geſtantibus funiculum Sancti Fran-
„ ciſci, primum in Urbe impreſſæ,
„ deinde Mediolani anno 1665. (ſuas
„ tamen habent, & veras Confratres
„ Archiconfraternitatis Chordigerorum
„ S. Franciſci) recitantibus ſalutatio-
„ nem Angelicam ad pulſum horo-
„ logii, & Imagini Conceptionis
„ Mariæ Virginis Immaculatæ in cir-
„ culo depictæ, cujus pedibus Luna
„ ſubjecta eſt, a Pio IV. vel Pio V.
„ Principi Senarum, a Clemente VIII.
„ dicentibus orationem: *O magnum*
„ *myſterium*; & Eccleſiæ S. Mariæ,
„ quam vocant Montis Serrati, Ave-
„ nione impreſſæ, tum aliæ pro ani-
„ mabus Chriſti fidelium defuncto-
„ rum, impreſſæ Matriti 20. Julii
„ 1606. a Paulo V. cantantibus Hy-
„ mnum: *Te Matrem Dei Lauda-*
„ *mus: te Mariam Virginem confite-*
„ *mur*: vel ſi die Sabbati intererint,
„ dum idem canitur, & Coronis,
„ Roſariis, Imaginibus, & Numiſ-
„ matibus, quæ Medallias appellant,
„ ab eo benedictis, Federico Cardina-
„ li Borromeo ſupplicante anno 1611.
„ dum Eccleſia Romæ in honorem
„ S. Caroli ædificaretur, & ab eo-
„ dem Paulo, & Gregorio XV. di-
„ centibus: *Sia laudato il SS. Sacra-*
„ *mento*: ab Urbano VIII. in hono-
„ rem ejuſdem Sacramenti precibus
„ Cardinalis Magalotti, & Sacerdo-
„ tibus, celebrata Miſſa, dicentibus:
„ *Ave filia Dei Patris, Ave Ma-*
„ *ter Dei filii &c.* a Clemente X.
„ recitantibus mane, meridie, &
„ Veſpere conſuetam Antiphonam:
„ *Angelus Domini &c.* & in fine *Deo*
„ *gratias, & Mariæ*. Ac demum
„ aliæ a nonnullis Romanis Pontifi-
„ cibus tributæ, ut ajunt, Coronis
„ Myſteriorum Paſſionis D. N. Jeſu
„ Chriſti, prece Magni Ducis Etru-
„ riæ.

„ Talis Indulgentia ſodalitatis S.
„ Nicolai, qua, repetita quinquies
„ Oratione Dominica, & Salutatione
„ Angelica, unam liberari animam
„ quolibet die a Purgatorii pœnis aſ-
„ firmant. Tales aliæ Peruſii Con-
„ fraternitatibus S. S. Sebaſtiani, &
„ Rochi, & Romæ Societatis S. Ber-
„ nardi ad Columnam Trajanam. Ta-
„ les demum aliæ Cruceſignatorum
„ S. Euſtorgii Mediolani, Arimini,
„ & Bononiæ.

„ Tales & illæ conceſſæ, ut ajunt,
„ Capellæ Roſarii in Eccleſia S. An-
„ tonii de Rovigo, vel Eccleſiæ SS.
„ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri
„ Montis Todini in die Feſto Inven-
„ tionis S. Crucis, vel geſtantibus fu-
„ niculum S. Franciſci de Paula, vel
„ celebrantibus Miſſas S. Auguſtini,
„ aut alias quinque in honorem quin-
„ que Feſtivitatum B. M. V. vel reci-
„ tantibus Officium S. Franciſcæ Ro-
„ manæ, aut Antiphona: *O Paſſio ma-*
„ *gna &c.* in memoriam Paſſionis Je-
„ ſu, aut Roſarium S. Annæ (quod
„ Cong. Sacror. Rit. non probat),
„ aut Orationem, quæ impreſſa cum
„ Imagine S. Annæ circumferri ſolet:
„ *Ave gratia plena &c.* (quæ Oratio
„ prohibetur) aut Officium Conce-
„ ptionis B. Virginis Immaculatæ,
„ quod aſſerunt a Paulo V. probatnm
„ fuiſſe; aut Orationem, *Deus, qui*
„ *nobis in S. Syndone &c.* excipitur
„ Indulgentia centum dierum anno
„ 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Sa-
„ baudiæ ad annos 25. cunctis in il-
„ lius Ditione degentibus, aut aliam:
„ *Ave Filia Dei &c.* poſt Commu-
„ nionem recitandam, vel aliquo con-
„ ſpicuo ſigno venerantibus SS. Eu-
„ chariſtiæ Sacramenti nomen: In-
„ dulgentiæ rurſus octoginta millium
„ annorum veteri de Tabula exſcri-
„ ptæ, quam in Baſilica Lateranenſi
„ aſſervari affirmant, pro dicentibus
„ orationem illam vere piam: *Deus,*
„ *qui redemptione mundi &c.* tum,
„ quæ impreſſæ fuerunt Papiæ anno
„ 1670. ſub hoc titulo: *Somm. dell'*
„ *Indulgenze conceſſe dalla Santità di*
„ *N. S. Papa Leone X. all' Imagine*
„ *della Concezzione della Glorioſa*
„ *Vergine Maria*: vel Piſauri ſub no-
„ mine

,, mine B. Joanne anno 1608. evulga-
,, tæ, vel Barlettæ, ſeu Baruli a re-
,, citantibus quaſdam non ſane malas
,, Orationes lucrandæ, vel Parmæ a
,, viſitantibus per Quadrageſimæ dies
,, Eccleſias Tertii Ordinis Sancti Fran-
,, ciſci, vel Piſtorii, & Vaſtallæ a re-
,, citantibus Orationem : *Ave SS.*
,, *Maria Mater Dei*, *Regina Cœli &c.*
,, & aliæ in peculiari impreſſo libro
,, deſcriptæ, quibus frui dicunt De-
,, votos Seraphicos, & Benefactores.
,, His annumerandæ ſunt, quæ Cru-
,, cibus Caravacenſibus tributæ dicun-
,, tur, vel Coronæ, ſive Stellario
,, Conceptionis Virginis Immacula-
,, tæ, quod ex duodecim globulis pre-
,, cariis conſtat, vel granis, Cruci-
,, bus, & Coronis Aloyſiæ ab Aſcen-
,, ſione Hiſpanæ Monialis Ordinis
,, Sanctæ Claræ, vel menſuræ altitu-
,, dinis Jeſu Chriſti Domini Noſtri,
,, vel Imagini, aut menſuræ vulneris
,, lateri ejus inflicti, vel Orationi, ut
,, ajunt, in Sepulchro Domini noſtri
,, repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt,
,, innixæ revelationi factæ Sanctis
,, Birgittæ, Mectildi, & Eliſabeth,
,, vel Joanne de Cruce, & conceſſæ,
,, ut aſſerunt, granis, quæ aliquod ex
,, tribus granis tetigerint extantibus
,, penes Romanum Pontificem, Hiſ-
,, paniarum Regem, & Miniſtrum
,, Generalem Fratrum Minorum Ob-
,, ſervantiæ S. Franciſci.

,, Omnes vero, & ſingulas jam di-
,, ctas Indulgentias S. Congr. partim
,, eſſe confictas, & plene falſas decla-
,, rat, partim apocryphas, vel ex alio
,, capite nullas, quæ nemini ſuffraga-
,, ri poſſunt, eaſque in futurum nullo
,, in loco ut veras publicari, & lu-
,, crandas Chriſti fidelibus proponi
,, vetat; foliaque, & libros, ubi ſic
,, proponuntur, ſeu aſſeruntur, om-
,, nino præcipit aboleri, niſi prædi-
,, ctæ Indulgentiæ fuerint diligenter
,, expunctæ; nec ideo vult alias, quas
,, hoc Decretum non continet, pro
,, veris, & legitimis, taciteque pro-
,, batis haberi.

,, Ac demum omnes Indulgentias
,, conceſſas ante Decretum Clemen-
,, tis VIII. latum 9. Januarii 1597.
,, Coronis, Roſariis, Granis, ſeu
,, Calculis, Crucibus, & Imaginibus
,, Sacris, vel ante Breve Pauli V.
,, quod incipit: *Romanus Pontifex*:
,, editum 23. Maii 1606. perſonis Re-
,, gularibus quarumcumque Religio-
,, num, & Ordinum, etiam Mendi-
,, cantium, vel ante Conſtitutionem
,, 115. Clementis VIII. cujus initium:
,, *Quæcumque*: & 68. Pauli V. incip.
,, *Quæ ſalubriter*: habitus per aggre-
,, gationem, vel aliam communicatio-
,, nem ab Archiconfraternitate ulla,
,, Ordine, Congregatione, Societate,
,, etiam Jeſu, Capitulo, vel ab eo-
,, rum Officialibus, Superioribus,
,, aliiſque perſonis, vel perſona, et-
,, iamſi earum, vel ejus mentio ſpe-
,, cialis, & individua facienda eſſet,
,, niſi fuerint deinde Romani Ponti-
,, ficis auctoritate innovatæ, aut con-
,, firmatæ, nullius eſſe roboris, & mo-
,, menti pariter declarat.

,, Porro Summaria Indulgentiarum
,, pro Congregationibus Doctrinæ
,, Chriſtianæ, Confraternitatibus SS.
,, Trinitatis, & Redemptionis. Capti-
,, vorum, Nominis Dei, Roſarii, B.
,, Mariæ de Mercede, & Redemptio-
,, nis Captivorum, B. Mariæ de Mon-
,, te Carmeli, Centuræ S. Auguſtini,
,, & S. Monicæ, niſi ab eadem Con-
,, gregatione recognita, non permit-
,, tuntur.

,, Indulgentias vero Stationum Ur-
,, bis a Romanis Pontificibus ſingula-
,, ri quodam beneficio, quæ vel commu-
,, nicatæ ſunt, vel communicabuntur
,, interdum aliquibus locis, Ordini-
,, bus, aut perſonis diebus tantum
,, ſtationum in Miſſali Romano de-
,, ſcriptis, ſuffragari poſſe declarat:
,, ſemel autem dumtaxat in die ple-
,, nariam Indulgentiam in certos dies
,, Eccleſiam viſitantibus conceſſam,
,, vel aliud pium opus peragentibus
,, lucrifieri.

,, De quibus relatione facta per Se-
,, cre-

Digitized by Google

„ cretarium ad Sanctiſſimum, cuncta „ Sanctitas ſua probavit, & inviola- „ te ſervari juſſit. Datum Romæ die „ 7. Martii 1678.

27. Subinde S. Congr. S. Officii die 18. Julii 1703. declaravit, Indulgentias Crucibus S. Turibii ab Urbano VIII. ut nonnulli aſſerebant, conceſſas, tamquam falſas eſſe prohibendas: Indulgentias quoque Coronis S. Birgittæ, ut aliqui affirmabant, ab Alexandro VI. conceſſas, declarandas eſſe apocryphas, & nullius roboris, ac momenti, ſine præjudicio tamen Indulgentiarum a Leone X. dictis Coronis conceſſarum in ſua Conſt. quæ incipit: *Ex Clementi:* vide Mattheuc. *Official. quoad Indulgentias num.* 30. Pro oſculantibus habitum F. F. Min. & Prædicat. ſunt indulgentiæ quinque annorum conceſſæ a Joan. XXII. apud Lantuſcam *v. habitus*.

CAP. IX.

De Syndicis Fratrum Minorum, & de eorum privilegiis.

1. PLures Romani Pontifices conſiderantes pios, aſſiduoſque labores, quibus Regulares præſertim Mendicantes ſalutem animarum procurant, multa, & varia privilegia, ne dum ipſis, ſed etiam ipſorum Procuratoribus, & Syndicis paterna caritate, & liberalitate contulerunt: quia tamen de omnibus mentionem facere perdifficile eſt, hic tantum ſermo erit de Syndicis Fratrum Minorum Obſervantium, & Reformatorum, qui revera ſunt Procuratores Sedis Apoſtolicæ ipſius nomine conſtitui ad aliquos actus exercendos, quos dicti Fratres licite per ſe ipſos exercere non valent.

2. Hujuſmodi Procuratores, ſive Syndici, qui a Generali pro toto Ordine, & a Provincialibus pro Provinciis, & Conventibus auctoritate Apoſtolica nominantur, intuitu laborum, quos frequenter in Fratrum beneficium ſuſtinent, a S. Sede ſpiritualibus, ac temporalibus favoribus ſunt decorati; ipſis enim Clemens VII. conceſſit privilegium fori in cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis motis, & movendis; ut conſtat ex Bulla 19. quæ incipit: *Dum conſideramus:* apud Cherub. *tom.* 1. in qua privilegia, & gratiæ, quibus ipſi fruuntur, continentur.

3. Ultra præfatum fori privilegium omnes Syndici tam præſentes, quam futuri domorum, & Monaſteriorum Fratrum Minorum prædictorum, necnon Monialium S. Claræ, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum, & Sororum tertiæ Regulæ S. P. N. Franciſci, cum illorum uxoribus, & liberis fruuntur omnibus, & ſingulis Indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, favoribus, & gratiis, quibus iidem Fratres potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum: *ibidem*.

4. Præterea a Sede Apoſtolica eiſdem conceſſum eſt, ut in quibuſvis cauſis, & rebus ipſos Syndicos, ſive Procuratores concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, nonniſi coram Judicibus Conſervatoribus domorum illarum, quarum Syndici, ſive Procuratores fuerint, de juſtitia reſpondere teneantur: *ibidem*.

5. Necnon ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ab eadem S. Sede inhibetur omnibus, & ſingulis Judicibus, Commiſſariis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus quacumque auctoritate fulgentibus, ne de cauſis contra dictos Syndicos, ſive Procuratores, motis, & movendis, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, ſeu prætextu, ſe intromittere quomodolibet de cetero audeant, vel præſumant; & inſuper decernitur quoſcumque proceſſus contra dictos Syndicos, ſive Procuratores, per alios, quam dictos Conſervatores, in cauſis dumtaxat contra eos motis, & movendis habendos, & ſententias ferendas, nullos, & invalidos, nul-

liuſque

Digitized by Google

liuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe: *ibidem*.

6. Subinde a ſ. m. Innocentio XI. confirmata fuerunt in forma ſpecifica Decreta variarum SS. Congr. emanata ſuper exemptione, & privilegiis præfatorum Syndicorum, ſeu Procuratorum, quæ per ſequentes paragraphos referuntur.

§. 1. „ Alias pro parte dilecti filii „ Franciſci Mariæ Tagliaferri Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, de „ Obſervantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum „ noſtrorum S. R. E. Cardinalium „ negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regul. propoſitæ, expoſito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præſertim fel. recordat. Nicolaus III. & Nicolaus „ IV. Martinus V. & Eugenius IV. „ Prædeceſſores noſtri, ut vera obſervantia, Regulæque puritas in „ Ordine prædicto vigeret, & magis „ augeretur, Fratreſque ipſius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conſervarentur, ſtatuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ordinis aſſignaretur unus Procurator, ſive „ Syndicus Apoſtolicus, qui omnes „ eleemoſynas, tam pecuniarias, „ quam aliarum rerum colligere, illaſque ſolus in neceſſitatibus Fratrum præfatorum applicare deberet.

§. 2. „ Et ſubinde recol. mem. Clemens VII. etiam Prædeceſſor noſter, intuitu laborum, quos ejuſmodi Syndici in beneficio dictorum „ Fratrum, quocumque tempore, & „ quavis occaſione aſſidue ſuſtinebant, eoſdem Syndicos, ſive Procuratores a foro Seculari exemerat, volens, ut in cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, nonniſi coram Judicibus Conſervatoribus eorumdem Fratrum „ Minorum de Obſervantia nuncupatorum de juſtitia reſpondere tenerentur, & alias prout in ipſius „ Clementis prædeceſſoris litteris, deſuper in ſimili forma Brevis die 16. „ Aprilis 1526. expeditis, plenius dicitur contineri.

§. 3. „ Ac in eadem expoſitione „ ſubjuncto, quod nonnulli dicerent, „ privilegium hujuſmodi in aliqua ſui „ parte amplius in uſu non eſſe, „ alii vero prætenderent, illud Syndicis prædictis, ratione eorum officii tantum, non autem uti talibus „ perſonis, competere; unde fiebat, „ ut Fratres prædicti non ſine paupertatis, & Regulæ quam profitentur, ſuarumque conſcientiarum „ detrimento, neminem amplius reperire poſſent, qui eorum Syndici, ſive Procuratoris munus in ſe „ ſuſcipere, eumque laborem aſſumere vellent.

§. 4. „ Ideoque pro parte præfati „ Franciſci Mariæ Procuratoris Generalis dictæ Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut non ſolum auctoritate Apoſtolica confirmaretur „ dictum privilegium, ſed etiam illud Syndicis, ſive Procuratoribus „ hujuſmodi, uti talibus perſonis competere declararetur.

§. 5. „ Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum „ tenoris ſequentis, videlicet: Sacra „ Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus „ Epiſcop. & Regul. præpoſita, attenta remiſſione libelli per SS. D. N. „ facta, referente Eminentiſſimo Norfolch, cenſuit danda eſſe Oratori Decreta, alias edita, *nempe*, „ ſuper præmiſſis ſervandam eſſe præfatam Conſtitutionem ſ. m. Clementis VII. prout præſentis Decreti tenore omnino ſervari mandat, „ & præcipit. Romæ 28. Martii „ 1686.

§. 6. „ Porro cum dictus Franciſcus „ Maria Procurator Generalis prænarrata pariter expoſuiſſet Congregationi, etiam Venerabilium Fratrum „ noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardina-

„ dinalium ſuper Immunitate Eccleſia-
„ ſtica, & Controverſiis juriſdictionali-
„ bus Deputatorum, hæc Congrega-
„ tio cenſuit, danda eſſe Decreta
„ anteriora tenoris, qui ſequitur,
„ *videlicet*: S Congregatio ſuper
„ Immunitate Eccleſiaſtica, & con-
„ troverſiis juriſdictionalibus, habi-
„ ta ſub hac die Martii 1686. cir-
„ ca expoſita in præſenti ſupplici
„ libello, dixit danda eſſe Decre-
„ ta, ut infra: die 31. Maii 1639.
„ *Fanen.* Provincialis Fratrum Mi-
„ norum Obſervan. Sancti Franciſci,
„ Sacra &c. cenſuit, reſpondendum
„ Epiſcopo, ut quoad exemptionem
„ Syndici Fratrum Minorum de Ob-
„ ſerv. loci de Cartoceto faciat Bul-
„ lam Clementis VII. obſervare, ſi
„ in eo concurrant requiſita ejuſdem
„ Bullæ.

§. 7. „ Die 17. Novembris 1642.
„ *Perusina*. Fratres Sancti Franciſci
„ Min. Obſerv. Sacra &c. cenſuit,
„ ſervandam eſſe Bullam Clementis
„ VII. circa privilegium fori, &
„ exemptionis Syndicorum, ſive
„ Procuratorum Ordinis Fratrum Mi-
„ norum Sancti Franciſci de Obſer-
„ vantia.

§. 8. „ Die 4. Auguſti 1654. *Fa-*
„ *nen.* Epiſcopus: An Syndicus Fra-
„ trum Minorum de Obſerv. S. Fran-
„ ciſci gaudere debeat privilegio fo-
„ ri? Sacra &c. cenſuit hujuſmodi
„ Syndicum gaudere privilegio fori
„ juxta Conſtitutionem Clementis
„ VII.

§. 9. „ Die 23. Maii 1645. *Roma-*
„ *na*. Pater Commiſſarius Generalis
„ Curiæ quærit: An Syndici ſive
„ Procuratores Conventuum ſuæ Re-
„ ligionis gaudeant privilegio fori,
„ etiam in cauſis tam civilibus, quam
„ criminalibus, & mixtis, motis ante
„ inſtitutionem officiorum virtute Bul
„ læ Clementis VII. Sacra Congr.
„ *reſpondit*: Syndicos præfatos gau-
„ dere dicto privilegio fori in cauſis,
„ etiam motis ante inſtitutionem in
„ officium Syndicatus.

§. 10. „ Die 23. Maii 1645. *Reci-*
„ *naten.* An Syndicus Monialium S.
„ Claræ gaudeat privilegio fori, pro-
„ ut gaudent Syndici Fratrum Mino-
„ rum de Obſervantia? Sacra &c.
„ cenſuit, hujuſmodi Syndicum gau-
„ dere debere privilegio fori, in fi-
„ dem &c. Datum Romæ die 20.
„ Aprilis 1686.

§. 11. „ Cum autem &c. Nos &c.
„ Decreta præinſerta a memoratis
„ Congregationibus Cardinalium reſ-
„ pective emanata, auctoritate Apo-
„ ſtolica tenore præſentium appro-
„ bamus, & confirmamus, illiſque
„ inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis
„ robur adiicimus, ſalva tamen in
„ præmiſſis auctoritate earumdem reſ-
„ pective Congregationum Cardina-
„ lium. Decernentes &c. ſicque in
„ præmiſſis &c. irritum, & inane &c.
„ non obſtantibus &c. Romæ 19. Ju-
„ lii 1686.

7. Syndici, ſive Procuratores præ-
fati non poſſunt compelli ad exer-
cenda munia publica Communitatis,
neque conveniri, niſi coram Judice
Conſervatore, prout decrevit S. Con-
greg. ſuper Immunitate Eccleſiaſtica,
& Controverſiis juriſdictionalibus ha-
bita die 10. Maii 1669. ſub tenore
ſequenti, videlicet: *S. Congregatio*
inhærendo declarationibus alias factis
cenſuit, *Procuratores*, *ſive Syndicos*
Fratrum Minorum S. Franciſci de
Obſervantia ex Bulla ſel. record. Cle-
mentis VII. gaudere privilegio fori,
tam in cauſis civilibus, *quam in cri-*
minalibus, *&* *mixtis*; *&* *inſuper*
non poſſe compelli ad exercenda mu-
nia publica Communitatis, *neque a*
quoquam poſſe moleſtari, *niſi coram*
legitimo Conſervatore: *Romæ 7. Ja-*
nuarii 1699.

8. Et ſub die 9. Auguſti 1701.
Sacra Conſulta in favorem Syndici
Conventus Fabriani, extracti ad eſ-
fectum, ut exerceret munus Com-
munitatis, reſcripſit, *extrahi alium*:
& iterum propoſita cauſa, & in-
ſtante loci Gubernatore, ſub die 19.

ejuſdem Menſis, reſpondit: *In Deciſis*.

9. Non ſolum gaudent privilegiis præfatis, ſed etiam ſunt exempti a Repræſaliis, ſeu pignorationibus, prout in una *Spoletana* prædicta Sacr. Congregat. 14. Januarii 1698. declaravit.

10. Privilegium non ſolvendi collectas pro oneribus Communitatis præfatis Syndicis, ſeu Procuratoribus a S. Sede conceſſum, fuit ad inſtantiam quarumdam Communitatum ſub die 19. Julii 1704. a S. Congregat. Boni Regiminis revocatum.

11. Poſtremo advertendum eſt 1. quod ſicut poteſt legitime conſtitui pro quovis Conventu niſi unus Syndicus, ſive Procurator; ita nonniſi unus canonice inſtitutus fruitur privilegiis ſupra recenſitis, prout pluries S. Congr. Boni Regiminis declaravit, & patet ex alleg. *Conſt.* Clementis VII. Ceteri vero Benefactores, qui abuſive dicuntur Syndici, ſive Procuratores, immo arbitrantur ſe eſſe tales, atque adeo dictis privilegiis gaudere, minime gaudent; ex ſpeciali tamen gratia Julii II. omnium, & ſingulorum Sacrificiorum, Orationum, jejuniorum, aliorumque bonorum operum, quæ a Religioſis fiunt, participes redduntur. Advertendum eſt 2. quod ad hoc, ut veri Syndici, ſive Procuratores poſſint privilegiis frui, tenentur addiſcere neceſſaria, quæ ad eorum officium ſpectant, illudque exacte, diligenter, fideliterque exercere, ne ob ipſorum negligentiam, & incuriam cogantur Superiores Conventuum, ac Subditi in emptionibus, & venditionibus rerum neceſſariarum ad alios recurrere, & ita periculo alicujus tranſgreſſionis ſe exponere; ſecus non gaudent.

CAP. X.

De Privilegiis Regularium circa Divinum Officium.

1. Regulares aliquid de Divino Officio omittentes, ſi id eis non ex dolo, vel malitia, ſed ex inadvertentia, vel diſtractione involuntaria contingat, poſſunt ſupplere cum aliquo pſalmo, vel dicendo unum Pater cum Ave: ex conceſſione Innocentii VIII. quæ habetur in Fundam. 3. Ordin. *lib.* 2. *fol.* 69. *conceſſ.* 249. & in ſupplem. *fol.* 99. *conceſſ.* 362. quod tamen privilegium intelligendum eſt de parvitate materiæ, non autem de parte notabili, ut ait Navarr. *tom.* 4. *Comment. de orat. cap.* 19. *n.* 84. *Verſ. ſecundum eſt*.

2. Regulares non valentes bene, ac diligenter in Choro Divinum Officium perſolvere, prout tenentur, ſi propter defectum viſus, vel auditus aliquid prætermiſerint, ſatisfaciunt dicendo unum pſalmum in fine horarum: ex privilegio Sixti IV. quod habetur in cit. Fundam. 3. Ord. *lib.* 1. *fol.* 62. *& lib.* 2. *fol.* 66. *conceſſ.* 98. & in ſupplem. *fol.* 100. *conceſſ.* 383. quod ſimiliter ex Navarro *loc. cit. verſ. quod aliqua* intelligendum eſt de defectibus parvis, & teſtantur Ludovic. de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 2. *concluſ.* 2. Portell. in dub. Regul. *v. horæ canonicæ num.* 10.

3. Leo X. conceſſit, quod Fratres Minores, & qui cum eis privilegiorum communicationem habuerint, dicendo Horas Canonicas, & alia Officia Divina in Choro, vel extra, ſatisfaciant præcepto Capituli *Dolentes de celeb. Miſſar.* ac etiam Regulæ ſuæ, etiamſi propter aliquam fatigationem, vel aliam cauſam, ſedendo, deambulando, vel non integre verba proferendo, ob imperitiam, aut malam prolationem naturalem, ſeu defectum linguæ, vel alias qualitercumque ore imperfecte dicant, aut

cum

Digitized by Google

cum mentis diſtractione ; dum tamen involuntarie , ex humana fragilitate, & non ex malitia hæc faciant ; & ſimiliter conceſſit , quod qui cum talibus male proferentibus , vel alios defectus committentibus Divinum Officium perſolvunt , non teneantur ab aliis imperfecte dicta repetere ; aut propter diſtantiam localem , ſtrepitum , vel aliam cauſam ab eis non integre audita ſupplere : ſed ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ , & Regulæ ſuæ , qualitercumque audiendo , præſertim in Choro , quæ ab aliis recitari debent , dummodo ipſi prædictis defectibus cauſam non dederint : prout habetur in cit. Supplem. *fol.* 59. *conceſſ.* 169. & refert Roder. *in Bullario in Leone* X. qui ad inſtantiam Laurentii Cardinalis Datarii hujuſmodi privilegium conceſſit.

4. Ad ſupplendum autem quemlibet defectum humana fragilitate contractum in recitatione Divini Officii, ſatis eſt dicere poſt horas perſolutas illam devotiſſimam Orationem , quæ incipit : *Sacroſanctæ , & individuæ Trinitati ; Crucifixi Domini Noſtri Jeſu Chriſti humanitati ; Beatiſſimæ , ac Glorioſiſſimæ , ſemperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati ; & omnium Sanctorum univerſitati , ſit ſempiterna Laus, honor , virtus , & gloria ab omni creatura , nobiſque remiſſio omnium peccatorum per infinita ſæcula ſæculorum . Amen .*

℣. *Beata viſcera Mariæ Virginis , quæ portaverunt Æterni Patris filium .*

℟. *Et Beata ubera , quæ lactaverunt Chriſtum Dominum . Pater noſter . Ave Maria :* pro felici ſtatu S. R. E. & pro anima Leonis Papæ X. qui hoc privilegium conceſſit : ut ſupra *loc. cit.*

5. Clemens VII. conceſſit , quod Regulares prædicationi verbi Dei , & audientiæ Confeſſionum ad animarum utilitatem occupati in caſu aliquo particulari , qui judicio Superiorum majus bonum cenſeatur , quam recitatio Divini Officii , ſatisfaciant pro Horis Canonicis recitando ſeptem , vel ſaltem ſex pſalmos per Superiorem aſſignandos , aut orationem Dominicam ſeptios , & Symbolum Apoſtolorum bis ; ita habetur in 37. Bulla dicti Clementis VII. quæ fuit confirmata a Paulo III. in Conſt. 5. §. 8. & utraque incipit : *Dudum :* apud Cherub. *tom.* 1.

6. Leo X. informatus , quod aliqui Fratres ſcrupuloſi , quando infirmitate aliqua laborant , fere numquam poſſunt , aut ſciunt diſcernere , & deliberare , an licite poſſint , necne Horas Canonicas omittere ; conceſſit , quod ſi febribus , doloribus , vel aliis quibuſcumque infirmitatibus prædicti fuerint gravati , aut afflicti , ſatisfaciant pro dictis Horis Canonicis , dicendo aliquot Pater noſter , cum Ave Maria , vel alias orationes a Superiore , etiam Locali aſſignandas : ita habetur in præcitato Fundam. 3. Ord. *lib.* 2. *fol.* 59. *conceſſ.* 171. & in Bull. Roder. *loc. cit.* ad inſtantiam ejuſdem Cardinalis ut ſupra *num.* 4.

7. Advertendum tamen , quod præfati infirmi , etiam abſque privilegio , & abſque Superioris licentia a perſolvendo Divino Officio excuſantur , quando Medicus corporalis affirmat eos non teneri recitare ; ſicut ad non jejunandum , vel ad non abſtinendum a carnibus , aut lacticiniis ſufficit ejuſdem Medici judicium , vel licentia ; infirmi enim quoad ſalutem recuperandam Medico ſubiiciuntur , illique obedire tenentur ; quinimmo ubi dubius eſſet Medicus , an infirmitas eſſet talis , quæ ægrotum ab Officio perſolvendo excuſaret , non teneretur ægrotus recitare , ſi ſentiret ſe non bene habere , ne periculo gravis damni ſe exponeret : prout docent Roder. in ſumm. *tom.* 3. *cap.* 197. *num.* 1. a S. Fauſt. de Horis Canonicis *lib.* 2. *q.* 221. Peyrinus *tom.* 3. *de privil. regul. in additam. ad Conſt. Leonis X. cap.* 4. *in fine* , & alii , ſed in tali caſu conſu-

ſatur Superior, qui poterit diſpenſare, ſeu commutare, *ut ſupra*.

8. Indulgentiæ, quæ lucrantur a Regularibus Divinum Officium recitantibus ſunt ſequentes: 1. Leo X. conceſſit, quod Regulares abſolventes Divinum Officium ex libro conſequantur remiſſionem dimidiæ partis peccatorum commiſſorum illa die, qua Divinum Officium perſolvunt, ut ita cum majori attentione, ac devotione perſolvant. 2. Martinus V. pro qualibet hora in Choro cum aliis recitata conceſſit centum dies indulgentiæ. 3. Alexander VI. recitantibus ante Divinum Officium: *Aperi Domine os meum*, conceſſit Indulgentiam 200. annorum. 4. Joannes XXII. conceſſit 40. dies Indulgentiæ inclinantibus ſe ad Gloria Patri &c. & ad Sanctiſſima nomina Jeſu, & Mariæ: ita Peyrin. de privil. *tom.* 1. Briknier. in Reg. S. P. N. Franciſci, & alii.

C A P. XI.

De Privilegiis Regularium in Euchariſtia adminiſtranda.

1. SUB pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ Papæ reſervatæ prohibentur omnes Regulares ſine Parochorum licentia ipſorum ſubditis adminiſtrare S. Euchariſtiam in die Paſchatis, & per modum Viatici in periculo mortis conſtitutis, ac extremam Unctionem; excepto caſu extremæ neceſſitatis, quando ſcilicet proprius Sacerdos abſit, vel non poſſit, aut nolit ea Sacramenta miniſtrare; tunc etiam poterunt Matrimonia ſolemniter abſque præfata licentia benedicere, quæ quidem benedicentes ſolemniter ſine ea, & ſecluſa dicta neceſſitate, eamdem pœnam incurrunt; prout decernitur *in Clement.* 1. *Religioſi de privil.* & docent Sylveſt. *V. Excommunicatio* 7. *excomm.* 14. *num.* 31. Toletus in ſum. *lib.* 1. *cap.* 37. Navarr. in ſumm. *cap.* 27. *num.* 101. Suar. *tom.* 5. *de cenſ. diſput.* 22. *ſect.* 4. *a num.* 2. & alii.

2. Quamvis Novitius Sacerdos peccet mortaliter ſi in die Paſchatis in Eccleſia Regularium S. Euchariſtiam ſubditis Parochorum miniſtret, excommunicationem tamen prædictam non incurrit; ratio eſt, quia illa afficit tantum Religioſos profeſſos, ſive per tria vota Religionis ſolemnia, ſive etiam per ſimplicia; ut docet Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 72. *ſect.* 2.

3. Ad incurrendam eam excommunicationem neceſſe eſt, ut interveniat præſumptio; nam qui ex inadvertentia, vel ignorantia inculpabili adminiſtrat, putans ſibi licere, vel ex ratihabitione de præſenti, aut de futuro ipſius Parochi, minime incurrit. Comprehendit hæc cenſura Regulares miniſtrantes Euchariſtiam Clericis, aut Laicis Sæcularibus, non vero eos, qui eam adminiſtrant Religioſis propriæ, vel alterius Religionis, etiam ſine Prælatorum facultate: ut docent Cajetan, in ſumm. *V. Excommunicatio cap.* 64. *notab.* 1. Sotus *in* 4. *diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *verſ. utrum vero ſufficiat*.

4. Præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, poſſunt Regulares abſque licentia Parochi quocumque anni tempore omnibus Chriſti fidelibus in ſuis Eccleſiis S. Euchariſtiam miniſtrare: ex privilegiis conceſſis a Nicolao V. in Bulla, quæ habetur in Fundam. 3. Ord. *lib.* 1. *fol.* 30. & Sixti IV. in Bulla *loc. cit.* & in ſupplem. *fol.* 68. *conceſſ.* 159. quam poſtea S. Pius V. in ſua Conſt. 4. confirmavit; ita Navar. in ſumm. *cap.* 21. *num.* 52. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 72. *ſect.* 2. *dub.* 2.

5. Poſſunt Regulares in die Paſchatis S. Euchariſtiam præbere aſſerentibus habere facultatem a Parochis, vel Epiſcopis communicandi ubicumque voluerint; non enim ſunt præſumendi tam immemores propriæ ſalutis, ut tantum ſcelus, præſertim abſque neceſſitate, committere velint:

ut

Digitized by Google

ut docet expreſſe Gloſſ. in Clement. *Religioſi*, *cit. ſup.* Navarrus in ſumm. *cap.* 27. *num.* 102. Peyrin. de privil. Regul. Conſt. 1. Julii II. §. 37. *numer.* 84.

6. Quamvis nonnulli doceant, poſſe Regulares ipſo die Reſurrectionis Dominicæ S. Euchariſtiam miniſtrare iis Parochianis, qui dicunt ſe jam ſatisfeciſſe, vel ſatisfacturos præcepto Eccleſiæ; ipſorum tamen opinio omnino eſt reiicienda, nam juribus allegatis ab ipſis jura opponuntur: S. enim Congr. Concilii ſub die 9. Julii 1644. in una *Burdigalen.* decrevit: *Archiepiſcopum non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive administrare non valeant Sacramentum Confeſſionis; poſſe tamen eiſdem prohibere, ut perſonis Sæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent SS. Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ Sæculares alia die ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ.* Quam determinationem Innocentius X. die 7. Februarii 1645. in ſua Conſt. incip. *Exponi nobis*; confirmavit, ut refert Poncius Curſu Theol. *diſp.* 46. *quæſt.* 9. *num.* 121.

7. Deinde in una *Mechlinen.* propoſito dubio: An Patres Societatis Jeſu aliique Regulares poſſint miniſtrare SS. Euchariſtiæ Sacramentum perſonis Sæcularibus a Dominica Palmarum uſque ad totam Dominicam in Albis? eadem S. Congr. Concilii 13. Januarii 1682. reſpondit: *Poſſe, excepto die Paſchatis; ita tamen, ut Sæculares ſumentes Euchariſtiam ſine debita licentia in Eccleſiis Regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive, non ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ.* Limita, niſi Eccleſiæ Regularium ſint Parochiæ, in ipſis enim Parochiani ipſarum ſatisfaciunt.

8. Poſſunt Regulares in ſuis Eccleſiis S. Euchariſtiam peregrinis, advenis, & hoſpitibus miniſtrare, etiam pro adimplendo Paſchali præcepto, nam in iſtis ceſſat ratio dictæ prohibitionis; niſi ad propriam Parochiam commode accedere poſſint: idem communiter tenent Doctores de ſervis, ſeu famulis, & continuis commenſalibus Religioſorum, qui degunt in Monaſteriis, ſeu Conventibus, vel aliis in locis a cura Parochorum exemptis: ita Baſſæus *v. Communio Sacra num.* 11. Henriq. *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 55. *num* 1. Roder. *tom.* 1. *q.* 56. *art.* 3. *verſ. Nec obſtat*; Anaclet. Reinfeſt. *tract.* 10. *q.* 4. *num.* 4. Debent tamen Regulares tradere petentibus fidem vel Confeſſionis auditæ, aut Communionis adminiſtratæ.

9. Ex privilegio Pauli IV. in ſua Conſt. incip. *Cum ſicut*, apud Rodericum in ſuo Bullario *Bulla* 3. ejuſdem Pontificis, poſſunt Regulares extra domos, & Conventus ſuos SS. Euchariſtiæ Sacramentum, excepto die Reſurrectionis, infirmis miniſtrare; non quidem per vicos, & plateas illud deferendo, quod eſt proprium Parochorum, ſed in Capellis privatis, ſive Oratoriis in Sæcularium domibus conſiſtentibus, cum debita facultate erectis, Sacrum conficiendo, indeque dictos infirmos, etiam per modum Viatici communicando, ut explicat Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 12. & *cap.* 4. *num.* 17. Roder. *tom.* 2. *qq. Regular. q.* 67. *art.* 1. qui ibidem etiam probant a fortiori, poſſe Regulares in ſuis Conventibus hoſpitibus ſæcularibus ibi infirmantibus S. Euchariſtiam, etiam pro Viatico abſque Parochi licentia miniſtrare, & ſi opus fuerit, Extremam quoque Unctionem ipſis præbere, ex privilegio, quod refert Roder. in ſuo Bullario in Sixto IV. *Bulla ejus* 42. *num.* 4 & Peregrinus in ſuo comp. *p.* 1. *tit. communicare* §. 3.

C A P. XII.

De Privilegiis Regularium circa tempus, & loca ad celebrandum.

1. EX ſpecialibus privilegiis habent Regulares facultatem celebrandi Miſſas ante ortum ſurgentis auroræ; etenim Sixtus IV. ut habetur in Monum. Ord. Min. in ſupplem. *fol.* 97. *conceſſ.* 346. conceſſit Fratribus Minoribus de corpore Obſervantiæ, quod poſſent ex juſta cauſa ante, vel poſt horam ab Eccleſia ſtatutam celebrare; & Leo X. prout refertur in comp. privil. *v. Miſſa §.* 6. eiſdem conceſſit, ut de licentia ſuorum Superiorum poſſint celebrare illico poſt Matutinum, & etiam poſt Meridiem, præſertim diebus, quando eſt de audienda Miſſa præceptum, & quando Fratres iter faciunt, aut de via veniunt, & non poſſunt ante meridiem applicare ad locum, ubi poſſint Miſſam audire, vel honeſte celebrare. Sed quia hæc privilegia, ut nonnulli aſſerunt, per Tridentinum ſunt revocata; idcirco unuſquiſque debet ſuam conſcientiam conſulere quam maxime, attendere, & ſcire quo privilegio liceat ſibi uti, ut terminos ſibi præfixos non tranſgrediatur. Poſt Tridentinum tamen Gregorius XIII. conceſſit Patribus Societatis Jeſu, ut per tres horas ante Solis ortum, ac per unum, vel alterum quadrantem poſt meridiem ex rationabili cauſa poſſint Miſſam inchoare: ita Peyrinus *tom.* 1. *de privil. Regul.* ad Conſt. Pirrhi *num.* 20. Leander, Pellizarius, & alii quos refert, & ſequuntur Diana *p.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 246. Card. de Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. num.* 32. Suarez *tom.* 3. *ſuper* 3. *p.* D. Thom. *quæſt.* 89. *art.* 2. *diſp.* 8. *ſect.* 4. quo privilegio alii Regulares per communicationem fruuntur.

2. Circa loca ad celebrandum, obſervandum eſt a Regularibus Decretum noviſſimum a Clemente XI. die 15. Decembris 1603. editum, ut infra.

§. 1. Quoniam Sancta Sancte tractanda ſunt, ac præſertim incruenti Sacrificii Myſterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum eſt, propterea ſuper obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum in Sacroſanctis œcumenicis Conciliis, & præſertim Tridentino ſub cap. unico ſeſſ. 22. inter cetera ſtatutum eſt, ut tantum Sacrificium ſolummodo in Eccleſiis, aut Oratoriis, Divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Epiſcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſias peragi paterentur; ac ſubinde S. Congr. Cardinalium ipſius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi Præpoſitorum, ſæpe ſæpius per opportuna Decret aobrepentes abuſus eliminavit.

§. 2. Modernis autem temporibus innotuit SS. Domino Noſtro, quod nonnulli Epiſcopi prætextu privilegiorum, Capellis Epiſcopalibus competentium, & complures Regulares ſub prætextu privilegiorum; quæ ipſis a Sancta Sede indulta noſcuntur, per hujuſmodi privilegiorum dilatationem, ſeu potius exceſſum, & abuſum in nonnullis Diœceſibus, præſertim Regni Neapolitani, & in ipſa Neapolis Civitate ea ſibi licere putant, quæ permiſſa non ſunt, quinimmo prohibita: ſiquidem nonnulli Epiſcopi, etiam in aliena Diœceſi, & extra domum propriæ habitationis, in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare; Regulares vero in quibuſdam Magnatum, ſeu aliarum Nobilium perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſis a S. Sede concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quam in ipſis celebrare ſit indultum, vel abſque præſentia perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas, & poſt meridiem, vel illis

Digitized by Google

iis etiam diebus, quibus per Conſtitutiones Diœceſanas, aut etiam per Decreta S. Congr. Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipſis Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari poſſit, aut etiam Altari portatili uti non verentur in Sanctarum Sanctionum contemptum, & S. Sacrificii irreverentiam.

§. 3. Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo Myſterio debitam, idem SS. D. N. ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum inhærendo declarationibus, alias hac de re editis, expreſſe declarat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus Dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo ullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrare, ſeu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes; Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, aliiſque anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis.

§. 4. In reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare; atque illa, etiam in caſibus permiſſis, celebrari nequeat poſt meridiem; demandando propterea ulterius, ac declarando, in omnibus hujuſmodi caſibus perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere.

§. 5. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in cap. in his de privilegiis, *& per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac demandandum, prout præſentis Decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium* in d. Decreto ſeſſ. 22. *uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac ſi per S. Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet; & ita Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat. Romæ hac die 15. Decembris 1703.*

3. Regulares poſſunt in ſuis Eccleſiis admittere quoſcumque Sacerdotes Sæculares Miſſas celebrare volentes, dummodo non fuerint aliqua cenſura, vel impedimento Canonico ligati; prout habetur in Concilio generali Lateranenſi ſub Leone X. celebrato, in quo id expreſſe definitur. Verumtamen ſi ex juſta cauſa aliquis Ordinarius prohibeat, ne aliquis Sacerdos ſubditus in dictis Eccleſiis Miſſam celebret, idque ipſis Regularibus manifeſtet, tenentur iidem prohibitionem obſervare; prout S. Congr. Concilii 2. Junii 1620. *in una Bononien.* decrevit: ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 41. *verſ. ad* 12.

4. Peregrini, aut ignoti Sacerdotes Sæculares non debent facile

admitti a Regularibus ad celebrandum in ſuis Eccleſiis abſque litteris teſtimonialibus ſuorum reſpective Prælatorum: ex Decreto S. Concilii Tridentini *Seſſ. 23. cap. 16. de Reform.* Regulares vero Sacerdotes iter agentes, ſufficit quod oſtendant ſuorum Superiorum licentias, niſi ita ſint cogniti, ut de eis nullus omnino ſuſpicioni, aut dubitationi locus relinquatur: & ita diſpoſuit Sixtus V. in quadam ſua Conſtitutione, prout refert Roder. *tom. 2. q.* 121. *art.* 1. Navar. *lib. 3. conſil. tit. de celebrat. Miſſ. conſ.*5.

5. Invitis Regularibus nullus Sacerdos ex quavis cauſa ſive publica, ſive privata in eorum Eccleſiis celebrare poteſt, ut conſtat *ex cap. Abbatem* 18. *q.* 2. ubi præcipitur, ut Sacerdotes non audeant Miſſas celebrare in Monachorum Eccleſiis abſque Monaſteriorum Superiorum licentia. Regulares tamen libenter admittere debent Sacerdotes Sæculares volentes in eorum Eccleſiis celebrare; prout admonet Leo X. in ſua 45. Conſt. incip. *Dum intra*, apud Roder. *in ſuo Bullar.*

C A P. XIII.

De Privilegiis Regularium circa fundationes Conventuum.

1. IN erigendis, ſeu conſtruendis Monaſteriis, Conventibus, locíſque Regularibus omnino ſervandum eſt in primis Decretum Tridentini *Seſſ. 25. cap. 3. de Regul.* ſcilicet, quod nova loca a Regularibus quibuſcumque non recipiantur, niſi obtenta prius licentia Epiſcopi, in cujus Diæceſi erigenda ſunt; deinde id quod præcipit Clemens VIII. in ſua *99.* Conſt. incip. *Quoniam ad Inſtitutam:* apud Cherub. *tom.* 4. videlicet, quod locorum Ordinarii non poſſint licentiam ad novos Conventus cujuſque Mendicantium Ordinis in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis erigendos impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Superioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus; & cauſa, ſervatis ſervandis, cognita conſtiterit, in eiſdem Civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe; quam diſpoſitionem extendit poſtea Gregorius XV. in ſua 31. Conſt. incip. *Cum alias: in Bull. eod. tom.* ſcilicet, ut audiantur Regulares exiſtentes, etiam in diſtantia quatuor milliariorum, ut ipſi conſenſum præſtent, quando conſtet nullum inde detrimentum eſſe reportandum.

2. Quamvis ex variis privilegiis Apoſtolicis, præſertim Julii II. & Pauli V. poterant Regulares de ſola Ordinarii licentia Monaſteria, ſeu Conventus conſtruere; modo tamen, quia dicta privilegia fuerunt revocata ab Urbano VIII. per ſuam 25. Conſtit. *tom. 4. Bullar.* requiritur copulative aſſenſus Sedis Apoſtolicæ: ex Conſt. 27. Innocentii X. incip. *Inſtaurandæ*; eod. tom. 4. in qua prohibetur, ne deinceps aliquis Regularis Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, etiam Jeſu, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere, ſeu Monaſteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ; ſi ſecus egerint, eo ipſo pœnas privationis Officiorum, vocis activæ, & paſſivæ &c. incurrant: & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ & invalidæ, & domos, & loca ipſa, ac perſonæ in eis degentes omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Ordinarii loci plene in omnibus ſubjaceant.

3. Præ-

3. Præterea debet ſervari Decretum S. Congr. Concilii auctoritate Urbani VIII. editum, quo cavetur, ne deinceps Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium ullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum Decreti Gregorii XV. hac de re editi; alioquin Monaſteria, & loca præfata poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur; quæ omnia Innocentius XII. in Conſt. quæ incipit: *Nuper à Congregatione*, die 23. Novembris 1697. edita, confirmavit, & approbavit, & ab omnibus exacte, & perpetuo ſervari voluit, & mandavit.

4. Cum in prædictis Conſtitutionibus comprehendatur quodcumque Inſtitutum, idcirco in caſu, quo Clerici Regulares vellent in aliqua Civitate, vel loco domum de novo fundare, debent audiri alii Regulares ibi exiſtentes; etiamſi pro fundatione dos ſufficeret ad victum, & veſtitum Religioſorum in numero, ut ſupra, præfixo, idque ad præcavendum præjudicium, quod ex ea poſſent forte recipere Mendicantes, qui ut plurimum ex patrimonio incertæ mendicitatis ſuſtentantur; ut notavit Monacellus *in ſuo Formul. part. 1. tit. 6. form. 19. n. 12.*

5. Et revera non eſt inſpicienda qualitas Regularium, qui volunt introduci, ſed præjudicium illorum, qui ſunt jam introducti, quod non tantum evenire poteſt ex eleemoſynarum quæſtuatione, verum etiam ex concurſus diminutione; nec non emolumentorum, quæ haberi ſolent ex Miſſarum celebratione, cadaverum tumulatione, & ſimilibus, in quibus detrimentum reportari poteſt; idque etiam procedit in fundatione novi Conventus, ſeu Domus ejuſdem Religionis, & Inſtituti, conſiderata ratione motiva dictarum Conſtitutionum, ne ſcilicet ex multiplicatione Regularium, præjudicium aliquibus inferatur: Pignatellus *tom. 1. conſul.* 177. *numer.* 43.

6. Ad erigendum Monaſterium, ſeu Conventum in locis, in quibus ob ſterilitatem, vel inopiam Regionis, & brevem aliorum Conventuum diſtantiam eleemoſynæ ad congruam ſuſtentationem Religioſorum non ſufficiunt, exigitur a S. Congr. Epiſcop. & Regul. diſtantia unius loci ab alio pluſquam quatuor milliariorum; prout die 14. Aprilis 1673. decrevit in erectione Conventus in Inſula Corſicæ, quod ſubinde Clemens X. in ſua Conſt. incip. *Nuper*, confirmavit.

7. Sub earumdem Conſtitutionum diſpoſitione comprehenduntur etiam Hoſpitia: prout in cauſa *Calagurritana* Hoſpitii de Bilbao, a Patribus Carmelitis Diſcalceatis, & in *Atrien.* Hoſpitii a Patribus Diſcalceatis S. Auguſtini S. Congregatio Epiſcop. & Regul. 15. Septembris 1690. & 31. Auguſti 1691. ſervari mandavit. Limita, niſi ſint Hoſpitia mere Sæcularia, quæ tantum deſerviant pro recipiendis Religioſis itinerantibus, ita ut in illis non ſervetur ulla forma Regularis, nec erigatur Eccleſia, ſeu Oratorium formale cum janua in publica via, ſed tantum Oratorium internum ad effectum inibi Miſſas, & Orationes privatas celebrandi, nec Sacramenta adminiſtrentur, nec fiant publicæ Conciones, nec Divina, aliæque functiones peragantur, nec cadavera tumulentur, nec Campanæ habeantur, nec quæſtus fiant, nec eleemoſynæ pro Miſſis quærantur, nec titulus Præſidentis, vel alterius Officialitatis aſſumatur ab ullo ex Religioſis ibi exiſtentibus: *Sacr. Cong. ibidem*.

8. Non tamen comprehenditur

ſub

ſub dicta diſpoſitione translatio Conventus de uno ad alium locum in eadem Civitate, vel Oppido, quia ad hoc habent Regulares ſufficientem facultatem ex privilegiis Clementis IV. Sixti IV. in ſua Conſt. quæ incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*: apud Confectium *fol.* 43. ubi ipſis conceditur, ut in Capitulo Generali, de conſenſu Capituli poſſint mutare Conventus de locis incommodis ad loca commodiora, nec dictis privilegiis obſtant Tridentinum, nec Decreta præfata Clementis VIII. Gregorii XV. Urbani VIII. & Innocentii X. quia procedunt de nova erectione Conventus, per quam in aliquo loco nova Religio recipitur: ut colligitur ex ratione finali, quæ eſt, ne una Religio inſerat ceteris præjudicium in ordine ad ſuſtentationem, dum de novo recipitur, id enim minime poteſt accommodari mutationi Conventus intra eamdem Civitatem, vel locum, cum Religioſi ex eiſdem eleemoſynis, ut prius, ſuſtentari poſſint: & ita decrevit S. Congr. Epiſcop. & Regul. ut refert Monacell. cit. *num.* 5. & 7.

9. Quoad facultatem, quæ a S. Sede locorum Ordinariis tribuitur viſitandi Conventus parvos Regularium, advertendum eſt, quod omnes, & ſinguli hujuſmodi Conventus cujuſcumque ſint Ordinis tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, & erecti ante diem 21. Junii 1625. in quibus non morantur de familia ſaltem ſex Religioſi, quorum ad minus quatuor debent eſſe Sacerdotes; nec non illi poſt dictum annum 1625. fundati, in quibus ſaltem duodecim Religioſi de familia non degunt, viſitationi, correctioni, & juriſdictioni Ordinarii loci manent ſubiecti: ex Decretis Urbani VIII. & Innocentii X. apud Lantuſca *v. Conventus num.* 14. Adverte, quod Rugulares nequeunt abſque Summi Pontificis licentia deſerere Monaſteria ſemel accepta: conſtat *ex cap. unico de Religioſis domibus, & cap. cum ex eo de exceſſ. Prælat lib. 6.* & eſt lata excommunicatio contra oppoſitum facientes: Lezana *in Summ. cap. 9. num. 36.*

C A P. XIV.

De Privilegiis Regularium quoad Præcedentiam.

1. Præcedentia nihil aliud eſt, quam jus occupandi digniorem locum, ita ut digniores inferioribus præcedant, inferiores vero locum illis digniorem reverenter cedant, & ſic ſervetur Hierarchicus ordo tam in proceſſionibus, aliiſque functionibus, & actibus publicis, quam privatis, juxta Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem, & præſertim Gregorii XIII. Conſt. quæ incipit: *Expoſcit*, apud Cherub. *tom.* 2. editæ ad effectum ſupprimendi lites, & controverſias, non ſolum inter Ordines Mendicantes, & Confraternitates ſuper, & de præcedentia contendentes, ſed etiam inter Monachorum Ordines: prout ſæpe declararunt SS. Rit. & Epiſcop. Congreg. apud Pignatellum *tom.* 1. *conſult.* 138. *num.* 22. nec præfatum jus præcedentiæ ambitionem, aut faſtum redolet, niſi quis dixerit, faſtum, vel ambitionem redolere Sacram Hierarchiam, ac ipſius ordinem, quod nemo niſi inſipiens, vel invidus dixerit.

2. In præcitata Conſtitutione Gregorii XIII. decernitur, quod quicumque ex Fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia hujuſmodi contendentibus, aut Confratribus, inter quos lites de eadem ortæ jam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, & juris præcedendi ſunt poſiti (quibuſcumque reclamationibus, appellationibus, aliiſque ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in Proceſſionibus tam publicis, quam privatis præcedere debeant.

3. Dein-

3. Deinde ſancitur, quod quando non probetur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ hujuſmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controverſiæ; Confratres vero inter ſe litigantes, ii, qui prius Saccis uſi ſunt, in Proceſſionibus, tam publicis, quam privatis præcedere debeant, ita ut ſi contigerit nova Monaſteria, aut Domos alicujus Ordinis Mendicantium fundari in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria prius erecta, & inſtituta ſint, ille Ordo, qui prius Monaſterium, ſeu Domum in loco habuerit, præcedat.

4. Præterea, quia inter prædictos Ordines plerumque alia in Proceſſionibus, & alia in Conciliis Generalibus, & aliis actibus publicis, ſive privatis ratio circa modum præcedendi ſervatur; declarat Pontifex, nolle per præſentes prærogativis dictorum Ordinum quoad præcedentias hujuſmodi, quæ propriis Ordinibus, præterquam in Proceſſionibus prædictis debentur, præjudicium ullum irrogari. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & indultis in contrarium &c. vide Pignatell. *ibid. num. 3.*

5. Idem poſtea diſpoſuit Urbanus VIII. in ſua 239. Conſtit. incip. *Nuper pro parte:* apud Cherub. *tom.* 4. in qua confirmantur varia S. Congr. Decreta, quæ diſpoſitioni dictæ Conſtitutionis Gregorianæ innituntur, & per quam revocatur Conſtitutio 71. S. Pii V. quæ incipit: *Divina diſponente Clementia*, Bullar. *tom.* 2. præcedentiæ inter Mendicantes diſpoſitiva. Ceterum, ubi adeſt conſuetudo, quod Regulares præcedant inter ſe ratione originis Religionis, & non fundationis Conventus, eſt ſervanda, prout *in Forolivien.* 23. Februarii 1693. S. Congr. Epiſcop. & Regul. reſpondit.

6. Quoties in locis exiſtunt plures Conventus ejuſdem Ordinis diverſis temporibus fundati, antiquioritas unius communicat præcedentiam omnibus aliis ejuſdem Ordinis, quomodolibet poſterioribus, ut tenuit Rota in variis deciſionibus: apud Monacell. *part.* 2. *Formul. in append.* nam ubi militat eadem ratio, eadem debet militare juris diſpoſitio. Quocirca, cum in multis locis Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ exortæ fuiſſent lites inter Auguſtinianos, Carmelitas, Trinitarios, & alios ſuper præcedentia, quam contra Fratres Minores ſtrictioris Obſervantiæ ſibi juſte deberi prætendebant, negotio ad Clementem VIII. delato, & diligenter examinato, decrevit in ſua 92. Conſt. incip. *Ex injuncti nobis:* apud Cherub. *tom.* 3. Fratres Minores Strictioris Obſervantiæ ubique locorum, præſertim in Italia, & Gallia, omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, ac præcedentiis in proceſſionibus, funeralibus, & concurſu cum aliis Religionibus &c. gaudere, quibus Fratres Minores de Obſervantia fruuntur, & gaudent.

7. Sed quia prædictum Clementis VIII. Decretum non nominabat Fratres Minores Diſcalceatos Hiſpaniæ (qui profecto ſtrictioris Obſervantiæ ſunt, ſicut Recollecti in Gallia, & Reformati in Italia) idcirco adverſus illos Auguſtiniani inſurrexerunt, & cauſa ad Sedem Apoſtolicam delata, Urbanus VIII. in ſua Conſt. quæ incipit: *Ex incumbenti*, apud Cherub. *tom.* 4. decrevit, præcedentiam in concurſu cum aliis Regularibus, in proceſſionibus, & aliis actibus ſive publicis, ſive privatis ſemper competere dictis Diſcalceatis, ſive ſoli de per ſe, & ſub propria Cruce; ſive ſub Cruce, & cum familia de Obſervantia incedant, ſive Diſcalceati, Reformati, Recollecti, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo ſint vere Reformati Ordinis S. Franciſci; nec non gaudere, & frui debere omnibus aliis prærogativis, ac præeminentiis in ſupradicta Bulla Clementis VIII. expreſ-

expreſſis ; & ita in poſterum ubique ſervari mandavit.

8. Idem Urbanus VIII. per ſuas litteras in forma Brevis die 17. Novembris 1642. expeditas decrevit, ne ulli Ordinis Minorum Fratres Laici, ſeu Converſi quovis ſub prætextu, quæſito colore, vel ingenio, etiam ratione antiquioris ſuæ ad habitum Regularem dicti Ordinis receptionis, aut in eo emiſſæ profeſſionis, ſeu cujuſvis conſuetudinis, Fratres Clericos ejuſdem Ordinis in quibuſvis functionibus tam publicis, quam privatis præcedere audeant ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, quam etiam quicumque Superiores ejuſdem Ordinis quoquomodo id permittere audentes, incurrunt: *Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & dicti Ordinis privilegiis, & conſuetudinibus &c.* Quoad Novitios, S. Congr. Epiſcop. & Regul. die 8. Auguſti 1653. ſtatuit, & decrevit, eiſdem, quouſque profeſſionem emiſerint, tam in publicis, quam in privatis functionibus ultimum locum deberi: apud Lantuſca *V. præcedentia num.* 1. & 2.

9. Qui a ſtatu Laicorum, ſeu Converſorum legitima licentia tranſit ad illum Clericorum præfati Ordinis Minorum de Obſervantia, non gaudet præcedentia a die ſuſceptionis habitus, ſed Clericatus, prout S. Cong. Epiſcop. & Regul. 26. Februarii 1649. decrevit; niſi in Brevi Apoſtolico indulgente tranſitum aliud diſponatur: Lantuſ. *loc. cit. num.* 3. Inter Moniales præcedentia non a die receptionis habitus, ſed ab illo profeſſionis attenditur: ex Decreto S. Cong. *in una Paduana* 1608. apud Barboſ. *in deciſ. Apoſtolicis V. præcedentia num.* 29. Lantuſ. *num.* 14.

CAP. XV.

De aliis immunitatibus, & privilegiis, præſertim Canonis, Fori, & exemptionis a ſolutione Decimarum, Oblationum, Gabellarum, & contributionum, quibus fruuntur Regulares.

1. Inter alias Religioſæ profeſſionis prærogativas, illa præcipuum locum tenet, ſcilicet, quod per eamdem in ſtatu gratiæ emiſſam, Religioſi ſic profeſſi omnium delictorum ſuorum condonationem, quoad omnem pœnam temporalem pro illis in Purgatorio debitam, obtineant: ex communi SS. Patrum conſenſu, ut docet S. Thom. 2. 2. *q. ult. art.* 3. quæ tamen condonatio, ſi profeſſio facta fuerit in mortali peccato, minime per ſubſequentem juſtificationem reviviſcit, quia ut ait Cajetanus 2. 2. *q. ult. art.* 3. id ſolum competit Sacramentis; poteſt vero reviviſcere, quando profeſſio per accidens fuerit invalida, ſed bona fide, & in ſtatu gratiæ facta, ac poſtea ratificata.

2. Per profeſſionem in Religione approbata tollitur irregularitas ex defectu Natalium contracta, & in jure expreſſa; quapropter illegitimus profeſſionem emittens fit habilis ad omnes Sacros Ordines ſuſcipiendos: minime tamen ad Eccleſiaſticas dignitates, & Prælaturas, ſive Sæculares, ſive Regulares, prout habetur in *cap.* 1. *de fil. Presbyt.* extenditur etiam hoc privilegium ad profeſſionem, quæ fit in Societate Jeſu per vota ſimplicia, per quæ profitens in ea fit verus Religioſus: Sanchez in Decal. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 13.

3. Diſſolvuntur etiam per profeſſionem non ſolum ſponſalia de futuro, ſed etiam Matrimonium ratum non conſummatum: ut habetur *in cap. Ex publico de converſ. conjug.* quod tamen per quæcumque vota ſimplicia, etiam in Societate Jeſu emiſſa, non

Digitized by Google

non diſſolvitur, ut docet Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 165. *cap.* 10.

4. Expiatur quoque per profeſſionem macula quoad actus temporales, ita ut ineptus ad teſtificandum ob perjurium, vel furtum commiſſum, fiat per eam aptus ad teſtimonium ferendum: Sanchez ut ſupra *n.* 27. Tollitur pariter per eamdem crimen ingratitudinis filii profitentis erga Patrem, ob quam exhæredari poterat; quare ob illam exhæredari nequibit, etſi in Teſtamento Patris ante profeſſionem facto exhæredatus ſit: ita deciditur *in cap. final.* 19. *quæſt.* 3. & docent Molina *tom.* 1. *de juſt. diſp.* 176. *dub. ult.* Rodriguez *tom.* 1. *q.* 13. *art.* 3. Liberatur etiam filius a Patria poteſtate, eo quod per profeſſionem tranſit omnino in Superioris poteſtatem, ac proinde Patria poteſtas in ipſum ceſſat. Navarrus *Comment.* 3. *de Regul. num.* 41.

5. Vota omnia perſonalia, realia, & mixta ceſſant per profeſſionem in Religione approbata emiſſam, ut concors Doctorum ſententia tenet: *ex cap. ſcript. de Voto*, & *cap. penult. de Regul. in* 6. neque ad hoc requiritur aliqua intentio in profitente, eo quod ex natura profeſſionis id oriatur, cum per ſolemnem profeſſionem homo mortuus Mundo reputetur, Deoque vivere incipiat, atque adeo ceſſante vita præterita, etiam vota in illa emiſſa ceſſare videantur: S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad primum*; D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. *ſ.* 8. *notabis* 2. & alii comm. Extinguuntur etiam juramenta de rebus piis ad Deum ſolum facta, quia hæc ſe habent quaſi quædam vota; Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 6. *de Voto cap.* 14. *num.* 12. Si autem juramentum eſſet homini præſtitum, & ab eo acceptatum, minime poſſet per profeſſionem extingui, cum ſit jus acquiſitum tertio: Sanchez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 45. ubi multa de hoc privilegio.

6. Omnes utriuſque ſexus Religioſi approbatam a Sede Apoſtolica Religionem profitentes gaudent privilegio Canonis: *Si quis ſuadente*; nam per illud verbum *Monachum* in Canone poſitum, intelliguntur omnes profeſſi, vel profeſſæ in Religione approbata: ita *D. D. commun.*

7. Laici, ſeu Converſi, & Converſæ gaudent etiam dicto privilegio ut patet ex cap. *Non dubium de ſent. excomm.* Novitii quoque eodem privilegio fruuntur, quia cum ſint in via ad Religionis profeſſionem, in favorabilibus Monachi reputantur: ex cap. *Religioſi de ſent. excomm.* ita declaravit Bonifacius VIII. & docent comm. D. D.

8. Tertiarii, & Tertiariæ collegialiter viventes, ſeu cum Clauſtralibus habitantes, necnon Mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub habitu Regulari vitam traducentes, dicto privilegio Canonis, aliiſque omnibus, quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum geſtant, potiuntur, & gaudent: ut conſtat ex variis Summorum Pontificum privilegiis, præſertim Leonis X. in Bulla, quæ incipit: *Ea quæ per Sedem Apoſtolicam*: vide Roder. in comp. *reſol.* 116. Ceteri autem Tertiarii, & Tertiariæ conjugati, aliique extra ſupradictos eo privilegio non fruuntur, ut patet ex præcitata Bulla Leonis X. de quibus vide ſupra *cap.* 5.

9. Omnes prædicti Religioſi, Religioſæ, Tertiarii, & Tertiariæ, necnon Milites, ſeu Equites S. Joannis Hieroſolymitani, aliique vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis emittentes, ſicut gaudent privilegio Canonis, ita etiam privilegio fori fruuntur, ut dictum eſt ſupra *cap.* 3. & 4. quamvis præfati Equites in cauſis civilibus, & in his, in quibus deliquerint reſpectu officiorum mere Sæcularium, quæ ab ipſis ex commiſſione Principis, vel Magiſtratus adminiſtrantur, & in delictis gravibus, ratione quorum privilegium fori amittunt, apud Judicem Sæcularem poſ-

ſint

ſint conveniri; prout docent Rodericus *tom.* 2. *q.* 2. *art.* 2. & alii, quos refert Hieron. Roder. in ſuo comp. *reſol.* 28. *num.* 1.

10. Regulares Mendicantes utriuſque ſexus a ſolutione gabellarum, & quarumcumque contributionum ſunt exempti: ex privilegiis Apoſtolicis, præſertim S. Pii V. in Bulla, quæ incipit: *Dum ad uberes*. A ſolutione quoque Decimarum ſunt exempti; tum ex jure communi, tum ex multis privilegiis, præſertim Sixti IV. in Bulla, quæ habetur in Monum. Ord. *fol.* 60. & *fol.* 143. *conceſſ.* 347. Alexandri VI. in Bulla, quæ habetur in ſupplem. *fol.* 3. *conceſſ.* 4. Leonis X. in Bulla, quæ habetur in eod. ſupplem. *fol.* 48. *conceſſ.* 143. & aliorum, de quibus Caſarub. in comp. privil. Mendicant. *V. Decimæ*: videantur tamen D. D. qui hac de re tractant, & attendatur conſuetudo patriæ, & Religionum.

11. Alia plurima privilegia Regularibus Ordinibus a ſummis Pontificibus ſunt conceſſa, quæ hic recenſere impoſſibile eſt: conſulat idcirco unuſquiſque propria, & perpendat, an in vigore ſint, an revocata; quæ vero in præſenti opuſculo referuntur, omnia S. R. E. cenſuræ libens ſubiicio.

F I N I S.

I N-

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

A

ABBAS.

ABbas Regularis quid benedicere & conſecrare poſſit. *Tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 4. & 5.
Quos Ordines conferre valeat. *cap.* 2. *num.* 5.
An debeat prius eſſe benedictus. *numer.* 6.
Habens territorium exemptum poteſt concedere dimiſſorias Clericis Sæcularibus. *num.* 9.
Commendatarius quid poſſit in Eccleſiis Monaſteriorum. *Tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 18.
Abbas ut Superior Localis. *V. Tr.* 4. *cap.* 1. & *ſeqq.*

ABSOLUTIO.

An articulo vel periculo mortis quilibet Sacerdos, etiam degradatus & excommunicatus, aut Hæreticus abſolutionem impertire valeat. *Tr.* 6. *cap.* 4. *num.* 16.
Dum adeſt Sacerdos approbatus nequit in caſu non approbatus abſolvere, niſi res non ſit integra. *num.* 17.

ALIENATIO.

Fratres Min. de Corpore Obſervantiæ an indigeant facultate S. Congregationis pro alienandis bonis. *Tr.* 5. *cap.* 4. *num.* 7.

B

BULLÆ

ROmanorum Pontificum quomodo obligent. *Tr.* 1. *cap.* 3. *num.* 2.
Quid attendendum ſit in Bullis confirmativis privilegiorum. *Ibid. cap.* 4. *num.* 8.
Per Bullam Cœnæ non revocantur, nec reſtringuntur facultates Superiorum Regularium quo ad caſus occultos. *Tr.* 4. *cap.* 5. *num.* 22.
In vim Bullæ Cruciatæ Sæcularium Confeſſiones excipi nequeunt a Regularibus non approbatis. *Tr.* 6. *c.* 2. *num.* 13.
In Bulla Jubilæi quid intelligatur, dum excipitur caſus hæreſis. *cap.* 4. *num.* 11.

C

CADAVER.

DEfunctorum Cadavera tumulata quomodo poſſint transferri de loco ad locum. *Tr.* 7. *cap.* 6. *n.* 27.
Clericorum Cadavera quomodo ſepeliri poſſunt tempore interdicti. *num.* 28.

CANONES.

Canones multiplicare quis, & quomodo poſſit. *Tr.* 1. *cap.* 3. *num.* 5.

CARDINALIS.

Cardinalis Titularis quid poſſit in Eccleſiis Regularium. *Tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 19.

CASUS RESERVATI.

Quinam reſervari poſſunt. *Tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. & 4.
Reſervati publice commiſſi nequeunt a Superioribus Localibus abſolvi. *Tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 12.
Caſus Reſervati explicantur. *Tr.* 6. *cap.* 2.
Reſervari poſſunt a Pontifice, ceteriſque Prælatis quoad ſuos Subditos. *Tr.* 6. *cap.* 3. *num.* 1.
Nullum reſervat ſibi Pontifex, quod non habeat annexam cenſuram. *num.* 2.
Caſuum reſervatio localis. *num.* 3.
Quando in una Diœceſi, alterius Diœceſis reſervati abſolvi poſſunt. *ibid.*
Quibus pœnis ligantur abſolventes a reſervatis abſque facultate. *num.* 9.
Tempore Jubilæi quomodo abſolvi queant. *num.* 13.
In dubio reſervationis quid eſt agendum a Confeſſario. *num.* 14.
Facultas generalis abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, an ſe extendat ad caſus Bullæ Cœnæ. *cap.* 4. *num.* 10.
Ad caſuum conferentias nequeunt ab Epiſcopo compelli Regulares non Curati. *Tr.* 7. *cap.* 2. *num.* 2.

CENSURA.

Provincialis poteſt ſibi reſervare quaſcumque Cenſuras. *Tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 4.
A reſervatis, & a non reſervatis deductis ad Forum contentioſum nequeunt Regulares abſolvere Sæculares. *Tr.* 6. *cap.* 4. *num.* 7.
Cenſuræ reſervatæ, & non annexæ caſibus abſolvi nequeunt ab habente facultatem tantum in caſus reſervatos. *num.* 9.
Quando Regulares abſolvere poſſunt ab omnibus cenſuris occultis etiam in Bulla Cœnæ contentis. *num.* 12.
Quomodo in caſu ſe gerere debeant. *num.* 13.

CLAUSULA.

Quid importent Clauſulæ in Bullis privilegiorum appoſitæ. *Tr.* 1. *cap.* 4. *num.* 12.
Quid importet Clauſula -- ex certa ſcientia. *ibid. num.* 6.
Quomodo intelligenda Clauſula --- dummodo non ſint revocata. *ibid. cap.* 6. *num.* 7.
Per quam Clauſulam derogetur Regularium Privilegiis. *num.* 6.
Quid importet Clauſula -- Quomodolibet -- in communicatione privilegiorum *cap.* 8. *num.* 15.

CLAUSURA.

Quando Superior Localis poteſt Subdito concedere facultatem ingrediendi Monialium ſubjectarum Clauſuram. *Tr.* 4. *cap.* 1. *n.* 9.
Quid per Clauſuræ violationem intelligitur. *Tr.* 6. *cap.* 4. *num.* 4.
Quoad Clauſuram Moniales omnes Epiſcopis ſubjectæ ſunt. *Tr.* 6. *cap.* 1. *num.* 20.
Clauſuræ Monialium viſitatio cumulative competit Epiſcopis, & Superioribus Regularibus. *num.* 21.
Quid poſſint Epiſcopi in viſitanda Monialium exemptarum Clauſura. *num.* 22.

CITATIO.

Quando Epiſcopi citare poſſunt Regulares ad comparendum coram ſe. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 21.

CLERICUS.

Qui ſunt Clerici qui gaudent privilegio Canonis -- Si quis &c. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 5.

COMMUNICATIO

Privilegiorum quid, & quotuplex ſit. *Tr.* 1. *cap.* 8. *num.* 2.

A qui-

A quibus Pontificibus fuit conceſſa Ordinibus Mendicantibus. *ibid. num.* 3. *& ſeq.*
Quomodo eſt intelligenda. *ibid. num.* 17.
In privilegio perſonali alii Religioſi non communicant. *ibid. num.* 5.
Neque in locali. *ibid. num.* 16.
Mendicantes communicant in privilegiis Mendicantium. *ibid. num.* 6.
Niſi ſint contraria propriis conſtitutionibus. *ibid. num.* 10.
Communicatio habetur in favorabilibus. *ibid. num.* 7.
Etiam illa Soc. Jeſu communicantur aliis. *ibid. num.* 8.
Et magis favorabiliter. *ibid. num.* 9.
Qui dependenter ab aliis communicant, non poſſunt in illos uti Privilegiis. *num.* 12.
Novitii quo ad favorabilia communicant in privilegiis Profeſſorum. *ibid. num.* 13.
Quænam Moniales communicent in privilegiis Ordinum. *ibid. num.* 14.
Quomodo in generali Privilegiorum communicatione communicentur pariter Indulgentiæ. *ibid. num.* 8.

CONCIONATOR.

Regulares munus concionandi nequeunt nec in ſuis Eccleſiis exercere ſine prævia approbatione, & licentia Superiorum. *Tr.* 6. *cap.* 8. *num.* 1.
Etiam ab Epiſcopis licentiam petere debent. *num.* 2. *&* 4.
An hæc verificetur de quibuſcumque Concionibus. *num.* 3.
A Magiſtratibus Laicis nominati poſſunt ab Epiſcopo quoad doctrinam examinari. *num.* 5.
Errores prædicantes poſſunt ab Epiſcopis interdici. *num.* 6.
Nequeunt publicare indulgentias ab Ordinariis non publicatas. *ibid.*
Prædicantes indulgentias falſas graviter peccant. *ibid.*
Si prædicent falſa miracula Excommunicationem incurrunt. *ibid.*
Concionatores eſſe nequeunt infames. *num.* 7.
Quid ſi prædicent in ſtatu peccati mortalis. *num.* 8.
Actualiter in prædicando occupati quando poſſunt a recitatione Officii diſpenſari. *num.* 9.
Eorum privilegium circa jejunium. *num.* 10.
Nullum habent dominium circa concionum ſtipendium. *num.* 11.
Peculiaris diſpoſitio pro Fratribus Minoribus de corpore Obſervantiæ circa eleemoſynas concionum. *num.* 12. *&* 13.
Quomodo requiratur pro Regularibus Ordinarii licentia ad Concionandum. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 2.

CONFIRMATIO.

Confirmationis Sacramentum poſſunt Regulares a quolibet Epiſcopo accipere. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 22.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM.

Vide Privilegium.

CONFESSARIUS REGULARIUM.

Regularis Confeſſarius quando abſolvere poſſit a reſervatis etiam ſibi denegata facultate. *Tr.* 6. *cap.* 1. *num.* 8.
Non poteſt a Provinciali diſpenſari ad aperiendas litteras S. Pœnitentiariæ Doctoribus in S. Theologia &c. directas? *Tr.* 3. *cap.* 7. *num.* 19.
Non indiget Epiſcopi approbatione ad Regularium Confeſſiones excipiendas. *Tr.* 6. *cap.* 1. *num.* 1.
Inſtitui poteſt a Legatis D. Papæ *num.* 2.
Sic inſtituti quantam habeant facultatem. *num.* 3. *&* 4.
Pœnitentiarii ab Epiſcopis inſtituti

quid poſſint in ſuos confratres. *num.* 5.
Poſſunt excipere Confeſſiones Religioſorum aliorum Ordinum. *num.* 6.
In aliena Provincia quomodo in reſervatis ſe gerere debeant. *num.* 17.
Quoſnam Sæculares in Conventu degentes ad Sacramentalem Confeſſionem admittere poſſunt. *num.* 25.
Quomodo uti poteſt petita facultate abſolvendi a Reſervatis. *num.* 26. 27. 28.
Pœnitentiarii in Capitulis deputati abſolvere poſſunt a reſervatis, & cenſuris illis annexis. *num.* 29.
Auctoritate ipſis delegata etiam paſſive uti poſſunt. *num.* 30.

CONFESSARII SÆCULARIUM

Approbari debent ab Ordinariis Locorum. *Cap.* 3. *num.* 1. & 2.
Etiamſi ſint Magiſtri & Doctores in Theologia. *num.* 3.
Etiamſi ſint Generales Provinciales &c. *num.* 4.
Debent non tantum præſentari Epiſcopo, ſed etiam ab eo approbari. *num.* 5.
Non approbati ab Ordinariis nequeunt Venialium & Mortalium jam abſolutorum Confeſſiones excipere. *num.* 6.
An in una Diœceſi approbati poſſint in altera Confeſſiones excipere. *num.* 7. & 22.
Generaliter idonei reperti ab Epiſcopis, abſque ulla limitatione approbari debent. *num.* 8.
An generaliter approbati facultatem amittant mortuo Epiſcopo. *num.* 9.
Approbati ab anteceſſore poſſunt a ſucceſſore iterum examinari. *num.* 10.
Ex juſta cauſa Vicarius Capitularis poteſt Confeſſariorum Regularium facultatem revocare. *num.* 11.
Quomodo excipere valeant Confeſſiones confratrum tertii Ordinis. *num.* 12.
Abſque Ordinarii approbatione nequeunt Sæculares abſolvere in vim Bullæ Cruciatæ. *num.* 13.
Debent pariter approbari ab Ordinariis ſi ſint Pœnitentiarii D. Papæ vel Romæ approbati. *num.* 14.
An debeant neceſſario examinari. *num.* 15.
In Parochorum Eccleſiis abſque licentia non debent Confeſſiones excipere. *num.* 16.
Approbati enim ad libitum Epiſcopi, habent facultatem, quæ ſine magna cauſa non poteſt ab eo revocari. *num.* 17.
De quo approbari ab Ordinariis debeant. *num.* 18.
Parochus Regularis ab officio a Superioribus amotus, poteſt abſque alia approbatione Sæcularium Confeſſiones audire. *num.* 19.
Num deficiente Superiorum licentia ſufficiat Ordinarii approbatio. *num.* 22.
Habens ab Ordinario facultatem in reſervata, etiam habet in cenſuras annexas. *Cap.* 4. *num.* 5. & 6.
Regularis privilegiatus non habet facultatem in cenſuras, & caſus contentos in Bulla Cœnæ. *num.* 7.
Si non habeant ab Epiſcopo facultatem in reſervata, num poſſint ea abſolvere. *num.* 8.
Quomodo ſe gerere debeant in tali caſu. *num.* 10.
Quid ſi urgeat neceſſitas celebrandi, vel communicandi. *num.* 11.
Quid circa conſtitutos in articulo, vel periculo mortis. *num.* 12.
In dubio reſervationis quid agere debeat. *num.* 14. & 15.
Quid in dubio facultatis: *num.* 16
Quid ſi advertat invalide abſolutionem dediſſe. *num.* 17.
Quibus pœnis ligantur abſolventes a reſervatis abſque facultate. *num.* 9. & 18.
Regulares approbati ab Ordinario a quibus caſibus & cenſuris Sæculares abſolvere nequeant. *cap.* 5. *num.* 1.

Romæ

Romæ & extra Italiam, quam facultatem habeant. *num.* 2.
Quam intra Italiam extra Urbem. *num.* 6.
Quando abſolvere poſſunt a cenſuris occultis etiam in Bulla Cœnæ contentis. *num.* 12. & 15.
Quomodo id præſtare valeant. *n.* 13.
Quid circa impeditos impedimento non perpetuo. *num.* 14.
A quibus ſuſpenſionibus juris communis abſolvere poſſunt Sæculares. *num.* 20.
Quid de diſpenſatione ab Irregularitatibus. *num.* 21.
Quando aperire poſſunt Litteras S. Pœnitentiariæ. *num.* 22.
Poſſunt vota ſimplicia Sæcularium commutare. *cap.* 6. *num.* 4.
Quomodo ſe gerere debeant in votis commutandis. *num.* 5.
Quid circa commutata ab aliis Confeſſariis. *num.* 6.
Quid de votis juratis. *num.* 7.
Etiam illa diſpenſare valent. *n.* 8.
Quoad vota reſervata Papæ quid præſtare poſſint. *num.* 9.
Quæ vota diſpenſare valent. *num.* 10.
Vota pœnalia diſpenſare poſſunt. *numer.* 11.
Cum conjugibus, qui amiſerunt jus ad petendum debitum conjugale quando diſpenſare valent. *num.* 12.
Cum conjugibus qui Matrimonium contraxerunt poſt emiſſum votum caſtitatis. *num.* 13.
Diſpenſare poſſunt in voto non petendi diſpenſationem. *num.* 14.
Quam praxim ſervare poterunt in votorum commutatione. *num.* 15.
Si non habeant curam Animarum nequeunt compelli ab Epiſcopis ad caſuum conferentias. *Tr.* 7. *cap.* 2. *num.* 2.
Confeſſarius Monialium. *Vide Monialis. Tr.* 6. *cap.* 7. *num.* 1.

CONFRATERNITAS.

Quæ Confraternitates Laicorum poſſunt ab Epiſcopis in Eccleſiis Regularium viſitari. *Tr.* 7. *cap.* 1. *nu.* 14.
Confratres Confraternitatum quæ ſunt in Eccleſiis Regularium, ubi debeant ſepeliri. *Tr.* 7. *cap.* 6. *n.* 21.

CONSERVATOR PRIVILEGIORUM

Quid ſit. *Tr.* 1. *cap.* 9. *num.* 1.
Quinam eligi queant in Conſervatorem. *num.* 2. 6.
Regulares debent conveniri coram Conſervatore, alioſque & quos coram illo trahere. *num.* 3. 20. 21.
Quinam ſibi eligere poſſunt Conſervatores. *num.* 4.
Sunt Judices Ordinarii, & ideo ſubdelegare poſſunt. *num.* 5.
Eccleſiæ collegiatæ Canonici nequeunt in Conſervatores eligi. *num.* 7.
Quo caſu poſſunt eligi non Judices Synodales. *num.* 9.
Quomodo ſubſtituendi in caſu mortis. *num.* 11.
Infra menſem poſt electionem debent Ordinariis manifeſtari. *num.* 12.
Nequeunt infra quinquennium amoveri. *ibid.*
Nequeunt tale onus recuſare. *num.* 13.
Tantum de manifeſtis injuriis, & violentiis cognoſcere poſſunt. *numer.* 14.
Et contra omnes procedere. *num.* 18.
Quid pro manifeſta injuria. *num.* 15.
Quid, & quotuplex ſit violentia. *num.* 16.
Nequeunt procedere per judicialem inquiſitionem. *num.* 17.
In quibuſnam cauſis procedere poſſint. *num.* 19.
In cauſis inceptis ante eorum electionem nequeunt procedere. *numer.* 22.
Nequeunt dare facultatem extrahendi a loco Sacro. *ibid.*
Poſſunt procedere contra extrahentes ab Eccleſiis Regularium. *ibid.*
Quomodo poſſunt procedere contra Epiſcopos. *num.* 23.
Quomodo contra alios Regulares. *num.* 24.
Nequeunt procedere extra Civitatem, & Diœ-

& Diœceſim, in quibus ſunt deputati. *num.* 25.
Neque ſcienter excedere terminos ſuæ juriſdictionis. *num.* 26. *& ſeqq.*
In cauſis dubiis, & in caſu gravaminis in notoriis injuriis datur appellatio a Conſervatore ad Papam. *num.* 28.

CONSUETUDO

Immemorabilis, & præſcripta cenſetur privilegium. *Tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 8.
Conditiones Conſuetudinis immemorabilis quænam ſint. *ibid.*

CONVENTUS.

Ad novos Conventus fundandos quid requiratur. *Tract.* 7. *cap.* 13. *num.* 1. *&* 2.
Ut a ſubjectione Ordinarii ſint exempti, duodecim Fratres requiruntur. *num.* 3. *&* 9.
Conſenſus Regularium præexiſtentium requiritur etiam quoad Clericos Regulares. *num.* 4. *&* 5.
Diſtantia unius ab altero in locis ſterilibus. *num.* 6.
Transferre Conventum ejuſdem Civitatis de loco ad locum. *num.* 8.
Ad deferendos Conventus acceptos quid requiritur. *num.* 9.

D

DECLARATIO.

Declarationes Sac.Congr. quam vim habeant. *Tr.* 1. *cap.* 3. *num.* 3.

DECRETUM.

Decreta Romani Pontificis quomodo obligent. *Tr.* 1. *cap.* 3. *num.* 2.

DISPENSATIO.

Diſpenſare in legibus Canonicis quiſnam poſſit. *Tr.* 1. *cap.* 3. *num.* 4.
Quid & quotuplex ſit poteſtas diſpenſativa. *Tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. *Tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 1.
Quænam ſint cauſæ ad legitime diſpenſandum. *num.* 2. *&* *Tr.* 2. *c.* 6. *num.* 2.

E

ECCLESIA.

Eccleſiæ Regularium nequeunt ab Ordinariis locorum viſitari. *Tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 12. *&* 13.
Quid requiratur ad extrahendum Reum ab Eccleſia Regularium. *cap.* 4. *num.* 23.
Nemo ſepeliri poteſt in Eccleſiis Regularium ipſis invitis. *cap.* 6. *n.* 20.

EPISCOPUS.

Regularis ad Epiſcopatum aſſumptus quibus gaudeat privilegiis. *Tr.* 1. *cap.* 2. *num.* 5.
Non conſecratus gaudet privilegiis, & quibus. *num.* 12.
Quomodo poſſit procedere in Regularem ſcandaloſe delinquentem. *Tr.* 3. *cap.* 3. *num.* 3.
Religioſus Epiſcopus abſolvi poteſt Sacramentaliter a Superiore Regulari. *Tr.* 3. *c.* 4. *num.* 10.
Promovere poteſt ad Sacros Ordines Regulares minus Litteratos. *cap.* 7. *num.* 9.
Si renuat Regularium Eccleſias Altaria &c. conſecrare, quid agendum. *Tr.* 5. *cap.* 1. *num.* 7.
Peccat graviter non approbando Regulares idoneos ad Confeſſiones excipiendas. *Tr.* 6. *cap.* 3. *num.* 23.
Ab Epiſcoporum juriſdictione quis eximere poteſt. *Tr.* 7. *cap.* 1. *n.* 3.
Ad quæ Epiſcoporum Decreta teneantur Regulares. *cap.* 2. *num.* 4.
An ſubiiciantur Epiſcopi juriſdictioni dum incedunt abſque licentia in ſcriptis ſuorum Superiorum. *cap.* 3. *num.* 6.

Quas

Quas functiones in Eccleſiis Regularium exercere poſſunt. *cap.* 4. *num.* 20.

EREMITÆ.

Eremitæ an ſint Tertiarii. *Tr.* 7. *cap.* 5. *num.* 7.

EUCHARISTIA.

Quando Regulares nequeunt Euchariſtiam Sæcularibus miniſtrare. *Tr.* 7. *cap.* 11. *num.* 1. *& ſeqq.*
Excepto die Reſurectionis miniſtrare eam poſſunt aliis temporibus. *num.* 4. *& ſeqq.*
Quid de Peregrinis. *num.* 8.
Quomodo Infirmis ſæcularibus miniſtrare queant. *num.* 9.

EXAMINATOR

Peccat graviter, ſi habilem, & idoneum Sacerdotem ad Confeſſiones excipiendas non admittat. *Tr.* 6. *cap.* 2. *num* 24.

EXCOMMUNICATIO.

EXCOMMUNICATUS.

Ab excomm. Canonis-*Si quis ſuadente*-quando ſimiliter Excommunicatum abſolvere poteſt. *Tr.* 4. *cap.* 5. *num.* 9.
Excommunicatus in una Diœceſi, an poſſit in alia abſolvi. *Tr.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. *& cap.* 4 *num.* 8.
Propter procuratum abortum effectu ſecuto poteſt Romæ abſolvi a quocumque Confeſſario Regulari ibi approbato. *num.* 6.
Quinam ſint Ecommunicationes Papæ reſervatæ extra Bullam Cœnæ. *num.* 18. *& ſeqq.*
Regularis an ab Epiſcopo poſſit declarari excommunicatus. *Tr.* 7. *cap.* 3. *num.* 8.
Ab excommunicatione abſolvere quis valeat. *V.* *Generales Provinciales.*

EXEMPTIO

Quid ſit. *Tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 1.
Quotuplex ſit. *num.* 2.
Quænam ſint cauſæ exemptionis Regularium ab Ordinariis. *num.* 5.
Regulares exempti ſunt ab Epiſcoporum juriſdictione. *num.* 6.
Etiam eorum loca. *num.* 8. *& ſeqq.*

EXPOSITIO.

SS. Sacramenti expoſitio quomodo fieri poſſit in Eccleſiis Regularium. *Tr.* 7. *c.* 4. *n.* 17.

F

FESTUM.

Regulares an teneantur ſervare dies Feſtos ab Epiſcopo in Diœceſi præceptos. *Tr.* 7. *cap.* 2. *num.* 5.

FRATRES

Minores de corpore Obſervantiæ an indigeant conſenſu S. Congregationis in alienandis bonis. *Tr.* 5. *cap.* 4. *num.* 7.
Per quam Bullam eximantur ab Epiſcoporum juriſdictione. *Tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 7.

G

GABELLA.

Regulares utriuſque ſexus a ſolutione gabellarum ſunt exempti. *Tr.* 7. *cap.* 15. *num.* 10.

GENERALIS.

Quoad poteſtatem ordinariam, & directivam. *Tr.* 2. *cap.* 1. *&* 2.
Quoad poteſtatem coercitivam. *Tr.* 2. *cap.* 3.

Quoad poteſtatem reſervandi caſus. *ibidem cap.* 4.
Quoad poteſtatem excommunicandi, & abſolvendi ab excommunicat. etiam reſervatis. *ibidem cap.* 5.
Quoad poteſtatem diſpenſandi in genere. *ibidem cap.* 6.
Quoad poteſtatem diſpenſandi ſuper irregularitatibus. *ibid. cap.* 7.
Quoad irritationem, commutationem, & diſpenſationem Votorum, etiam juramento firmatorum. *ibid. cap.* 8.

GUARDIANI

Ordinis Min. nequeunt ſibi reſervare caſus. *Tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 1.
Nec ſibi eligere Confeſſarium intra Ordinem infra ætatem triginta annorum. *num.* 12.
Abſolvere poſſunt a cenſuris, exceptis excipiendis, & diſpenſare a pœnis aliquibus *cap.* 5. *num.* 3. 4. & 5.
Corporalia benedicere poſſunt. *Tr.* 5. *cap.* 1. *num.* 3.
An poſſint abſolvere ab excommunicatione Canonis - *Si quis ſuadente &c. Tr.* 6. *cap.* 1. *num.* 29.

H

HOSPITIUM.

AD Hoſpitia fundanda ſervandæ ſunt Conſtitutiones pro fundatione Conventuum. *Tr.* 7. *cap.*13. *num.* 7.

I

IMMUNITAS.

PEr violationem Immunitatis Eccleſiaſticæ quid intelligatur. *Tr.* 6. *cap.* 5. *nu.*3.

INDULGENTIÆ.

Quænam Indulgentiæ ſunt a Paulo V. Regularibus conceſſæ. *Tr.* 7. *c.* 8. *num.* 1.
Quid ſentiendum de revocatis. *num.*2.
Indulgentiæ locales non fuerunt revocatæ. *num.* 3.
Neque pro Defunctis conceſſæ. *num.*4.
Indulgentia Portiunculæ non fuit revocata. *num.* 5.
Pro Vivis & Defunctis eſt applicabilis. *ibid.*
Indulgentia quotidiana Fratribus Minoribus conceſſa. *num.* 7. & 8.
Indulgentia Coronæ B. M. V. *num.*9.
Tertiarii gaudent Indulgentiis propriorum Ord. *num.* 10.
Chordigeri Indulgentiis Fratrum Min. gaudent. *num.* 11.
Indulgentiæ Viæ Crucis. *num* 12. & *ſeq.*
Indulgentia plenaria pro Defunctis applicanda a FF. Minoribus. *num.* 15.
Indulgentia pro Fratribus Minoribus tertiam partem Roſarii recitantibus. *num.* 16.
Quomodo Fratres Infirmi lucrari poſſunt Indulgentias. *num.* 18.
Indulgentia plenaria pro peragentibus Spiritualia Exercitia. *num.* 19.
In Eccleſiis Monialium Ordinariis ſubjectarum acquiri poſſunt Indulgentiæ Fratrum Eccleſiis conceſſæ. *num.* 20.
Indulgentia pro vacantibus orationi mentali. *num.* 21. & 22.
Indulgentia pro recitantibus, aut aſſiſtentibus Officio Immaculatæ Conceptionis. *num.* 23. & 24.
Indulgentiæ apocryphæ. *num.*26.

INFAMIA.

Infamiæ pœna nullo pacto poteſt infligi a Generali, aut Provinciali. *Tr.* 3. *cap.* 2. *num.* 2.

INHA-

INHABILITAS

Quid ſit. *Tr.* 4. *cap.* 6. *num.* 6.

INTERDICTUM.

Regularium Eccleſiæ quando poſſunt Interdicto ſupponi a Locorum Ordinariis. *Tr.* 7. *cap.* 3. *num.* 9.
Quomodo Regulares tenentur ſervare Interdictum. *num.* 10.
Quod Privilegium habent FF. Minores tempore Interdicti. *num.* 11.
Regulares tempore Interdicti quos poſſunt admittere ad Divina celebranda. *num.* 12.

INTERSTITIA

Regulares ab Epiſcopis ſuper Interſtitiis diſpenſari debent. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 6.

IRREGULARITAS.

Quid, & quotuplex ſit. *Tr.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. *Tr.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. & 2.
Quotuplex ſit ex defectu, & quotuplex ex delicto. *num.* 2.
Diſpenſare ab Irregularitate quis poſſit. *Vide Generalis, Provincialis, Localis.*

IRRITATIO.

Quænam differentia ſit inter Irritationem, commutationem, & diſpenſationem votorum. *Tr.* 4. *cap.* 8. *num.* 2.

ITINERANTES.

Itinerantes, vel extra Conventum manentes, quibus confiteri poſſint. *Tr.* 6. *cap.* 1. *num.* 10. & 11.
An a reſervatis abſolvi. *num.* 12.
Nequeunt itinerantes eligere in Confeſſarium Sacerdotem non approbatum. *num.* 13.
Si ſint duo ſimplices Sacerdotes itinerantes, quid? *num.* 14.
Quid reſpectu Fratrum alterius Provinciæ. *num.* 16.
Si præciſe ambulent ut extra Ordinem confiteantur, an gaudeant privilegio itinerantium. *num.* 18.
An gaudeant cum primario intendunt opus honeſtum, vel utile. *num.* 19.
Fugitivi, & Apoſtatæ nequeunt itinerantium privilegio uti. *num.* 20.
Quid ſi neceſſitate aliqua cogantur tam fugitivi, quam data opera itinerantes. *num.* 21.
An poſſint de licentia Superiorum ſe ſubiicere Epiſcopis pro abſolutione. *num.* 22.
Non coguntur eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum tempore Jubilæi. *num.* 23.

L

LEGATUS.

Legati D. Papæ Confeſſarios Regulares pro Regularibus inſtituere valent. *Tr.* 6. *cap.* 1. *num.* 2.

LEGATUM.

Legatum pro Monachatu relictum quomodo poſſit Tertiariæ conferri. *Tr.* 7. *cap.* 5. *num.* 17.

LEX.

A Lege Diœceſana Epiſcoporum Regulares ſunt exempti. *Tr.* 7. *cap.* 2. *num.* 1.

LIBER.

Libros imprimere nequeunt Regulares abſque Ordinarii approbatione. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 1.

M

MARE MAGNUM

Quid ſit. *Tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 10.

MENDICATIO.

Ordinarii Locorum nequeunt impedire Regularibus mendicationem. *Tr.* 7. *cap.* 2. *num.* 7.
Mendicantes extra diſtrictus Conventuum, tenentur locorum Ordinariis facultatem Superiorum oſtendere. *ibid.*
Quid extra Diœceſim. *ibid.*
Mendicantium Ordinibus liberum eſt mendicare. *num.* 8.
Eiſque licita, & meritoria eſt mendicatio. *num.* 9.
Mendicatio facta ſine neceſſitate ad quid obliget Regulares. *ibid.*

MISSA.

Miſſas celebrare debet ſubditus ad intentionem Superioris Localis. *Tr.* 4. *cap.* 1. *num.* 8.
Miſſarum onera reducere, & moderari nequeunt Superiores Regulares. *Tr.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. 3.
Miſſarum reductio uni Conventui conceſſa non extenditur ad alios. *num.* 2.
Præceptum audiendi Miſſam impleri poteſt in Eccleſia Regularium. *Tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 1.
Miſſa privilegiata pro defunctis Fratribus, & Monialibus Ordinis Min. *cap.* 8. *num.* 17.
Privilegia Regularium quoad tempus celebrandi Miſſam. *cap.* 12. *num.* 1.
Decretum concernens loca celebrandi Miſſam. *num.* 2.
Ignoti Sacerdotes Sæculares quando admitti poſſunt ad celebrandum in Eccleſiis Regul. *num.* 4.

MONASTERIUM.

In Monaſterii deſtructione quando amittuntur privilegia. *Tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 12.
Clerici Sæculares delinquentes in Monaſteriis Regularium non incurrunt pœnas ab Epiſcopis latas. *Tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 5.

MONIALIS

Subjecta Ordinario non poteſt a Superiore Regul. abſolvi abſque Ordinarii facultate. *Tr.* 3. *cap.* 4. *num.* 10.
Monialium Confeſſarii quam approbationem habere debeant. *Tr.* 6. *cap.* 7. *num.* 1. & 2.
Ad triennium a Superiore deputati nequeunt dumtaxat ad annum ab Epiſcopo approbari. *num.* 3.
Monialium Confeſſarii nequeunt ultra triennium deputari a Superioribus. *num.* 4.
Quid ſi antecedenter per menſes, aut dies aliquot Monialibus inſervierint. *num.* 5.
Quæ ætas requiratur in Monialium Confeſſariis. *num.* 6.
Monialibus extraordinarius quando eſt concedendus. *num.* 7. & 9.
Ad Monialium Eccleſias nequit accedere ordinarius Confeſſarius eo tempore quo extraordinarius inſervit. *num.* 8.
Quomodo uti poſſunt extraordinario per menſem deputato, ut ſemel in hebdomada Confeſſiones excipere poſſit. *num.* 10.
Pro unica vice deputatus quomodo interrumpere poteſt. *num.* 11.
In Monialium negotiis temporalibus ſe immiſcere non debent Confeſſarii. *num.* 12.
Monialium Monaſteria ingredi non poſſunt funerum occaſione. *num.* 13.
Moniales an habeant electionem Confeſſarii tempore Jubilæi. *num.* 14.
Moniales quoad caſuum reſervationem dependent ab Ordinariis, vel Præla-

Digitized by Google

Prælatis Regularibus, quibus ſubſunt. *num.* 15.
A quibus caſibus abſolvi poſſint a Confeſſariis propriis. *num.* 16. & 17.
An pro reſervatis immediate, vel mediate recurrere debeant ad S. Sedem. *num.* 18.
Quo ad votorum ſimplicium commutationem ac diſpenſationem dependent a Superioribus quibus ſubſunt. *num.* 19.
Alloqui cum Monialibus abſque licentia Epiſcopi eſt prohibitum Regularibus. *Tr.* 7. *cap.* 4. *num.* 16.
Moniales tertii Ordinis Epiſcopis ſubjectæ non gaudent Ordinis privilegiis. *cap.* 5. *num.* 15.
Superiores Regulares nequeunt ſubdere Epiſcopis Moniales ſibi ſubjectas. *num.* 16.
In Monialium Eccleſiis non poſſunt Sæcularium corpora ſepeliri. *cap.* 6. *num.* 9.

N

NOVITIUS

Abſolutus a Cenſuris, & diſpenſatus ab Irregularitatibus, quid agere debet ſi non profiteatur. *Tr.* 2. *cap.* 7. *num.* 18.
Non ſubditur caſibus reſervatis Epiſcopo, nec Superioribus Ordinis. *Tr.* 3. *cap.* 4. *num.* 2.
Poſſunt ſibi eligere ſepulturam. *Tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 18.
Extra Clauſtra decedentes ad quam Eccleſiam deferri debeant. *num.* 19.

O

OFFICIUM DIVINUM.

Defectus involuntarii in recitando commiſſi, quomodo ſuppleri poſſunt a Regularibus. *Tr.* 7. *cap.* 10. *num.* 1. & *ſeq.*
Ad quid poſt Officium recitatur oratio - *Sacroſanctæ*. *num.* 5.
Regularibus quando commutari poteſt Officii Divini recitatio. *num.* 6.
Quomodo infirmis. *num.* 7. & 8.
Quas Indulgentias lucrantur Regulares recitando Divinum Officium. *num.* 10.

ORACULUM.

Vivæ vocis oracula Romani Pontif. ſcriptura non indigent. *Tr.* 1. *cap.* 7. *num.* 2.
Sunt ejuſdem efficaciæ quam Bullæ ad perpetuam rei memoriam. *numer.* 3.
Quomodo etiam dicantur majoris efficaciæ. *ibid.*
Quomodo, & a quibus Pontificibus revocata fuerunt. *num.* 4.
Quænam fuerunt revocata. *ibid. num.* 5. & 16.
A quibus Pontificibus fuerunt in privilegia Bullata confirmata. *ibid.* & *ſeq.*
Quæ concernunt Indulgentias, non fuerunt revocata. *num.* 9.
Quæ ſunt declarativa, non fuerunt revocata. *num.* 10.
Nec illa quæ ſortita fuerunt ſuum effectum. *num.* 11.
Nec quæ per Officiales Papæ fuerunt teſtificata. *num.* 12.
Quæ extendunt, & communicant privilegia, non dicuntur vivæ vocis oracula. *num.* 14.
Generales, & Provinciales quid poſſint circa vivæ vocis oracula. *num.* 15.

ORATORIUM.

Ad celebrandum ubi poſſunt illud habere Regulares. *Tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 10. & 11.

OR-

Digitized by Google

ORDINARIUS.

Quinam intelligantur nomine Ordinarii. *Tr. 7. c. 1. num. 1.*

Regulares qui in perſonam Ordinariorum delinquunt, poſſunt ab ipſis legitime puniri. *cap. 4. num. 18.*

ORDINATIO.

Sede vacante quomodo Superiores Subditos ſuos ad Ordinationem mittere debent. *Tract. 7. cap. 4. num. 2. 4.*

P

PAPA

Poteſt eximere Sæculares, & Regulares ab Epiſcoporum juriſdictione. *Tr. 7. c. 1. num. 3.*

PAROCHUS

An ſit expectandus in aſſociatione cadaveris ad Eccleſias Regularium. *Tr. 7. cap. 6. num. 8.*

An quid plus exigere poſſit ab eo qui ſepelitur in Eccleſia Regularium. *num. 11.*

POENITENTIARIUS.

Pœnitentiariis D. Papæ omnes Regulares confiteri poſſunt. *Tr. 4. cap. 3. num. 7.*

PEREGRINI

Decedentes in Domibus Regularium ubi ſunt ſepeliendi. *Tr. 7. cap. 6. num. 24.*

PRÆCEDENTIA

Quid ſit. *Tr. 7. cap. 14. num. 1.*

Quomodo ſervanda inter Regulares. *num. 2. & ſeq.*

Plures Conventus in eodem loco unus alteri communicant jus præcedendi. *num. 6.*

Quæ præcedentia competat Minoribus Reformatis. *num. 7.*

Laici Ord. Minorum Clericos præcedere nequeunt. *num. 8.*

Laici ad ſtatum Clericalem tranſeuntes, quomodo Clericos præcedunt. *n. 9.*

PRÆLATUS.

Quinam ſint Prælati Regulares. *Tr. 2. cap. 1. num. 1.*

Quæ eorum auctoritas. *num. 2.*

Præſidentes independentes ſunt vere Prælati. *num. 3.*

Non ſic Vicarii dependentes. *num. 4.*

Niſi in abſentia Superiorum. *ibid.*

Prælatorum poteſtas eſt de jure Divino, & humano. *num. 5.*

Poſſunt eam delegare. *num. 6.*

Majores poſſunt ex juſta cauſa Inferiorum poteſtatem limitare. *numer. 7.*

Quantum ſe extendat eorum poteſtas benedicendi, & conſecrandi. *Tr. 7. cap. 1. num. 1.*

Pixides benedicere valent. *num. 2.*

In quibus uſus Pontificalium requiritur, nil poteſt Prælatus, Regularis non Abbas. *num. 6.*

Prælati majores Dimiſſorias ſubditis concedere valent ad S. Ordines ſuſcipiendos. *cap. 2. num. 1.*

Ad quem dirigere debeant Dimiſſorias. *num. 2. & 3. & 10.*

Non poteſt diſpenſare in Interſtitiis. *num. 7.*

Bene vero ut Ordinentur extra Tempora. *num. 8.*

Nequeunt moderari aut reducere onera Miſſarum. *cap. 3. num. 1.*

Alienare nequeunt Monaſteriorum bona mobilia, vel immobilia. *cap. 4. num. 42.*

Nec transferre bona unius Monaſterii ad aliud. *num. 3.*

Alienare poſſunt mobilia non pretioſa. *num. 4.*

Alienando cum proteſtatione pœnas non incurrunt. *num. 5.*

Digitized by Google

Qua ſolemnitate uti debeant in alienando. *num. 6.*
Nequeunt conſtringere ſubditos ad ſibi confitendum Sacramentaliter. *Tr. 6. cap. 1. num. 7.*
Peccant mortaliter ſi ſubditos non examinatos, nec idoneos prædicare permittant. *Tract. 6. cap. 7. num. 1.*
Protector Ordinis inter officiales Papæ numeratur reſpectu eorum, quæ bonum Ordinis reſpiciunt. *Tract. 1. cap. 7. num. 13.*

PRÆSCRIPTIO

Quid ſit, & quid ad eam requiratur. *Tr. 1. cap. 5. num. 9.*

PRIVATIO

Vocis activæ, & paſſivæ quid ſit. *Tr. 4. cap. 6. num. 6.*
Actuum legitimorum quid importet. *ibid.*

PRIVILEGIUM

Quid ſit. *Tr. 1. cap. 1. num. 1.*
Quotuplex ſit. *num. 2. & ſeqq.*
Regularibus pro utroque foro conceduntur. *num. 5.*
Quid requiratur ad ejus valorem. *num. 6.*
Promulgatio, & acceptatio ſunt de ejus ſubſtantia. *num. 7.*
Conſuetudo immemorabilis, & præſcripta cenſetur privilegium. *num. 8.*
Privilegiorum tranſumptis quæ fides danda. *num. 9.*
Privilegii ſcriptura deperdita, quid faciendum ſit. *num. 11.*
In Monaſterii deſtructione quando amittuntur privilegia. *num. 12.*
Quomodo extendantur. *ibid. cap. 2. num. 1.*
In favorabilibus conceſſa Fratribus extenduntur ad Moniales. *num. 2.*
Ad Novitios. *num. 3.*
Ad Tertiarios. *num. 4.*
Regularis ad Epiſcopatum aſſumptus quibus gaudeat privilegiis. *num. 5.*
Regularium privilegia nequeunt judicialiter interpretari a Prælatis Eccleſiaſticis. *num. 6.*
Bene vero a Prælatis Regularibus. *ibidem.*
Doctrinaliter a quibus, & quomodo interpretanda ſunt. *num. 7.*
Dubia, & obſcura quomodo interpretanda. *num. 8.*
Motu proprio conceſſa quomodo interpretanda. *num. 9.*
Ad interpretanda privilegia quid ſit attendendum. *num. 10.*
Dubius de voluntate Privilegiantis quid attendere debet. *num. 11.*
Favorabilia quomodo extendantur. *num. 12.*
Epiſcopus non conſecratus gaudet privilegiis. *num. 12.*
Privilegium eſt interpretandum ad favorem privilegiati. *num. 13.*
Privilegia quiſnam concedere queat. *cap. 3. num. 1.*
Judicare de privil. a Pont. conceſſis an poſſint Inferiores. *ibid. num. 6.*
Sæculares Principes quænam privilegia concedere queant. *ibid. num. 7.*
Prælati Inferiores Eccleſiaſtici quomodo concedere poſſunt privilegia. *num. 8.*
Quid officere poſſit conceſſioni privilegiorum. *num. 9.*
Cur Regularibus tot ſint conceſſa privilegia. *cap. 4. num. 1.*

PRIVILEGIORUM CONFIRMATIO.

Quinam Pontifices privilegia Regularibus confirmarunt. *num. 2.*
Confirmatio privilegiorum quid ſit. *num. 3.*
Quotuplex ſit. *num. 4.*
Differentia inter duplicem confirmationem. *num. 5.*
Privilegia per non uſum amittuntur. *num. 6.*
Quid attendendum ſit in Bullis confirmativis privilegiorum. *num. 8.*
Confirmatio privilegiorum quomodo com-

communicatur aliis. *num.* 9. *&* *ſeqq.*
Quid requiratur ad validitatem confirmationis privilegiorum. *num.* 11.
Quid importent clauſulæ in Bullis privilegiorum appoſitæ. *num.* 12. *&* *ſeqq.* *&* 21.
Quænam ſint privilegia per Tridentinum revocata. *num.* 15.
Privilegiis revocatis uti nequeunt Regulares neque in foro interno. *n.* 16.
Ordinarii Locorum tenentur defendere privilegia Regularium. *num.* 17.
Prælati Regulares quomodo poſſint privilegia ſubditis limitare. *num.* 18.
Regulares quando teneantur uti privilegiis. *num.* 19.
Ignorantia illius, cui conceditur privilegium, non officit Privilegio. *numer.* 20.
Privilegium quomodo & quando ceſſat. *cap.* 5. *num.* 1. *&* *ſeqq.*
Privilegium abſolute conceſſum non expirat morte concedentis. *num.* 5.
Quandonam privilegiis renuntiari poſſit. *num.* 6.
Quid requiratur ad hoc. *ibid.*
Regularium privilegia quando amittuntur. *num.* 7. *&* *ſeqq.*
Privilegia negativa per contrarium uſum amittuntur. *num.* 10.
Quid ad hoc requiratur. *num.* 11.
Privilegia per abuſum amittuntur. *num.* 12.
Etiam in extrema neceſſitate. *num.* 13.
Inter privilegia contraria novum deſtruit antiquum. *num.* 14.
Quinam poſſit privilegia revocare, & quomodo. *ibid. cap.* 6. *num.* 1.
Damnum paſſum in revocatione privilegii an ſit compenſandum, *n.* 2.
Regulares in fundationibus privilegiis renuntiare nequeunt. *num.* 3.
Peccant Locorum Ordinarii cogentes Regulares ad renunciandum privilegiis in fundationibus. *ibid.*
Per generalem privilegiorum revocationem non intelliguntur revocata illa Regularium. *num.* 4.
Quid requiratur ad revocanda Regularium privilegia. *num.* 5.
Per quam clauſulam derogetur Regularium Privilegiis. *num.* 6.
Quomodo intelligenda clauſula — dummodo non ſint revocata. *n.* 7.
Sæculares Principes nequeunt revocare privilegia Eccleſiæ, ejuſque Miniſtris conceſſa. *num.* 8.
Subreptitie obtenta, poſſunt a Principe Sæculari revocari. *num.* 9.
Conceſſum per modum oneroſi contractus poteſt ex juſta cauſa a Principe revocari. *num.* 10.
Remuneratoria nec in caſu neceſſitatis poſſunt revocari. *num.* 11.
Ex benevolentia, & gratitudine conceſſa poſſunt ex juſta cauſa revocari. *num.* 12.
Quomodo revocari poſſunt privilegia Bullæ Cruciatæ. *num.* 13.
Illa Ordinum Mendicantium non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ. *num.* 14.
Quæ ſecundario reſpiciunt Sæculares non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ. *num.* 15.
Bene vero ſi eos principaliter reſpiciant. *ibid.*
Quæ, & quomodo privilegia Regularium ſuſpendantur Anno Jubilæi. *num.* 16.
Quæ reſpiciunt forum internum non tolluntur per Bullam Cœnæ. *n.* 17.
Violantes privilegia Regularium quaſnam pœnas incurrant. *ibid. cap.* 10. *num.* 1. *&* *ſeq.*
In aliquibus caſibus violantes puniuntur ab Inquiſitoribus Locorum. *n.* 7.

PROCESSIO.

Ad quaſnam Proceſſiones teneantur Regulares. *Tr.* 7. *cap.* 2. *num.* 6. *&* *cap.* 4. *num.* 13.
Quomodo Regulares facere poſſunt Proceſſiones privatas extra Clauſtra. *num.* 14.
Nolentes accedere ad Proceſſiones publicas quomodo poſſint compelli. *num.* 15.

PRO-

PROFESSIO.

In Religioſa profeſſione quid acquiratur. *Tr.7.cap.* 15.*num.* 1.
Quomodo per profeſſionem Religioſam tollitur Irregularitas ex defectu natalium. *num.* 2.
Diſſolvuntur Sponſalia, & Matrimonium non conſummatum. *num.* 3.
Quæ maculæ tolluntur. *num.* 4.
Quæ vota ceſſant. *num.* 5.
Inducit privilegium Canonis. *num.* 6. *& ſeq.*
Similiter privilegium fori. *num.* 8.

PROVINCIALIS

Quoad poteſtatem ordinariam. *Tr.* 3. *cap.* 1.
Quoad poteſtatem directivam. *ibid. cap.* 2.
Quoad poteſtatem coercitivam. *ibid. cap.* 3.
Quoad poteſtatem reſervandi caſus. *ibid. cap.* 4.
Quoad poteſtatem abſolvendi a reſervatis, & a cenſuris. *ibid. cap.* 5.
Quoad poteſtatem diſpenſandi in genere. *ibid. cap.* 6.
Quoad poteſtatem diſpenſandi ſuper irregularitatibus. *ibid. cap.* 7.
Quoad irritationem, commutationem, & diſpenſationem votorum, etiam juramento firmatorum. *ibid. cap.* 8.

Q

QUARTA FUNERALIS

Quænam ſit. *Tr.* 7. *cap.* 7. *num.* 1. *&* 11.
An Regulares ab ea ſint exempti. *num.* 2. *& ſeq.*
Pro Novitiis defunctis non eſt quarta ſolvenda. *num.* 8.
Quæ Tertiariæ ab ea eximantur. *n.* 9.
Quid de Peregrinis, & Viatoribus. *num.* 10.
Cogentes exemptos ad Quartam ſolvendam, quam pœnam incurrunt. *n.* 11.
In ſolutione ſervanda eſt conſuetudo. *num.* 13.
Cuinam incumbit probare obligationem ſolvendi. *num.* 14.
An quid plus exigi poſſit a tumulandis in Eccleſiis Regularium. *n.* 16.

R

REGULARIS.

Regulares exempti non tenentur ad Legem Diœceſanam Epiſcoporum. *Tract.* 7. *c.* 2. *num.* 1.
Neque accedere ad Synodum Diœceſanam, niſi curam Animarum exerceant. *num.* 2.
Regulares curam Animarum habentes tenentur ad Synodos Diœceſanas, & Concilia Provincialia accedere. *num.* 3.
Quid ſi curam exerceant per Vicarium Sæcularem ab Epiſcopo approbatum. *ibid.*
Nequeunt conveniri coram Locorum Ordinariis, nec ab eis puniri. *cap.* 3. *num.* 1.
Contra Regulares delinquentes extra Clauſtra quid poſſint Epiſcopi. *n.* 2. *&* 4.
Degentes extra Clauſtra poſſunt ab Epiſcopis viſitari, & corrigi. *n.* 3.
Regulares ab Ordinariis locorum nequeunt excommunicari, ſuſpendi, aut interdici. *num.* 6.
Niſi Animarum curam habeant. *ibid.*
Regulares quando poſſunt coram Ordinariis conveniri. *cap.* 4. *num.* 3.
An poſſint renunciare privilegio ſepeliendi defunctorum cadavera. *cap.* 6. *num.* 7.
Regulares ubi, & quomodo ſepeliri queant. *num.* 15. *& ſeq.*
Quando pro ſeipſis ſepulturam eligere valent. *num.* 17.

RESIDENTIA.

Nequeunt Superiores Provinciales & Locales a Reſidentia diſpenſari, ſine cauſa. *Tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 8.

RE-

REVOCATIO PRIVILEGIORUM.

Quænam ſint privilegia per Tridentinum revocata. *Tr.* 1. *c.* 4. *n.* 1.
Privilegiis revocatis uti nequeunt Regulares nec in foro interno. *ibid. num.* 13.
Quiſnam poſſit privilegia revocare, & quomodo. *ibid. cap.* 6. *num.* 1.
Damnum paſſum in revocatione privilegii an ſit compenſandum. *n.* 2.
In fundationibus Regulares privilegiis renunciare nequeunt. *num.* 3.
Peccant Ordinarii Locorum ad id cogentes. *ibid.*
Per generalem privilegiorum revocationem non intelliguntur revocata illa Regularium. *num.* 4.
Quid requiratur ad revocanda privileg. Regular. *num.* 5.
Quomodo intelligenda Clauſula --- Dummodo non ſint revocata. *n.* 7.
Sæculares Principes nequeunt revocare privilegia Eccleſiæ ejuſque Miniſtris conceſſa. *num.* 8.
Subreptitie obtenta poſſunt à Principe Sæculari revocari. *num.* 9.
Conceſſa per modum oneroſi contractus poſſunt ex juſta cauſa a Principe revocari. *num.* 10.
Ex benevolentia, & gratitudine conceſſa poſſunt ex juſta cauſa revocari. *num.* 12.
Remuneratoria nec in caſu neceſſitatis poſſunt. *num.* 11.
Quomodo revocari poſſunt privilegia Bullæ Cruciatæ. *num.* 13.
Quomodo, & a quibus Pontificibus revocata fuerunt vivæ vocis Oracula. *ibid. cap.* 7. *num.* 4.
Quænam fuerunt revocata. *n.* 5. *&* 16.
Indulgentiæ non fuerunt revocatæ generaliter. *num.* 9.
Neque declarativa privilegiorum. *num.* 10.
Nec quæ ſortita fuerunt effectum ſuum. *num.* 11.
Nec quæ per Officiales Papæ fuerunt teſtificata. *num.* 12.

S

SCIENTIA CERTA.

Quid importet clauſula - Ex certa ſcientia - in Bullis Rom. Pont. *Tr.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. *& ſeq.*

SCRIPTURA.

Si ſcriptura privilegii deperdatur, quid faciendum ſit. *Tr.* 1. *cap.* 1. *num.* 11.

SÆCULARES

Cogi nequeunt ad confitenda peccata ſua Parochis. *Tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 2.
Nec Clerici, nec Laici tenentur obedire præceptis contra Regularium privilegia impoſitis. *num.* 3.
Obediendo graviter peccant. *num.* 4.
Eligere poſſunt ſepulturam in Eccleſiis Regularium. *num.* 5. 6. *&* 8.

SEPULTURA

Quantum diſtare debet ab Altari. *Tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 10.
Inducentes ad electionem Sepulturæ cuinam pœnæ ſubiiciantur. *num.* 22. *&* 24.
Ad conſtruendas Sepulturas in Eccleſiis Regularium quid requiratur. *num.* 27.
Quas Indulgentias lucrentur eligentes ſepeliri cum habitu Regulari. *num.* 12. *& ſeq.*

SUBDITUS

Commutare poteſt votum ſuum ſimplex in evidenter melius, non autem in æquale. *Tr.* 3. *cap.* 8. *num.* 18. *& Tr.* 4. *cap.* 7. *n.* 17.
Non poteſt impediri a Prælato, ne utatur diſpenſatione a Sede Apoſtolica impetrata. *Tr.* 4. *cap.* 2. *num.* 11.
Miſſus ad partes Infidelium quando poſſit Eccleſias, & Sacra Utenſilia benedicere. *Tr.* 5. *cap.* 1. *num.* 8.

Digitized by Google

SUPERIOR LOCALIS

Quoad poteſtatem ordinariam, & directivam. *Tr.* 4. *cap.* 1.
Quoad poteſtatem coercitivam. *ibid. cap.* 2.
Quoad poteſtatem circa caſus reſervatos. *ibid. cap.* 3.
Quoad poteſtatem abſolvendi a reſervatis, & ab excommunicationibus, exceptis excipiendis. *ibid. cap.* 4.
Quoad poteſtatem diſpenſandi in genere. *ibid. cap.* 5.
Quoad poteſtatem diſpenſandi ſuper aliquibus irregularitatibus. *ibid. c.* 6.
Quoad irritationem, commutationem, & diſpenſationem votorum ſuorum Subditorum. *ibid. cap* 7.

SUSPENSIO.

Privilegia Ordinis Mendicantium non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ. *Tr.* 1. *cap.* 6. *num.* 15.
Quæ primario reſpiciunt Sæculares ſuſpenduntur, non vero quæ tantum ſecundario. *ibid. num.* 16.
Quæ, & quomodo ſuſpenduntur Anno Jubilæi. *num.* 17.
Quæ reſpiciunt forum internum non ſuſpenduntur per Bullam Cœnæ. *num.* 18.

SYNDICUS.

Syndici FF. Minorum gaudent privilegio fori. *Tr.* 7. *cap.* 9. *num.* 2.
Fruuntur ſpiritualibus gratiis, quibus gaudent Fratres. *num.* 3.
Conveniri debent coram Judice Conſervatore. *num.* 4. & 5.
Eorum exemptiones. *num.* 6. & *ſeq.*
Unus tantum pro quolibet Conventu privilegiis gaudet. *num.* 11.

T

TERTIARIUS.

Quis fuerit Tertiariorum Inſtitutor primus. *Tr.* 7. *cap.* 5. *num.* 1.
Quot ſunt Tertiariorum genera. *num.* 2. & *ſeq.*
Tertiariorum Congregatio non poteſt ab Epiſcopis viſitari. *num.* 6.
Quæ Tertiariæ privilegiis gaudeant. *num.* 8, 9.
Quinam a juriſdictione Ordinariorum ſint exempti. *num.* 10.
Tertiarii mere Sæculares quomodo Ordinis juriſdictioni ſubſunt. *num.* 11.
Habitantes in propriis domibus poſſunt habere Superiores. *num.* 12.
Tertiariæ votum caſtitatis emittentes quibus privilegiis gaudeant. *n.* 14.
Poſſunt ſibi eligere Sepulturam Tertiarii commenſales. *cap.* 6. *num.* 18.
Quid agendum de prædictis extra Clauſtra decedentibus. *num.* 19.

TRANSUMPTUM.

Privilegiorum Tranſumptis quæ fides danda. *Tr.* 1. *cap.* 1. *num.* 9.

V

VIOLATIO.

Violantes Regularium privilegia quaſnam pœnas incurrant. *Tr.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. & *ſeq.*
In aliquibus caſibus contra tales violantes procedunt Inquiſitores locorum. *num.* 7.

VISITATIO.

Ad quid ſe extendat abſolutio, & diſpenſatio, quæ in viſitationibus a Prælatis dantur. *Tr.* 2. *c.* 6. *num.* 10.
Eccleſiæ, & Oratoria Regularium, nequeunt ab Ordinariis viſitari. *Tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 12. & 13.

Quid viſitare poſſunt Epiſcopi in Eccleſiis Regularium curam Animarum habentium. *num.* 16.
An poſſint viſitare ſub prætextu negligentiæ Superiorum Regularium. *num.* 17.
Viſitatio Clauſuræ Monialium exemptarum competit Epiſcopis cumulative cum Superioribus Regularibus. *num.* 21.
Quid poſſint Epiſcopi in viſitanda Clauſura Monialium exemptarum. *num.* 22.

VOTUM.

Quot modis tollitur. *Tr.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. *&* *Tr.* 3. *cap.* 8. *n.* 1.
Quænam differentia eſt inter irritare, commutare, & diſpenſare. *num.* 2. *&* 16.
Ad irritandum vota nulla requiritur cauſa. *num.* 2.
Quæ requiratur ad commutandum & diſpenſandum. *ibid.*
Subditorum vota ſimplicia a Generali, & Provinciali irritari poſſunt. *num.* 4. *&* 9.
Tam in actu Sacramentalis Confeſſionis, quam extra. *num.* 11.
Eamque aliis delegare. *ibid.*
Delegatus debet eam exercere in actu Sacramentalis Confeſſionis. *ibid.*
Poteſt inhibere ſubdito ne vota ſimplicia emittat abſque licentia. *n.* 5.
Emiſſa cum ejus licentia nequit irritare. *num.* 6.
Emiſſa tempore ſubjectionis poteſt irritare. *num.* 7. 8.
Quid poſſit circa Novitiorum vota. *num.* 10. *&* 15.
Generalis, & Provincialis poſſunt commutare, & diſpenſare omnia vota ſimplicia etiam juramento firmata. *num.* 12. *&* 15.
Quid in voto tranſeundi ad arctiorem. *ibid.*
An in voto peregrinationis Romanæ &c. *ibid.* *&* 14.
Quid in votorum commutatione attendi debet. *num.* 13.
Quid ſi dubitet de juſta cauſa in diſpenſando. *ibid.*
Subditus per ſe commutare poteſt votum in evidenter melius. *num.* 18.
Non autem in æquale. *ibid.*
An poſſit redire ad primum votum poſt commutationem. *num.* 19.
Dubitans de poteſtate diſpenſandi votum quid agere debeat, *num.* 19.
Voti diſpenſatio, & commutatio fieri debet verbis claris. *num.* 20.

LAUS DEO.

3034329 D

Digitized by Google

Digitized by Google

B. 17. 4. 54
BNCF
Digitized by Google